

8035  
HARVARD UNIVERSITY



LIBRARY  
OF THE  
DEPARTMENT OF MOLLUSKS  
IN THE  
MUSEUM OF COMPARATIVE ZOOLOGY

*Gift of:*

**Richard W. Foster**

Mollusk Department  
Gift of Richard W. Foster  
Dec 1947.

HARVARD UNIVERSITY




LIBRARY  
OF THE  
DEPARTMENT OF MOLLUSKS

IN THE  
Museum of Comparative Zoology  
Cambridge, Mass.

FOSTER FUND







Recreatio Mensis et Oculi  
in Observatione Cochlearum



MOLLUSK DEPT.

REGISTRATION NO. 783

# RECREATIO MENTIS. ET OCVLI

## In Obseruatione Animalium Testaceorum

Curiosis Naturæ Inspectoribus

*Italico sermone primū proposita*

A P. PHILIPPO BONANNO

Societatis Iesu,

20-4-4. Vat. Date, June 10.  
1794.

Nunc denuò ab eodem Latinè oblata, centum  
additis Testaceorum Iconibus, circa quæ  
varia Problemata proponuntur.



ARTHUR JACOB BEG  
TO R. C. S. L.  
1871.

ROMÆ, 1684  
Ex Typographia Varesij. MDCLXXXIV.  
SVPERIORVM PERMISSV. K

MOFTUŠK DEPL  
M. G. S. GAMBIODE M. V. 98

EL DIA

la Operación de la


Tienda

Copia de la carta de

Alvaro Gómez

AL BILBAO 10.000.000

Mucha gente se ha quedado sin sueldo  
y sin trabajo. Los que tienen  
que se quejan de que no tienen trabajo  
no tienen la culpa.




bba

16.0.8



# ARGVMENTVM.



**P**erum naturalium, & Animalium præcipue Cognitio humanam curiositatem, sciendique cupidinem adeò extimulat, ut Virorum insignium quamplurimi pretiosis laborum, temporis, aurique expensis illam explere curauerint. Alexandrum Macedonem, licet Asiaticis bellis distractum, thesauros ingentes profudisse scimus, ut à suo præceptore Aristotele Animalium Historia perficeretur. Verùm quia communi Mortalium lege utrique defecerunt, multas amissimus paginas, temporum ruinis conseptas, vel incendiorum vi sublatas, quæ quidquid ille ab experientia didicerat, referebant.

Tale verò adeò magnum opus unico sub Rege ita perfici à nemine potuisset, vt adhuc quamplurima de eisdem enarranda non supereffent. Nostro igitur Aevo Viros ingenio, & eruditione eximios per Italiam, Germaniam, Galliam, & Angliam dispersos ad illud perficiendum Veritatis Amor extimulauit, omnique mentis conatu omnes suam operam nauant, vt ad Veritatis trutinam reuocent quidquid Rerum Naturalium Scriptores enunciabant, scribantque ea, que vel temporis, vel cognitionis defectu ijdem omiserunt.

Cum igitur in Animalium Testaceorum historia, quæ pari, ac cæterarum Rerum Classes, oblectatione animalium afficit, quamplurima scitu digna desiderentur, èo quod, vel omnino falsa, vel non satis probata, vel tedium quodam legantur Iconum defectu, in quibus Animalia relata clare recognoscere haud possumus; opere pretium duxit Auctor hinc paginis Curiosorum oculis subiçere ad viuum expressas Conchyliorum Testas, quæ ipsi notabili figurarum, aut colorum varietate, constanti lege in singulis concinnata, ad species diuersas referenda visæ sunt; easque, ex multiplico Oceani sinu, ad mentem suam priuato studio relaxandam, acceptas, publicis in paginis collocare, ab Amicis extimulatus, non respuit; sibi suadens multorum pariter mentibus, oculisque non ingrato futuras oblectamento, dum in se ipsis referunt mira Naturæ opera, indicantque nouos eiusdem lusus, à nemine, hoc usque relatos.

Quinquaginta circiter supra Quadringenta inter se diuersas Italico iam pridem sermone descripserat, nunc centum alijs adiectis, curiosorum oculis latino porrigit, & ne iejuna esset eorum recreatio, utile menti otium addit, dubia non indigna Philosopho proponens, quibus ad Veritatem clare dignoscendam extimulatur, ea omnia pratermittens, que circa Testacea longis enarrationibus Aucto-

Auctores exposuerunt, ne aliorum dicta transcribens, legentium aures fastidio damnet.

Vtilem propterea Tractationem quatuor in partes diuidit; in quarum prima, postquam non puerilem, sed sapientem, ac proficuum occupationem esse comprobauerit Testaceorum indaginem, eorum inuestigat Generationem, siue sub Marinis vndis illa spatientur, siue terrenis glebis siue animali subcidant; Deinde materiam aptam, recognoscit, qua formari possunt à Natura, Colores insuper, Formas, & Proprietates, quarum beneficio Divini Opificis Prerogatiwas Philosphorum mentes sibi spectandas obiciunt, ceterisque demum usus, quibus iuuantur Homines, ea idcirco pretiosarum rerum loco in Museis habentes quamplurimis, quæ referuntur.

In Secunda vero Parte singulas describit, notando Partes, Formas, Colores, Nomina, & Maria ubi nascentur.

In Tertia quadraginta circiter Problemata proponit, dubijs rationes subnectens, quibus aliquis Veritatis nitor, vel saltem affulgeat, si clariss philosophica indagine recognosci non possit. Docet Margaritas è rore nequaquam formari, ut sibi, & multis Plinius suasit, neque Concharum filias esse, sed morbosam carundinalem. Refert rationem, ob quam Cochlea auribus admota maris susurrum videamus audire; causam inquirit, cur sub vndis copiosus, quam sub glebis nascantur, & præcipue in Mari Indiarum Orientali, in quo egregius picturatae: cur in superficie potissimum externa distinguantur coloribus, cur multæ spirarum orbibus circumvoluantur: cur membrorum diuersitatem vix habeant; Cur Dentibus, Corde, & Ossibus careant: Cur Luna deficiente macrescant: Pigra & stolida sint: Balanorum succus noctu eniteat. Cur inter colores, quibus diuersimodè pinguntur, non appareat Cærneus: Aliaque post similia

*Problemata, à nullo hactenus proposita, examinat : An Cochlea, quæ dicitur Venerea, sit Remora à Mutiano relatæ, cuius abdita vis velocem Nauium cursum valeat retardare.*

*In Quarta demum Parte, supra Quingentas Testaceorum Icones ponit, in parte secunda descriptas, & triplicique Classe distributas, in quarum Prima numerantur Vnialuia non Turbinata, in Secunda Biualuia, in Tertia Turbinata.*



# INDEX CAPITVM.

## PARS PRIMA.

<b>P</b> Ræfatio ad Lectorem . pag.	1
<b>CAPVT PRIMVM.</b>	
Qua ratione mens , oculique sapientis possint Cochleis dele- ctari .	7
<b>CAPVT II.</b>	
Qua ratione à Cochlearum contemplatione menti oblectatio augeatur .	12
<b>CAPVT III.</b>	
Animalium Testaceorum diuisio , in qua Specierum Varietas , eorundemque Origo indicatur .	17
<b>CAPVT IV.</b>	
Quæritur an Cochleæ propagatione Specierum generentur , aut potius spontè ex se nascantur .	22
<b>CAPVT V.</b>	
Exponitur generatio Balanorum , eaque confirmatur Caput pre- cedens .	29
<b>CAPVT VI.</b>	
De materia apta ad productionem Testaceorum .	37
<b>CAPVT VII.</b>	
An Cochleæ , quæ in Terra inueniuntur . Lapidès Terrigenæ sint, in quamdam imaginem Cochlearum figurati , an potius in Mari generatæ .	41
<b>CAPVT VIII.</b>	
Earum Varietas in Formis , & Coloribus obseruatur :	53
<b>CAPVT IX.</b>	
Vnde nam oriatur diuersitas Colorum in Cochleis .	58
<b>COROLLARIVM .</b>	
Quæ circa colorum Genesim in capite superiori dicta sunt Ex- peri-	

# INDEX

perimentis comprobantur.	65
CAPVT X.	65
Referuntur Proprietates aliquorum Testaceorum, in quibus elucet Prudentia Diuina.	67
CAPVT XI.	67
De vario Testaceorum Vſu.	72
CAPVT XII.	72
Referuntur varia Musea, in quibus Cochlearum, & Concharum Testæ conseruantur.	81

## PARS SECVNDA.

<b>D</b> Escribuutur Testacea in Parte quarta delineata,	86
CLASSIS I.	86
Continens Vnialuia non Turbinata,	88
CLASSIS II,	88
Continens Testacea Biualuia.	91
CLASSIS III,	91
Comprehendens Testacea Turbinata,	92

## PARS TERTIA.

<b>C</b> ontinens varia Problemata Menti proposita in Observa- tione Testaceorum.	173
PROBLEMA I.	173
De Generatione Vnionum. Quæritur in qua Concha fiat.	176
PROBLEMA II.	176
An materia, ex qua Vniones formatur sit Ros.	179
PROBLEMA III.	179
An Vniones nascantur ex Coneharum Valuis, an in visceribus Ostreorum generentur, & an sit Morbus an Partus illarum. pag.	183
PROBLEMA IV.	183
Cur Testacea orientur potius in Mari, quam in Lacubus, & in Fluminibus.	187
PROBLEMA V.	187
Cur nascantur in Mari potius, quam in Terra.	190
PRO-	190

# CAPITVM.

## PROBLEMA VI.

**C**ur multa nascantur in Terra, nunquam verò in metallis? 191

## PROBLEMA VII.

**C**ur in Orientalis, vel Australis Indiarum maribus generentur  
in maiori copia, & coloribus magis picturata. 192

## PROBLEMA VIII.

**C**ur aliqua Testacea super Ligna facilius nascantur, quam supra  
Lapides. 195

## PROBLEMA IX.

**C**ur ita Testæ obdurescant, cum ex molli aqua generentur. 196

## PROBLEMA X.

**C**ur vivant Plurima immobiliter saxis affixa. 201

## PROBLEMA XI.

**C**ur nonnulla sint certo ordine striata alijs non striatis. 203

## PROBLEMA XII.

**C**ur vt plurimum in externa superficie sint coloribus picturata.  
pag. 205

## PROBLEMA XIII.

**C**ur multa sint Turbinata. 208

## PROBLEMA XIV.

**C**ur ex Turbinatis pleraque figuram Sphaericam induant. 215

## PROBLEMA XV.

**C**ur Turbinata, vt plurimum habeant Orificium Testæ ad dex-  
teram partem conuersum. 219

## PROBLEMA XVI.

**C**ur vix aliqua membrorum diuersitas in Testaceis appareat.  
pag. 222

## PROBLEMA XVII.

**C**ur careant Offibus? 225

## PROBLEMA XVIII.

**C**ur sint Corde orbata. 226

## PROBLEMA XIX.

**C**ur sint Edentula. 227

## PROBLEMA XX.

**C**ur Fel, Iecur, & Lienem Testaceis negauerit Natura. 230

## PROBLEMA XXI.

**C**ur Testacea, quæ os non habent, attamen nutritantur. 231

## PROBLEMA XXII.

**C**ur Turbinata habeant operculum. 232

PRO-

# INDEX CAPITVM.

	PROBLEMA XXIII.	
<b>Cur multa Turbinata, snt etiam cornibus munita,</b>		<b>233</b>
	PROBLEMA XXIV.	
<b>Cur vocem non edant.</b>		<b>236</b>
	PROBLEMA XXV.	
<b>Cur careant auditu,</b>		<b>237</b>
	PROBLEMA XXVI.	
<b>Cur Testæ animatæ nullo sensu sint prædictæ.</b>		<b>240</b>
	PROBLEMA XXVII.	
<b>Cur Testacea, terræ Vegetabilibus non absimilia, nec viua, nec mortua odorem vllum diffundant, vt plurima Vegetabilia pag.</b>		<b>242</b>
	PROBLEMA XXVIII.	
<b>Cur diutius quam Pisces extra Aquas viuant.</b>		<b>243</b>
	PROBLEMA XXIX.	
<b>Cur Echini, seu Marini Erinacei Dentes habeant, &amp; Ova numero quinario disparaia.</b>		<b>244</b>
	PROBLEMA XXX.	
<b>Cur Turbinatis Cochleis Auri admotis videatur sibi quisque Maris susurrum excipere.</b>		<b>245</b>
	PROBLEMA XXXI.	
<b>Cur in Plenilunijs sint Pinguiores.</b>		<b>248</b>
	PROBLEMA XXXII.	
<b>Cur Pigra stolidaque animalia sint Testacea.</b>		<b>251</b>
	PROBLEMA XXXIII.	
<b>Cur Cochleæ Testa non exuantur, vt Crustata,</b>		<b>252</b>
	PROBLEMA XXXIV.	
<b>Cur Ballanus fulgore quodam splendeat.</b>		<b>253</b>
	PROBLEMA XXXV.	
<b>Cur in tanta Colorum varietate Cochleas picturantium, Cæruleus nunquam appareat,</b>		<b>257</b>
	PROBLEMA XXXVI.	
<b>An à Cochlea Venerea, quam Echeneidem, scù Remoram dicunt, possit Nauium cursus retineri.</b>		<b>265</b>

## PARS QVARTA.

**C**ontinens Testaceorum Icones, quæ in Parte secunda describuntur.

CA.

CAROLVS DE NOYELLE  
Præpositus Generalis So-  
cietatis Iesu.

CVm Librum, cui titulus (*Recreatio Mantis,  
& Oculi in obseruatione Testaceorum curiosis  
Naturæ Inspectoribus proposita*) à P. Philippo Bonanno Societatis nostræ Sacerdote conscriptum, aliquot eiusdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi posse probauerint, facultatem facimus, vt Typis mandetur, si ijs ad quos pertinet ità videbitur, cuius rei gratia has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus.  
Romæ 13. Iulij 1684.

*Carolus de Noyelle.*

Im-

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. Patri  
Mag.Sac.Pal.Apost.

I.de Angelis Archiep.Vrb.Vicesg.

**E**x Comissione Reuerendiss. Patris F. Dominici Mariæ Puteobonelli Sacri Palatij Apostolici Magistri perlegi Librum inscriptum: *Recreatio Mantis, & Oculi in obseruatione Cochlearum curiosis Naturæ inspectoribus Italico sermone primum proposita ab Adm. R.P. Philippo Bonanno Societatis Iesu, nunc denuò ab eodem latine tradita.* Nihil in eo reperi Catholicæ veritati, ac bonis moribus repugnans, imò publica luce dignum censeo, si eidem Reuerendissimo Patri Magistro yisum fuerit. Ex Domo Nouitiatus Romæ die 1. Nouembris 1683.

*Nicolaus Bello V. Procurator Generalis, & Secretarius Generalis C. R. Ministrantium Infirmis, S. Romana Inquisitionis Qualificator; ac S. Congregationis Indicis Consultor.*

Imprimatur,  
Fr. Joseph Clarionus S.Theologiæ Professor,  
ac R. P. F. Dominici Mariæ Puteobonelli  
Sac. Apost. Pal. Mag. Socius Ord. Præd.

## PRÆFATIÖ AD LECTOREM.

**Q**VI negotijs otia, serijs ludicra miscent; non tam suo, quam naturæ genio, humanæque vitæ conditioni obse- quuntur. Vitæ enim, vel laudatissimæ tenor, si nulla voluptate interpelletur, speciem refert Musicæ, aptis quidem modulis temperata, imperfectæ tamen, nisi Harmoniam pausa condierit. Tempus, teste Plutarcho, die nocteque componitur, quarum ista quieti, labori illa debetur, id quod Lucanus Piso- nem pluribus monuit.

— Nec enim facundia semper  
Adducta cum fronte placet, nec semper in armis  
Bellica turba manet; nec tota classicus horror  
Nocte, dieque gemit, nec semper Gnoſſius arcu  
Destinat exempto, sed laxat cornua nero,  
Et galea miles caput, & latus ense resoluit.

Sane Viros vnde cumque spectatissimos nouimus, seu priuato- rum studiorum contentionem, seu publicas curas honestis remif- fisionibus, & ludicris exercitationibus ideoque laudabili vacatio- re relaxasse, quod non segne, & ignauum otium secessati, confir- mare animum, & à labore recreare propositum haberent. Fa- tetur id de se Tullius, quod Tullius cum è foro, in quo versare omnium animos quoquò vellet consueuerat, rus, & in villam concederet, vifus sibi fuerit tanquam è procelloso mari ad por- tum, ab armorum strepitu ad pacis asylum, à se denique, velut ex aliena potestate, ac dominatu euallissee. Hinc summis laudi- bus dictum illud Scipionis prosequitur: *Nunquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus.* Et verè nemo sapiente suauius deliciatur, qui ad rerum meditationem, aut lectionem secessum, & solitudinem captat; Eius rei grauissimus auctor est Æneas Silvius Vir doctissimus idem, & Romanæ Ecclesiæ Pontifex Maximus. *Est* (inquit) *Magna Virorum recreatio, cum se aliquis retrahit in solitarium locum, ut meditetur, vel legat.* Et vero ad recreandum animum quolibet libro potentior est quicunque demum partus Naturæ. Hinc, vt nihil de tot alijs dicam, Sci- pio, atque Lelius, tametsi alter ducendis agminibus, & conse- rendis prælijs, alter dicendis in Senatu sententijs, versandoque quò vellet Collegarum suorum iudicio insueuiscent, ad litus ma- ris eam aliquando voluptatem quærebant, quam in Cochlearum

## PRÆFATIO

Lib. 8 c. 8.

descriptione ipse tibi ministrare constitui. *Constat namque eos*, inquit Plutarchus, *Caiete, & Laurenti conchulas, & calculos le-*  
*titasse*. Quod genus recreationis etiam ab alijs pari studio, ac iucunditate usurpatum vetus adagium peperit. *Conchas legere*, hoc est iucundis utilibusque occupationibus sese oblectare. At enim ista rudibus puerorum oculis parata neutiquam est; cum enim plurimas concharum formas produco, simul Musæum aperio, in quo non tantum se lumina pascant colorum, ac figurarum varietate, tanquam qui viridarium ingressus varijs constum floribus, atque admiratione defixus, nesciret tamen quem ex illis omnibus præferre, ac concupiscere potissimum deberet. Verum etiam, ut animus ex accidentibus substantiam cognoscere discat, calleatque subinde modum causalisque tum molis, tum formæ, tum denique coloris singularum. Comperies enim uero quanti sit operis, ac laboris, penitus intimèque rei cuiuscunque, vel minimæ pretium cognoscere, quam Natura produxerit, aliam atque aliam admirationis materiam omni suo opere solita ministrare, quæque terræ impressa reliquit vestigia, ea mens capax, & prodigiorum artifex Gigantis esse deprehenderet.

Equidem ista magnificentius, quam verius me dixisse nemmo putauerit, qui vel solas Cochlear spiras intuens exiget secum, quantopere laboratum à Geometris fuerit in illis rite ducendis, & verò quæcunque demum eius artis præcepta tradiderunt, aliter esse tamen semper sunt vici, vt qui eam è circuli portionibus in angustius spatium semper contracti composuerent, cum circa spirales lineæ circuli haud sint, tametsi circulares apparetant. Quis, rogo, Vitruvius tam mirabilem, & nulla satis arte imitabilem domum ædificauit? Equidem quo magis inuestigandis earum causis progressus fueris, eò clarius deprehendes verissimum esse, quod Veteres dicebant, Deum, Naturæ nomine comprehensum, in omni opere suo, geometrizare quodammodo, adeoque licere in simplici Cochlear spira iucundissimo labore humanum ingenium sese circummagere.

Non erit proinde, aut inutilis, aut stultus eorum labor, qui vel è Pelagi fundo, vel littorali arena legant quod, ceu foret indignum oculis nostris, aut aquis obruitur, aut pedibus proculcatur; At inquiet aliquis, nunquid ante disquirendum censes, sit ne quod pertractandum suscipimus argumentum eiusmodi, quod dignitate sua, ac pretio temporis, ac laboris impensam,

pro-

promereatūr. Est ne autem contemptibilius , atque informius Cochlea ex Animalibus vllum ? Quām aptē illam contemplanti obijcias quod Teutonum Orator Romanis , qui , vt Plautus refert, Romiam vbi venisset , eiusque pulcherrima quāque lustrasset, contemplari iussus à ducentibus fuit tabulam pictam summi , vt aiebant, pretij, atque artificij . Referebat ea Pastoris speciem pascendo gregi intenti , habitu , qui huic hominum generi vistatus, vili , ac incomposito . Iam vbi ille semel atque iterum omnem dimensus oculo fuissest , nullo neque admiracionis, neque approbationis edito signo, professus est : *Sibi donari nolle talem Virum viuum, verumque :* Sugillans haud obscurè infelicem laborem haud alio fructu insumptum , quām vt eius honiinis effigies coloribus representaretur , quem eorum adstantem nemo , vel aspectu dignaretur . Nunquid autem in Cochleas non hoc aptius cadit ? Sanè limaces à limo dicuntur , Festo Pomponio teste , vt adeò à luto natuam humilitatem ducant, ipsaque Anatome, quantumuis sese fatiget, artus ordine dispositos reperire non possit : neque aliud adeo mireris, quam quod animantes cùm sint , nihil fere animantium habeant , quippe corporis adeo imperfecti , vt neque oculis , neque sanguine , neque corde præditæ duras silices sensu , ac motu parum admodum vincant . An forte in tam vasto Naturæ Theatro desunt res aliæ nobiliores , elaboratores , digniores , oblectando sapientis animo accommodatores ? Par ista profectò ingenij tam male feriati stoliditas est illi Claudi Cæfaris , quem scribit Lælius Calcagninus dispositum in ordines Exercitum aduersus mare duxisse , iussis militibus galeas Cochleis , quæ litus omne complebant , onerare , *hac ratione de Oceano triumphaturum .*

Hæc pluraque alia dici fateor posse ab ijs , qui nihil præterea cogitantes ipso solo nomine , vti per vulgi ora vagatur , acquiescunt . Ego verò haud alia mihi defensione opus esse censeo quam , vt palam faciam , Sapientem ex omni re quantumcumque minuta , ac exili , quam ipsi Natura obtulerit , capere voluptatem posse . Vnum à te postulo , vt intelligentiam iuxta , ac sensum ad istarum , de quibus agimus , Conchularum considerationem demittas , sic vt altera alteri magistra fiat , ac iste illi se ducem præbeat , eo planè modo , quo in arte nautica oculus manusque mutuum sibi officium præstant , cum ille descriptas nauigationum tabulas examinat , ista ad earum præscriptum-

Lib. 35  
c. 4

De calculo  
forum lu-  
do.

temonem regit , & vela pandit , atque alter scientiæ , altera experientiæ magisterio edocetur . Idem seruet necesse est , qui de Naturæ operibus philosophari amat ; quippe in ijs disciplinis quæ planè contemplatrices sunt , licet quidem esse cæco , reuocatis ad intima nentis penetralia rerum imaginibus , quod vt melius consequerentur , non defuerunt Philosophi , qui barbara quadam immanitate oculos sibi eruerunt , verùm in Philosophia naturali illos habere nos duces oportet , ac monstratores , nisi identidem incurrere in offendicula velimus . Hinc sapienter monet Galenus : *Quicumque vult operum Natura esse contemplator , oportet eum credere proprijs oculis.* Quapropter curandum sedulo est , vt certa rerum experimenta teneas , vt ne errore labaris , quo etiam me aliquando mare decepit , cum scopuli cacumen arbitrarer , quod nubis Horizonti imminentis erat principium . Sic igitur experientiæ partes erunt multorum rationum fundamenta ingenio ministrare , quandoquidem , si Tullio credimus , temerarium est , aut falsum sentire , aut quod non satis explorare perspectum sit , & cognitum , sine ulla dubitatione defendere . Et verò subit me neglecti opportunissimi temporis pœnitentia , cùm ad litus maris Adriatici habitanti commodum esset multas mouere quæstiones , earumque solutiones animaduersionibus fidelioribus adinuenire . At neque sic tibi fidem adhibere te velim , vt falsitatis coarguas quæcunque alijs idoneis cæteroquin auctoribus comperta fuerunt . Mihi sanè propositum est per aliorum narrationes viam sternere ad multarum quæstionum haud ita expeditarum rationes eruendas , quas vbi experientia duce inuestigare non licebit , eas in medio relinquam felioribus ingenijs penetrandas , & remoto penitus omni ambiguitatis velo inspiciendas ; nempe satis habiturus sum , innoxia voluptate oculos tum mentem non inutili doctrina pauisse , vel quæstiones mouendo , non indignas Philosopho , vel à terrenarum rerum consideratione ad cœlestium contemplationem animum subleuando . Sic vt ex illarum admiratione ad Conditoris laudes exurgat , illius videlicet Artificis , ac Præceptoris , qui duibus omnibus vnis occurrit , nodos omnes dissoluit , & veritatem ex quauis quantumuis perplexa ratiocinatione excusat .

Ita veterum præscripto nauigabimus nondum audentium Prop. lib. 3 alto se committere , & alter remus aquas , alter sibi radat arenas ; egregiam voluptatem capturi , dum prope litus mare percurrentes , inambulare quodammodo terræ nullo pedum labore , nauigare

gare verò nullo naufragij metu nobis videbinur. Neque otiosa, aut sterilis, sed fructuosa eius recreatio futura est, qui veluti cymbam promouens, vel è terra passim flores legit, vel retia, ac nassas colligit curiosis pelagi partibus refertas. Itaque dum naturales causas attingemus, veluti remis vndas fulcabimus, dumque istas penitus introspicere non dabitur, ad vniuersalis causæ recondita mysteria, velut in portum, & solinam terram è naufragij periculo nos recipiemus.

Hūd equidem consilium est, spissum volumen conficere, referendo quidquid ab alijs Scriptoribus de Natura Testaceorum fusè copiosè que traditum reperi. Ut enim ingenuè dicam, tametsi multos eorum percurrerim, non tamen contigit reperi-re, quod concupieram, atque illi sese exposituros promiserant. Visi mihi proindè fuciuunt earam Auium instar, quæ suspensa in aere alarum vastitate, ac multitudine plumarum magnam, sui speciem faciunt, captæ verò deplumatæque venatoris expe-ctationem molis, ac corporis exilitate deludunt. Habeat proin-dè laudem suam Aristoteles, quam illi animaduersiones suæ, in Libro quarto Historiæ Animalium præcipue congregatae, pe-pererunt. Habeat, & Plinius suam; nec minorem reporta-ſe Bellonium dixerim, qui eam ob causam difficillima longiflammaque itinera per tres Orbis Partes Europam, Africam, Asiamque suscepit. Rondelio quoque accuratæ descrip-tiones, Gesnero, damnatae licet memoriæ Scriptori, eruditæ annotationes, ac denique Saluiano diligens multorum corpo-rum Anatome laudem suam afferant. Porro ex his ea tan-tum delibabo, quæ ad breuem tractatum conficiendum erunt satis: perindè enim ac Coralliorum Piscatores, nulla certa ratione itineris sibi præscripta, ibi scilicet intersistunt, vbi spem concipiunt insignem ramum è maris fundo reuellendi, ego quoque huic mori insistens non id omne consecutabor, quod dicendi argumentum, ac materiam præbet, verum id dumtaxat, quod vel repetere necessarium, vel cognitu dignius conuenienti-vlque reputauero. Addam quæ alij, seu inscitia, seu pigritia, inexploratum dimisere.

Et certè non facile dixeris, utra in re magis laboret in-genium, an tractata ab alijs argumenta retractando, an noua comminiscendo. Evidem in his viam tibi aperias necesse est, vtque ad metam pertingas, tuis ipse te pedibus tribuere: vtique cum desertas per Regiones, tamquam per Libyæ arenas, veluti va-stum

stum per mare , nullo signata vestigio incedendum sit , in quibus

*Lucan. I. 9.*

*Iter omne latet : nec sunt discrimina terre*

*Vlla -----*

*Nullusque potest consistere miles*

*Instabilis raptis, etiam quas calcat , arenis :*

Exiguus profectò illorum numerus est , qui pariter , ac argumentum quoddam pertractandum sibi proposuere , viam statim inueniant , qua perducantur ad metam , imò plerique , cum iam sibi attigisse illam videntur , adhuc in principijs , atque carceribus consistere deprehenduntur . Accedit quòd in tam varias , ac propè infinitas semitas , aliorum videlicet , qui præierunt vestigijs signatas , distractum ingenium in totidem laberinthos se inducit , è quibus euadendi difficultatem ipsa viarum multitudo facit . Hinc ista , quam in Testaceorum contemplatione honestissimam voluptatem afferre lectoribus constitui , non sane exiguo labore parabitur , quippe quorum , vel sola nomenclatura tam diuersa apud Scriptores est , vt non sine labore designatum ab illis corpus intelligas , de quo sit deinde differendum . Quanti verò erit operis eorum naturam causasque philosophando comprehendere ? neque ideo tamen despondere animum ; imo Platonis dicto inter huiusmodi angustias excitari te velim .

Dial. 5. de  
Rep.

*At non est nobis quoque natandum , conandumque , vt disputationis undas incolumes euadamus ?* Aristotelem proinde imitabor , qui in triginta octo Sectionibus Problematum suorum plusquam mille quæstiones proposuit , ad rerum cæteròqui notissimarum arcanas causas eruendas . Ego quoque feligam aliquas ad solum Genus Testaceorum pertinentes , occurram dubijs per eas rationes , quæ se offerent , atque efficacissimæ videbuntur , ita dumtaxat , vt alijs integrum sit addere quidquid volet , itaque quod ipse dixero , ex eo pretium habebit , quod alij , vel iam adiunxerunt , vel præstantius etiam subinde adijcent . Nempe , vt ait Aristoteles : *Quisquis aliquid de Natura dicit , & singuli quidem nil , aut parum ei addunt , ex omnibus verò collectis , aliqua magnitudo fit .* Quod si secus agerem , non vitarem temeritatis vitium , ab eodem Philosopho in alijs reprehensum , Laetantio teste ; *Aut stultissimos , aut gloriofissimos fuisse , qui existimarent Philosophiam suis ingenijs esse perfectam .* Conabor præterea id ita præstare , vt etiam mediocriter eruditis quam minimo labore ea contemplatio constet . Atque ubi vel Natura , vel Ratio

con-

Liq.t. Me-  
zaph.

etrouersiam pepererit , primas partes Veritati dabo. Senecæ monito obsecutus . Multum Virorum magnorum iudicio credo , sed non me cuiquam emancipavi . Vbi deinde tam abstrusum erit argumentum , vt ad intimiora penetrare sensus vetentur , dubitabo scilicet , atque ex illo mibi videtur eorum audacia reprehendetur , qui statim facileque pronunciant ita rem se habere . Apparebit demum quam voluptatem capere liceat ei , qui ex inspectione Cochlearum didicerit , non esse indignas admiratione nostra , imò deberi earum considerationem Philosophiæ totius Naturæ scrutatrixi , ideoque à Sapiente non alienam esse RECREATIONEM .

Epist. 45.

## CAPVT PRIMVM.

Qua ratione mens , oculique Sapientis possint  
Cochleis delectari .

**O**tia , quibus Sapientes solent animum relaxare , haud sunt in eo à curis omnibus renucando , vt solent aliquando Nautæ , quorum mos est è naui in litus descendere , vt in eo vndarum agitationem tantummodo eudent . Oculus sapientis Brutorum , & Vvigi oculis est longè dissimilis . Hi enim non differunt à speculo , in quo tantum nudum obiectum cernitur , eamq; sententiam de eo proferunt , quam species ab eodem transmissæ suggerunt , albumque esse dicunt si album videant , bicolorrem verò , si duobus coloribus picturatum . Attonitum propterea facit Idiotam materia , inquit Galenus , cum oculis usurpat opus , vel Artis , vel Naturæ præclarum . Artificij verò magnitudo Sapientem , qui non oculis tantum , sed mente perlustrat . Intima hic obiecti quodammodo fibras penetrat , & veluti anatomico cultro prædictus omnia dispicit , nec à labore cessat , donec oblectamento illo afficiatur , quo post Geometricam demonstrationem inuentam , centum victimas , vt Musis gratias haberet , Pjthagoras iugulauit , & quo Archimedem ita à sensibus abstractum scimus , vt circulo insistens supra arenam delineato , ab horrida mortis facie non abhorreret , quam ei Dionisij miles Syracusas aggredientis minitabatur .

Est inquam Sapientis animi Relaxatio , vt ea , qua idem Archimedes in balneo sèpius oblectabatur , Geometricis demonstratio-

De vñ  
par. lib. 3.  
c. 10.Plutarcus  
in Marcello  
lo.

strationibus studens, digoque lineas formans supra corpus odo-  
ratis vnguentis delibutum . Adeò verum est maxima volu-  
ptate tunc apimum affici, cum eò libere rapitur , ubi Naturæ  
rerum sensibilium obijcit venustatem . Quamobrem eam tan-  
quam prouidam altricem esse obseruat Seneca, quæ ingenitam  
in homine sciendi cupiditatem possit explere , cum *curiosum no-*  
*bis ingenium dederit.* & artis sibi , ac pulchritudinis sua *consciæ*  
*spectatores nos tantis rerum spectaculis genuit , perditura fructum*  
*sui, si tam magna, tam clara , tam subtiliter ducta , tam nitida , &*  
*non uno genere formata , solitudini ostenderet.* Et quocunque  
oculos conuertamus, vbique theatra rerum sciendarum amplissi-  
ma patefiunt, quarum cognitione utiliter animus oblectetur

*E più dell'opra, (vt ille cecinit) che del tempo auanza .*

Nec in tam vasta rerum cognoscibilium Vniuersitate, vel ex mi-  
nimis aliqua potest indicari , quæ à curiosis Naturæ indagatori-  
bus, veluti abditus thesaurus, non iudicetur . Singulis pedum  
vestigijs prodigiorum acerius subest, siue per amœna pratorum,  
siue per littorum spatioſa discurras, ubi flores quicunque, & are-  
næ fragmenta inter se notabiliter differunt , vel forma , vel co-  
lore, vel magnitudine, vel duritie . At aliqui mente nimis de-  
cepti herbas, vt ita dicam, veluti Bruta decerpunt , floresque  
calcant , eorum pretiosissimum succum negligentes . Quamob-  
rem iure merito D. Leo omnes Mundi plagas paginas publicas  
appellauit, quæ ab omnibus quidem leguntur , intelliguntur à  
nemine .

*Quod si vniuersus Terrarum Orbis huiusmodi doctrinarum*  
*fodinas mentibus vbique proponit , in mari quidem præcipue ,*  
*cuius in scopulis quoque ipsis, & lapidibus, inquit S. Ambrosius ,*  
*reperit Naturæ, in quo delectaret . Veluti in omnibus montium*  
*præruptorum saxis, omnique speluncarum, licet abdito recessu,*  
*aliquid nascitur , quod medicinæ facultati adiumento est .*

Rerum profecto Nouitas vehementius mentem allicit  
quam excellentia ; Quamobrem quæ assidue oculis usurpamus,  
quamuis decora , & admirabilia ea sint , vt plurimum præter-  
mittimus , nec oblectatione eorum animos recreamus , ignoran-  
tiam nostram hoc pacto lactantes, qua rerum cognoscibilium  
notitia mentes priuantur , thesauro scilicet pretiosissimo , sub  
rerum omnium superficie, tanquam velo, à Natura recondito .

Hoc veritati maxime consentaneum de quocunque maris  
Cochlea affirmare haud dubitabimus , si eius fabricæ structu-  
ram

Plutar.  
contra  
Epic. sent.

De otio  
Cap c.34,

Ser.7.de  
Leiun.

Præfati in  
Psal.

ram, si colorum varietatem, si partium ornamenta, quibus omnes condecorantur dispiciemus, adeo in singulis prodigiosa, vt cum qualibet cæteræ de pulchritudine dimitcent.

*E quel che il bello, e il caro accresce all'opre  
L'Arte, che tutto fa, nulla si scopre.*

Ars enim, qua exornantur supremæ mentis est, vnde studio quodam laudabili in littoribus Oceanii remotissimis colliguntur à multis, vt inter gazas pretiosissimas collocatae lusus Naturæ oculis intuentium explicare possint, & oblationem parere non imparem illi, qua Romanus Vlisses Petrus de Valle afficiebatur, cum Orbem Terrarum discurrens, *mores hominum multorum vidit, & Urbes*. Ille enim Epistola undecima referens Conchas in mari Rubro inuentas ait: *Pescava io, e presi quantità di Ostriche, e Lumache di più sorti, tanti Coralli, e bizzarie di quel mare, che ne ho empieute quattro, o cinque cassette, e già le mando in Italia, per farne col tempo una fontana in memoria de' miei viaggi. Nascono queste in certi fondi, de' quali è pieno il Golfo Arabico, e i Pescatori scendono in quei luoghi fin con la camicia à pigliarle, che l'acqua non arriva loro à mezzo petto. Io haueno gusto di dire, piglia questa, piglia quella, rompi quell'altra, e dauo anco di mano, quando bisognaua, essendo l'acqua chiara in modo, che si vede il fondo, più che non si fa à Pusilipo la state.* Hac ratione itinerum labores sibi minuens, dum oculos oblatione demulcebatur, vt olim suos Beda, huiusmodi Naturæ ludentis operasibi proponens, eaque miracula dicens, *que cum veris, ac serijs negotijs quasi fatigata ludendo efformat.* Nec lusus Naturæ Sapientiæ Diuinæ ineptè tribuitur, cum in sacris paginis eodem significetur circa Mundi opificium intenta ludens in Orbe, terrarum.

Villa enim, vt ita dicam, menti spectanda in Cochleis proponitur, rustico quidem, & neglecto ornatu concinnata, at idcirco haud minus spectabilis, & decora. Hinc iure multi prima rei alicuius apparentia adeo vehementi capiuntur amore, vt cætera negligentes, in eiusdem contemplatione sistant, non studio prorsus inani, quo Xerxes ille Regum stultissimus Platanum adamans, Trunci amore militum Turmis, quas in Lidiæ partibus ducebat, turpem nuntiam remisit, imo laudabili, cum Dei opera perscrutantes, maxima è rebus minimis Sapientiæ Diuinæ argumenta percipiunt.

Multorum profecto Librorum volumina, quibus notissima

Tirius  
ferm. 3.

Beda apud  
Condon.  
de Brigant.

Ælianu  
var. hist.  
lib. 2. c. 14.

pluries referuntur, vñica superat pagina, quæ aliquid noui menti dispiciendum proponit; ideo laudibus semper celebrandam studiosorum Academiam arbitror, quam Regiam Societatem Anglicanam dicunt, cuius Asseclæ hoc vnum agunt, & versant, vt Naturæ recessus vndique solerti, omnimodaque indagine, magis magisque patefiant: necnon Collegium Naturæ Curiosorum, quod in libera Imperij Ciuitate Schuinfurti anno 1652. natales sortita est Virorum delectu abundantissimum, quorum plurimi per Germanias Provincias dispersi, omnes medicis occupationibus dediti, physicis considerationibus, & experimentis vacant. Celebrandum pariter est Italicum Experimentale Sodalitium, cuius Collegæ veritatem adhuc ignotam experimentis detegunt, inter quos magni nominis Virum Florentia nutrit D. Franciscum Redi, Patriæ decus, literatorum non infimæ magnitudinis fidus, & ob experimenta quamplurima in Naturæ arcanis studiosè peracta Magnis Etruriæ Ducibus charum, vt cætera omittam, in Europa instituta, ad rerum veritatem perquirendam Veteribus omnino ignotam, pateatque Senecæ effatum, qui dum viueret, ait: *Multa seculis tunc futuris, cum memoria nostra exoleuerit reseruari.* Hinc etiam laudibus extollendus, qui Animalculorum partes minutissimas, nec antea visas, smicroscopij ope mole auctas, spectandas proposuit, qui Araneorum formas, eorumque telarum structuram, tempus insuper & fabricandi rationem exactè animaduertit, qui multorum Insectorum fibras accuratissima dissektione lustravit, omnes quidem Veterum Philosophorum iactabundas mentes redarguentes, multarum rerum cognitione penitus destitutas, comprobantesque, quod de Sapientia Diuina Vates sacer affirmauit, austerens Deum mira semper operari, cum effundit illam *super omnia opera sua*, Quamobrem Recens Auctor suo calamo extollens splendidam liberalitatem, & solertiam, qua Magni Etruriæ Duces Academiam promouent, ad res naturales attentè dispiciendas, institutam, eos dixit, *Promotori d'ogni maraviglia naturale, e benemeriti di simiglianti delitie letterate, che sono i degni trattenimenti delle anime grandi, e che raddoppiano la corona in chi regna frà prerogative di tanto acclamate cruditioni.*

**P.Gio.Pao  
lo Olio  
nelle let.  
tere Tom.  
3.Iet. 665.** Ea etiam de causa Alexandri Macedonis curiositatem probamus, naturam Animalium omnium dignoscendi cupidam; quamobrem scimus Aristoteli summo in omni doctrina viro aliquot millia hominum in totius Asia Gracieque tractu parere iussi, mire

**Plin.lib.8.  
c.18.**

mirè quidem illum oblectantibus Animalibus , quæ ex varijs terræ marisque dissitis partibus deportabantur , vel Quadrupedia illa esent , vel Pennata , siue Aquatilia ; omnia sanè , aut forma , aut moribus , ad oblectamentum afferendum aptissima . Eorum partes deinde Philosophus pariter , & Notomista Aristoteles diligenti perquisitione singillatim recognoscet , ut omnium mores , proprietates , & appetitus , si clarè non deprehenderet , saltem argueret ; idcirco Quinquaginta fermè volumina illa præclara de Animalibus condidit , quorum aliqua , à temporum ruinis sublata , quidquid ille de Insectis Terræ , de Musciculis Aeris , & Oceani Testaceis differuit , nobis referunt .

Quamvis igitur yilissima sint omnium Aquatilium Testacea , arguendum me fore haud existimauero , si paruo volume in succisiuis horis , rebusque magis serijs subtractis , concinnato , quamplures Cochleas recensebo , quas , licet inutiles visas , ac flocci æstimandas , aptas tamen duxi ad ingeniorum humanorum iactantiam infringendam , cum experientia satis abundèque sit comprobatum , quod Plinius in libris Insectorum animaduertit : *Rerum videlicet naturam , nusquam magis , quam in minimis ; totam esse . Quapropter , inquit ille , quæso ne nostra legentes , quoniam ex his spernuntur multa , etiam relata fastidio damment , cum in contemplatione Naturæ nihil possit videri superuacaneum .* Quibus dictis non solum voluptas illa asseritur , qua ob nouas rerum cognitiones mens Hominum capitur , verum Naturæ voluntas explicatur , quæ , afferente Tertulliano , non ad ostentationem inanem diuinarum suarum res condit , sed ad homines utiliter erudiendos omnia molitur . Hoc de mari à nobis dicendum esse quis dubitet ? sacro enim Vati , quælibet sub aquis condita obedient , cum inquit ; *Confiteantur tibi omnia opera tua : benedicte Cete , & omnia quæ mouentur in aquis .* Neque linguae vocisque priuatio locura dubitationi relinquit , ait acutissime S. Prosper , *cum laudantia dicantur , quæ sunt laudabilia , dum quæ non possunt eloqui , faciunt non taceri .* Sub aquis enim , Nazianzeno docente , veluti Nautilus cognitio est , quæ sine remis , sine velis , & clavo , feliciter sinus Oceani profundissimos peruagatur , recessusque scopulorum abditissimos perlustrat , in quibus Purpurarum tinturas , & Concharum margaritas recognoscit , ac Platonis effatum damnat dicentis , *nihil memorabile product mare .* Si Cœlo illud compares paludi quidem non ablimile dices , at prodigiorum fodinas eius

Lib. II.

De Resur.  
c. 12.

In Ps. 149.

sinus esse quis dubitet? Quamobrem S. Abbas Radbodus sub aquis vitam traducere posse peroptabat, ubi mira Naturæ opera sine villa mentis euagatione contemplaretur.

Magna quidem ad hoc requiritur Vis ingenij, & perspicacia; quoniam, cum aliquid difficile captu mente assequi non possumus, aut aliena nimis à veritate pronanciamus, aut omnino tacemus, ab eo animi mœrere abhorrentes, quo Tyrannus Ægyptiorum Farao excruciat, cum vilissimis ranis, & musciculis præfocatus indecorè moreretur. Quare etruscus ille Poeta res æque difficiles, ac iucundas scitu mente reueluens, lepidè scripsit.

*Hor dell'Ingegno ogni vn la zappa pigli.*

*E sudì, e si affatichi, e si assottigli.*

Idest Ingenij ligonem quisque arripiat, & sudet, defatigatur, & acuatur.

E quibus abundè comprobatur otio non inutili Cochleas è littoribus colligi posse, non vt superluuanea ornamenta, sicuti mulieres Brasilianæ, capiti imponamus, sed menti scientiam comparemus, quod Capite sequenti clarius comprobabitur.

## CAP. SECUNDVM.

Qua ratione à Cochlearum contemplatione  
Menti oblectatio augeatur.

Apud A-  
rian. lib. 4.  
cc. Væ haec tenus dicta sunt, eam tantum delectationem explicant, qua purus oculus in rerum naturalium contemplatione recreatur; Quod si è rebus, quæ sensibus obiciuntur ad Artificem Diuinum, à quo, tanquam à perenni fonte, quidquid pulchrum, quidquid bonum est in Orbe terrarum, emanat, mentem nostram extollamus, oblectamento prorsus inexplicabili afficimur. Brutorum profecto, non Hominum mos est, oculis tantum, non mente vti, in hoc adeò specioso rerum theatro, in quo, teste Epicteto, tanquam spectator nascitur homo, optime sciente pulchritudinem non possidentis, sed videntis bonum esse; quamobrem (ait ille) turpe est homini, si inde incipiat, & eodem desinat, ubi cetera solent ratione destituta, magis autem conuenit inde incipere, in eo autem desinere, quod usque Natura nos euerit ad festigium quoddam, quo nimirum res con-

*contemplaremur, eisque attenderemus, quas D. Gregorius, tan-* Moral.lib.  
*quam vestigia Creatoris agnouit, & per illa, que ab ipso sunt se-* 26.c.8.  
*quendo, imus ad ipsum.*

Neque debitum omne persoluimus, si cognitione solam curiositatem nutrientes, ieunias prorsus animi affectiones relinquaremus ; rerum quippe naturalium varietatem frustra contemplabimur, nisi carum Conditorem amemus. *Vanos esse sensus hominis, in quibus non subsist scientia Dei,* sacra testantur eloquia, & nulla prorsus utilitas è sola cognitione ad nos deriuatur, nisi Thesauros, in rebus latentes, percipiamus. Quis Plinio, quis Aristotele in eruditione rerum naturalium maior ? In die attamen illorum misertus est D. Abbas Clareuallensis, eò quod in rebus earum Ordinem, & Naturam, sint perscrutati, neglego prorsus fine, in quem easdem Opifex summus direxit, ut nempe, ait Gilibertus, prudenter intuenti admirationem Conditoris facerent, & pie consideranti amorem.

Hinc S. Augustinum vehementer poenituit sese otiosè Ara- neum obseruans, qui Muscas venabatur, ac si truculentas Gladiatorum pugnas in Theatro circumspexisset, cùm etiam ex aranei venatu haud paruam percipere posset utilitatē, salubriter animum erudiendo, vt S. Propheta Dauid eundem in pomarijs videns, suos mores instruxit, dicens, *Anni nostri sicut aranea meditabuntur.* At vbi ad meliorem vitæ frugem se recepit, ab iniutili sciendi voluptate abhorruit inquiens : *At ego iam in illo vanitate non eram; transcederam eam, & contestante uniuersa Creatura tua, inuenieram te Creatorem.* Philosophos omnes insuper erudiens, cognitionibus tanquam alis vsuрос eos esse, vt ad Dei solium mens euehatur, cum dixit : *Si placent corpora, Deum in illis lauda, & in artificem eorum amorem retorquent.*

Neque longo pennarum volatu, sed vnico oculorum iactu opus hoc perficiendum esse docet Richardus Victorinus, cùm attentè perquirens, cur in sponsa sacrī Canticis descripta, Columbae potius oculos, quam linceos sponsus adamauerit, denum ingeniosè sibi responderet : Oculos Columbarum sufficere, eò quod haud longè sponsus absit, sed ybique sit proximus, ideo Columbinum oculum Amorem esse, qui in rebus humano usui concessis, quocumque se verit, familiarem habet admonitionem amoris.

Quamobrem Pinacothecam esse hanc rerum Vniversita- tem

In die Pent. fer. 3.

Ser. 3. in Cant.

Lib. 8. Confess.

Tract. de grad. char. c. 3.

tem S. Prosper iudicauit, in qua sumimus Rex, atque opifex Deus suas collocauit statuas, quibus publicatur. Illarum nempè nulli, licet elingui, dicendum est, *loquere, vt te videam*, vt olim discipulo Socrates aiebat: *Habent enim, si intelligantur, lingua suam*, ait S. Augustinus, qua suum Conditorem celebrant, & amorem erga eundem ab Auditoribus exigunt, & vnde *omnia tibi resonant Conditorem, & ipsa species Creaturarum voces quædam sunt laudantium.*

In Pla. 16.

**De cœlesti  
Hierar. c.  
2. § 5.**

Cum cæteris Animalium diuersorum agminibus omnes etiam species Testaceorum voces suas reddunt, calmine dauidico extimulante: *Volucres Cæli, & Pisces maris, & qui perambulant semitas maris.* Omnia enim statuis Mercurium referentibus æquiparauit Pachimerus D. Areopagitæ scholiaestes, quæ rudi Minerua sculptæ, & pedibus manibusque orbatæ, numina condebant in sinu, nec ullam, licet ex minimis, rem iadicare quis potest, in qua aliqua Diuini Conditoris prærogatiua non affulgeat. Conchulam maris aliquam menti tuæ proponas, inquit Tertullianus, & tibi, crede mibi, patebit Deus, sanè totius expers inuidie per singulas Mundi particulas ubique splendens.

**Liber. de  
benef. c. 12**

**C. Hierar.  
c. 2. §. 51**

**ad Rom. 1.**

Neque enim Diuini Conditoris prærogatiæ radijs Solis tantum, & Planetarum Hominibus describuntur. Minimæ etiam vilissimæque res, quæ ante oculos stant, docente Seneca; audiorum suum ingerunt, & inculcant, nec oblinisci eius finunt. Et à rebus medijs, & infimis nominatur Deus, sapienter inquit D. Areopagita: cum à singulis earum, aut Sapientia, aut Prudentia, aut Bonitas eiusdem indicetur, quibus tam mira, tam pulchra, tam varia sciuit, potuit, voluitque confidere. Si ab eius manibus venustatem talem rudis materia mutuatur, qua nam pulchritudine prædita mens erit, à qua quælibet Orbem Terrarum exornantia perficiuntur: *Inuisibilia profecto ipsius à Creatura Mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspicuntur.* Omniaque cum mediocribus minima, mediocria cum maximis aspidio marte concertant, vt Artem sui Conditoris declarant non magis prodigiosam, quam dignam amore.

Hac de causa aliquos truncis arborum amplexus, & Plantis oscula dedisse, nobis narrant historiæ, non quidem amore, erga eas dulcis, sed Conditoris, qui hominum utilitati omnia perfecerat. Hac pariter de causa S. Rotardus floribus adeo suauiter recreabatur, vt cum vircentibus non posset, saltem fruere depicisti, & apis instar, mel è singulis delibaret, Maximus insu-

insuper Episcopus semper præ oculis eisdem habens, Dei prærogatiuas, veluti coloribus in illis expressas, recognoscet. B. Ioannes Marinoni, inter Clericos Regulares ob sanctimoniam morum illustris, campos videns, seu virentibus herbis, seu matura segete flauescentes, pias lachrymas copiosè effundebat. Et D. Ignatium Loiolam in singulis rebus philosophantem defixum hæsisse scimus, & animo pluries defecisse, ac si in singulis attonitus redderetur ab ipso Deo, omnes earum partes moliente. Qua de re S. Theodoricus orbem Terrarum contemplari peroptans, eò quòd à gloriæ solio quodammodo recederet, suum errorem apud Deum excusat, asserendo: à Mundo elementari omnes Hominum cognitiones expleri omnino posse. Nobis enim extra Cœlum exulantibus Deum clare intueri non conceditur, sed ea recognoscere, quæ Deus ipse condidit, ob quorum notitiam non mediocri de illo scientia potimur; quare Salomon vnumquemque nostrum alloquens, viam ad illam aperit, cum ait: *Considera opera Dei, porrò, à magnitudine species, & creature cognoscibiliter poterit Creator harum videri.*

In medit.  
de Christ.  
Crucif.  
occupat.

Sap.13. §1

Hac mihi suadeo animi relaxatione Regium Prophetam Dauidem rebus sensibilius delectatum, cum per amœna camporum, per Aulæ cubicula, per siluarum inuia spatiabatur, ubi varietate, & elegantia rerum, vel pulchritudine colorum, vel partium dispositione meatis curas sapienter demulcebat, dicens: *Delestante me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo*, deinde Diuinam Sapientiam haud potens intimè perscrutari, nec non prouidentiam, omnia gubernantem. *Quam magnifica sunt opera tua Domine, subiungebat, Nimis* Psal.98: *profunda factæ sunt cogitationes tuae, vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc.* Stultus quidem, eò quòd intimè omnia dispicere sibi suadeat, cum externam tantum superficiem rerum completere, *Insipiens* verò, quia videndo attonitus hæret, mentem suam ratiocinatione à Deo iussa minimè exercens.

Mirari fas est dum ab Ethniciis ipsis hanc veritatem docemur. Plutarchum audiamus. *Amor* Diuinus, inquit ille, Traianum alloquens, mortalium oculis subicxit rerum bonitatem, & pulchritudinem, *vt ipsis, quæ foris apparent, gradum faciamus ad Diuinum illud amabile, & vere beatum, & admirandum pulchrum.* Sicuti Geometriam addiscere cupientibus piramides, globuli, & cubi lignei, vel metallici proponuntur,

In heros,


vt

vt in materia figuras tantum speculentur.

Quæ cùm ita sint, negandum profectò est temporis pretiosi iacturam fieri ab homine, illoque indignum esse, quamuis ei Natura os sublime dederit *Cœlumque tueri*, in luto oculos mentemque defigere, in quo Testacea nascuntur: imò prudentis esse; cùm eorum perquisitione adeò salubriter potest mentem suam erudire; non secus, ac sapientem diceremus Regem illum, qui gemmas in luto dispersas, ad diadema condecorandum, ditandumque colligeret.

His igitur prælibatis, contra aliena dicta me ipsum munire necessarium duxi, antequam Testaceorum tractationem aggrederer, demonstrando scilicet utile otium, quo sapiens in eis perquirendis oblectatur. Quamobrem nullorum irrisiones pertimescens, quamplurima è Maris fundo accepta, in conspectum dabo. Flumina enim ipsa, quæ suas opes feliciter in eo deperdunt, ac nomina, elevauerunt vocem suam, sacro testante eloquio: *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.* Quippe sub aquis Innumera Testaceorum seges latet, quæ iure oculis spectanda proponitur, vt admirantur, menti verò, vt erudiatur, Animoque omni, vt erga Diuinum Artificem amorem, sese salubriter oblectando, concipiatur. Feliciter igitur fruere his epulis literarijs Quicumque hasce paginas pertractas. Illæ (benevolè Lector) famem curiosam vt eximam, tibi donantur; si ventriculum næctæ fuerint fortè delicatioribus assuetum cibis, fastidientem animalia hæc Testacea, primo aspectu quidem horrida, sub eorum tegumento scias iuxta Academicorum Intronatorum lemma. *Meliora latere.* Quod si mente ægra accedas, prorsus abstineas rogo.

*Ægro namque optima sæpe palato  
Insipida, at sanis sit placuisse satis.*



## CAP. TERTIVM.

Animalium Testaceorum diuisio, in qua Specierum Varietas, eorumdemque  
Origo indicatur.

**A**D explendam Curiositatem dignoscendi multiplicem Testaceorum Varietatem, quæ in vasto maris sinu generantur, haud certè eorum numerum perscrutari quis debet, quoniam ex Dauidis ore, Oceani penetralia mentis oculo perquirentis, habemus: illuc esse *Reptilia*, quorum non est numerus: & quamuis hiperbolice loquutum esse intelligamus, cùm omnino, quæ sub cœlo sunt, finito numero comprehendantur, non tamen à quavis mente, sed à Diuina tantum, quæ omnia procreauit, possunt singula numerari. Sufficeret autem omnes eorum species, aut formarum peregrina diuersitate, aut partium combinatione, aut colorum varietate, inter se distinctas, quasi militari ordine ante oculos dispositas cognoscere; quod sanè obtineretur, si oculos conuertere fas esset in eam Turrim, è qua, Calligulæ Imperatoris mandato, mira Concharum Cochlearumque copia pendebat, vt in Posteris memoria excitarentur præclaræ, siue, vt verius loquar, stultæ victoriæ è mari relatæ, cùm contra ipsum acies bellico timpanorum, tubarumque sonitu immittens, manum implere Conchilijs litore dispersis, militibus singulis imperauit.

Verùm etsi curiosorum oculi circa ipsam defatigarentur, quid profectò, nisi angusti litoris fructus dignoscerent? non autem cochleas in fecundis vasti Oceani sinubus mira assidnaque varietate producetas. In cupidum singulas numerandi eam, Biantis irrigio merito caderet, qua illos prosequebatur, qui cùm Pisces in angusto maris sinu viuentes numerare non valeant, multiplicem stellarum varietatem, eamque ab oculis remotissimam inquirunt. Ingens profectò sub vndis Animalium Testaceorum numerus delitefecit: & ne merito irridear, omnium generationes singillatim referre non audebo, verùm aliquas eligens ex multiplici specierum varietate, quas in laudabili otio obtinuit curiositas, ostendam.

Apud Auctores, qui de Testaceis tractationes instituerunt,

non eadem fuit eorum diuisio . Aristoteles & quæ accuratus , ac curiosus Naturæ perscrutator , postquam multos cetarios , & hamiotas defatigauit , Alexandri Macedonis stipendio laborantes in expiscando ex altis Pelagi fluctibus , quidquid philosophica dignum erat obseruatione , ea in quatuor Classes diuisit , ac singulis earum diuersas alias species comprehendit , vt cap. 4. lib. 4. hist. animal. apparet . Etenim quia ad eorum plenam cognitionem haud necessaria est perfecta , & iuxta leges Logicæ , sed prudens diuisio voluntatis . vt ea , qua totus Terrarum Orbis in quatuor partes distinguitur , vel in octo intensionis gradus , calor , & frigus ; Omnia hic cum Aldrouando inter Scriptores eruditissimo in duas Classes distribuam . Vna comprehendet ea , quæ vnica testa circumtecta , Vnialuia dicuntur , altera verò , quæ binis valuis defensa , vocantur Biualuia .

Lib. 3 de Testaceis.

Inter hæc autem Animalia aliqua , veluti milites catafracti , testa vndique circumteguntur , vt Echini , alia ex tegumento vnicō , quo defenduntur , aliqua sui corporis parte exeunt , frontemque ostendunt , quæ dimicatura , duobus , aut quatuor corniculis armatam , eisque quidquid progressum in via impedire potest , explorant . Huiusmodi sunt Turbinata . Biualuia verò ita binis valuis clauduntur , vt non ambæ ex omni parte arctè inter se coniungi possint , sed in aliquibus sunt perfectè clusiles , in aliquibus ore aperto aliquantulum hiant , vt in Balanis , Tellinis , Dactylis , Pectunculis , & his similibus .

Huiusmodi diuisione comprehendimus ea omnia , quæ Plinius longè pariter , ac confusè descripsit , postquam in difficilima Piscium perquisitione ultra centum sexaginta quatuor diuersas species numerauerit . Vbi enim agit de Testaceis . Concharum genera , inquit , in quibus mira ludentis Natura varietas , tot colorum differentiae , tot figuræ , planis , & concauis , longis lunatis in Orbem circumactis , dimidio orbe casis , in dorsum elatis ; leuibus , rugatis , denticulatis , striatis , vertice muricatum intorto , margine in mucronem emiso , foris effuso , intus replicato , iam distinctione virgulata , crinita , crispa , creniculatim , pectinatim , imbricatum vndata , cancellatim raticulata , in obliquum , in rectum expansa , prædensata , porrecta , senuata , brevi nodo ligatis , toro latere connexis , ad plausum aperiis , ad baccinum incurvis .

Non tamen plenè sic describens , leuigatas omnes , & asperas comprehendit , non armatas , vel inermes , non nitidas , vel asperas , non expansas , vel spiris conuolutas , non planas , vel tumescen-

mescentes, non striatas, non pellucidas, & quosquor ingenioso studio Natura efformauit, mira colorum varietate ita eas exornans, ut singulas distinctè obseruare oculus non valeat, sicuti intimam earum cognitionem assequi intellectus desperat. Sed hoc manifestius constabit, cum formarum venustatem, & varietatem colorum obseruantes, videbimus, quam clarè Diuini Conditoris Sapientia in eis elucescat. Nunc post breuem enumerationem earum Origo indaganda est.

Si huiusmodi Animalium varietate copiosa Philosophorum Turba paranda cena hic esset, vt solebat ad gulæ oblectamentum antiquitus, & omnium voces excipiens, sicut olim Tullius Tusculanas Quæstiones, singulorum sententias expondere conarer, non tam è litore soluens, immenso pelago nauim audacter traderem, sed propè Nembroti Turrim in linguarum confusionem inciderem, cum ea sit inter Philosophos altercatio, opinionumque diuersitas, vt non veritatem prosequi velle, sed pugnare facere acriter videantur. Aliqui enim Ignem elementarem rerum Parentem vocant, alij vero Aquam: sunt, qui vel ex eorum confusione, vel ex proportione harmonica numerorum, vel ex artificio Naturæ studio, vel ex fortuita rerum combinatione omnia deducunt. Est fatis notus Democritus ille, qui à catholica fide, ac à recte philosophandi norma æquè aberrauit, putans casu progenitam hanc Rerum varietatem, quæ Mundum exornant; nunquam fatis damnandus cum ijs, à quibus, res minimas penitus inutiles credentibus, summi Opificis Prudentia, ac Potentia sapientissima impiè negatur.

Nonnè forsan una cum cæteris rerum omnium choris, hic quasi insimus Animalium conditorem suum publicat Deum, & eloquenti, vt ita dicam, silentio assidue explicat magnum, illud Diuinæ mentis volumen, in quo quidquid possibile est exactè describitur; & quia sub vndis copiosissima latet Testaceorum Turba, Diuitiæ eiusdem ostenduntur, qui penè innumera in singulis speciebus progignit, non sicuti inter maiora Animalia, quorum numerus ad pauca dilatatur.

Cum primùm Orbem vniuersum condidit, in tam miro, varioque rerum opificio nullum aliud admisit, quasi ad laborum leuamen, (si tamen labor tribuendus est ei, qui sola sua voluntate mentis ideas perfectissimè exequitur) tunc enim omnia per ipsum facta sunt, eo vocis imperio, quæ vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt: Vnde cum primum in Aquis An-

malium vitam habuerunt, ipse Conditor illis est elargitus; idcirco post verba illa: *Producant aquæ addidit sacer Historicus, creauitque Cete grandia, & eorum animam viuentem, atque mortabilem.* In præsentia autem minori, ut ita dicam, studio vultus fabricare, alijsque diuidens laboreni, operatur ut scribendi Præceptor, à quo discipuli manus in scribendo ita regitur, ut ambo cani mouentes efforment characteres, æque à magistro, ac à discipulo exaratos, ita tanien, ut huius manus impulsu ab illo recepto operetur.

Sed antequam ad causas inquireendas deueniamus, simul cum quibus Agens Vniuersalis vitam communicat Animalibus Testaceis, quæ immensos Oceanii sinus replet, scienda hic est, magna lis, qua curiosi Perscrutatores inuicem altercantur. Aiunt multi, eis inesse Virtutem quandam propagatiuam, sicut in cæteris Animalium perfectorum speciebus. Alij iudicant omnia nasci sicuti cætera Insecta è massa aliqua putrefacta, prout exigit accidentalium rerum combinatio, è quibus talis massa componitur, nec omnes ipsorum virtutem originem eandem putant. E Terra suboriri, veluti è sepulcris expergefactas, Animas falsò aiunt aliqui; sunt qui omnibus tam mortuis, quam viuentibus hanc generandi virtutem tribuunt, imò corporibus putrescentibus, afferentes, causam esse putredinem ipsam. Nec desunt, qui naturalem aliquam coctionem opinantur, quique animam quandam, vniuersalem Mundi vocatam, aut Elementarium, aut abditarum influentiarum, siue cœli, siue ambientis, siue caloris, à cuius vi fragmenta quædam vegetabilium, & sensituarum animarum, inter cadauerum latebras otio torpētum, ad illam corruptam materiam animandam excitantur.

Sententiarum harum examen nullatenus hic aggrediar. Animaduertere tantum sufficiat, quam perarduum, incertumque sit, veram causam Efficientem Animalium, sponte nascientium recognoscere. Vnde Galenus asegni eam posse desperans, ab incepto destitit, respuens opinionem Platonis, quam sequuntur Scotus, Suarez, aliisque, cum afferunt, à manu Dei omnipotenti illa produci in materia præexistenti dispositaque, ne fibi persuaderet Potentiam illam, quæ cæteris virtutem formatricem sapienter communicat, ad efformandos scorpiones cochleas similesque vermiculos descendat. Quod idem negans recens Author in suis accuratis obseruationibus circa generationes Infectiorum, timens, ne Peripateticorum Turba in ipsum inuehere-

heretur, qui alunt: Non posse rem nobiliorēm à minus nobili generari, suadere potius sibi conatus est cum Empedocle, & Pittagora, ab Aristotele relatis, vitam sensitivam etiam Plantis inesse, cuncte Animalibus posse communicari: Ac si veritati consentaneum esset, quod pulchro aurium blandimento Fabulae finxerunt, cum dicerent: Armorum istib[us] vocem, & cruentem ex Arboribus emanasse, sub quorum corticibus Polidori, & Amadiades circæis artibus latitabant.

Qui Deum rerum omnium Auctorem, & cuiuscunque animalculi conditorem non affirmat, acriter à D. Augustino reprehenditur; *Quando expaescis*, inquiens, *in minimis lauda* in Ps. 148: *Magnum*. Qui fecit in Cælo Angelum, ipse facit in Terra vermiculum: Quod non solum credendum est de prima rerum productione, verum etiam de cæteris, & si omnium conditor unicus affirmetur, lætabitur Mare, sicuti campi, ut inquit Plinius, quos manus Regum colebant, *gaudente terra vomere laureato* & triumphali Aratore, copiosis fœtibus fœcundum, conditis à Diuini artificis manu, non ideo minori pretio habenda, quia materiales animas effinxit, dum sua virtute è vili massa venustatis prodigia produxit. Eadem, inquit S. Ambrosius, si cut non laborat in maximis, ingentes quercus, & Cete grandia componens, ita non fastidit in minimis, reddens prodigiosum naturæ portentum vilem vermiculuni, aut luteam cochleam, & sacri Vatis effatum conprobans, dum facit mirabilia magna SOLVS.

Et quidem, ut verum fateamur, nonnè huiusmodi rerum opificium adeò mirabile est, ut cuiuscunque mentis studium explere possit, indèque pateat, quod S. Augustinus pronunciauit, Deum videlicet, *ita artificem esse magnum in magnis, ut minor non sit in paruis*, quare cum Pisida attonitus hæreat.

*Mirando, come la Diuina forza*

*Non si ristette, finche non aggiunse*

*Lauor immenso alle sue picciol'opre.*

Si testam obseruas, deprimit nè Dignitatem Artificis circumuolutiones illæ, admirabili quodam artificio procedentes? dominant fortissime orbes, quibus seruata proportione finiuntur? Imò potius celebrant, cum è lapidea materia compactæ ceræ mollitiem ostendunt in multiplici varietate formarum, tot colorum, tot incisionum, tot anfractuum dispositione perornata. Si verò cum insentatis rebus, licet præclaris, de nobilitate,

Cap. 2. in  
Genes.

Ps. 148:

De Civit.  
Dei I. 11.  
c. 21.  
De Opific.  
Mundi

con-

De vnu  
par.l.22;

contenderent, litem definiret S. Augustinus, qui muscam, eō quōd sit anima prædicta, antecellere Soli, Planetarum principi, definiuit. Qui eas tanquam luteas animas, adeoque viles affirmat, palinodiam cantabit profectō, cum Iuristis, qui è pulchritudine corporum venustatem arguunt animarum, quibus à Natura conueniens domus fabricatur.

Hæc indicasse sit satis ad defensionem illorum, qui cochlearum productionem perscrutantes, immediatam causam earum affirmant Deum, semper maiori æstimatione habendum cum Giliberto Abbe, qui copiosas variasque rerum species ab eo conditas mente periuolens, illi dicebat: *Vbiique totus es, ex toto te vbiique operaris, & virtus tua vbiique, & tota operatur, licet non tota vbiique expendatur.* Semper in nouas productiones intenta, & toti terrarum Orbi potentia suæ thesauros impertiens, vt cecinit Propheta, præuidens longam assiduamque seriem productionum: *Generatio, & Generatio laudabit opera tua, & Potentiam tuam pronunciabunt.*

PL.149.

## CAP. QUARTVM.

**Quæritur an Cochleæ Propagatione Specierum generentur, aut potius Spontè ex se nascantur.**

**P**ropagationem specierum in Testaceis negauit Aristoteles, eaque, sicuti Infecta, è massis putrefactis spontè nasci affirmauit. Antequam ad Quæstionis examen deueniamus, indicande sunt diuersæ generationes, quibus Viuentia producuntur. Triplici igitur modo, docente Philosopho, quoruncunquæ Animalium partus vitam sortiuntur, siue propria virtute, siue ab altero communicata concipientur à parentibus. Multa enim generant filios perfectos, qui perfecta similitudine causæ productiæ assimilantur, cuiusmodi sunt Homo, Leo, Equus; Multa verò pariunt ouum, quod animal dici non potest, licet contineat partem aliquam, ex qua Animal formatur, & partem aliam, ex qua nutritur, antequam in lucem prodeat, & hac ratione Anas aliaque Viuentia, tum Terrestria, tum Marina gerantur. Alia deinde yermem producunt, qui licet dissimilis-

gene-

generanti paulatim eius speciem induit, & hoc pacto multa insecta efformantur.

Præter generationes huiusmodi, quibus species Animalium propagantur, aliani notat Arueus, vocatque Metamorphosim quamdam, siue subitam transformationem, quæ tunc accedit, cum è materia disposita nascens Animal è nulla causa vniuoca, sive speciei propagatiua, procedit, citatque Aristotalem, qui de huiusmodi Viuentibus sermonem habens: *Quorum scilicet inquit, materia potest à se ipsa moveri eo motu, quo semen mouet in generatione aliorum Animalium*, qui motus dicitur spontaneus, & casualis, eo ferè modo, quo aliqua ab Arte fabricantur, velut opus Architecturæ, nec aliter possunt esse; aliqua verò, & ab arte, & à spontaneo motu possunt obtineri, ut sanitas. Horum autem origo solet esse putredo, lutum, excrementum, siue alia, in quibus insit Virtus efformatrix, & productiua, quæ iuxta Aristotelis sententiam est calor quidam Vitalis, iuxta Fernelium calor cœlestis, & primigenius toto elementari Orbe diffusus, secundum alios verò qualitates diuersæ, quorum non licet indaginem instituere, sed solum Cochlearum originem inuenire.

Quicunque rerum generationem fieri propagatione specierum affirmat, etiam sub frigidis aquarum vndis eum ignem excitari putat; quo viuifica quadam Virtute, ut docebat Parmenides, omnia producuntur. Qua de re Lucretius, alloquens Deam illam, cuius nomine Veteres cum Platone significari voluerunt Prudentiam, quæ Animalium generationibus præest.

----- *Ita capta lepore, (inquit)*

*Illecebrisque tuis omnis Natura Animantum*

*Te sequitur, cupidè quò quamque inducere pergis.*

*Denique per maria, ac montes, fluuiosque rapaces*

*Frondiferasque Domos Auium, camposque virentes*

*Omnibus incutiens blandum per pectora Amorem*

*Efficis, ut cupidè generatim sæcla propagent.*

Nasci verò ex Cochleis oua docuit in suo Prodromo Illustrissimus Præsal Steno, vbi habet: *Experientia constat, Ostrea, & alia Testacea ex ovis non ex putredine nasci.* Hæc autem sententia directè Aristoteli opponitur, qui postquam multos Piscatores ingentibus Alexandri Macedonis expensis defatigasset, ut sub mari Naturæ Arcana pernosceret, constanter affirmauit: *Vniuersim omnia Testacea sponte naturæ in limo diuersa pro differencia*

Exerc. 45.

Metaph.  
lib. 7. 9.

Lib. II.

De solido  
in solidum  
pag. 55.

Lib. 5. hist.  
Animæ. 15.

*tia limi oriri, nam in cæno Ostrea, in arenoso conchæ. Quamobrem cupidus ab experientia ipsa veritatem addiscere, antequam obtinere illam postern, recentioris cuiusdam Tra&tatum de Cochleis Londini impressum legi, in quo assérit Cochleas non solum, ut pisces ex ouis, sed virtute ab alio accepta generari, sic habens: Cochleas autem in coitu generari nihil dubij est, quod ipsum in multis earum speciebus tum terrestribus, tum fluuiatilibus sapius obseruauimus; & postquam multa experimenta in Terrestribus Limacibus facta retulerit, quæ curiosus Lector ibi inueniet, ita loquitur de Aquatilibus: Mense Maio Ostreae fæturm ejiciunt. Figura lenticulari est, & ipsis lenticulis paulo maior. Saxis verò veteribusque Ostreorum testis rebusque similiibus per maris fundum dispersis adhæret. Non sine ratione coniuncti recenter edita oua intra viginti quatuor horas testis contegi. Mense Maio Piscatores captis Ostreis fæturam à re, cui adhæret, leniter cultello separant, ea re mari rursus commissa, ut loci secunditas imposterum præscruetur, nisi ubi adeò recenter edita sit proles, ut tuto diuidi non possit. Post Mensem verò Maium auferre furtum est, nec nisi Ostrea, quæ iusta magnitudinis sunt, impunè capere licet. Hanc verò prolem, aliaque Ostrea ad quosdam maris sinus deuehunt, ubi ea alueis quibusdam maritimis demittunt, quos lectos, siue strata vocant, ibi adolescent, & pinguefcunt.*

Alij, qui in eadem sententia conueniunt, eam historia quadam Eliani confirmant, referentis quasdam conchas sub mari Rubro viuere, quarum vna ita arctè alteri adnectitur, ut dentes ambarum perfectè simul vniantur, adeòque manifestè eomprobatur (aiunt ipsis) verum esse, quidquid in sua Mytologia dixit Fulgentius, quod nempè Concha marina toto corpore simul aperito miscetur in coitum.

Hæ sunt bases, supra quas talem sententiam stabiliunt, quæ cum mihi semper visæ sint parum firmæ illi assentiri haud potui, E ne longè aberremus à mari, in cuius litore disputationem instituimus, omittamus ea, quæ de Terrestribus Cochleis narrantur (ab aliquibus enim oua producuntur, & simul nascentur sponte, sicuti mures, & herbæ quamplurimæ) deducenda fortasse idcirco erit ex peculiari, vel vnicâ obseruatione vniuersalis illatio? Fallacissimum profectò argumentandi genus, cum potius è quamplurimis eruendam illam esse, quisquis Diakistica vel leuitę imbutus, pro comperto habet, quando habet,

Martinus  
Lister de  
Cochl, pag  
197,

Pag. 179,

habet, quando philosophari aliter non possumus, ut veritatem, in aliquo rerum abditarum genere absconditam inspiciamus. Quamobrem multiplicem eorum generationem hic enarrabimus; sed primum sciendum est, quod in multis post exactissimam anatomen obseruauit Aristoteles, rudem nempè partium molem inesse Cochleis marinis, sine sexus diuersitate, sine membris ad propagationem aptis, ut suo loco clarius patebit, ex quibus arguit nullatenus à Cochleis progigni alias posse, ut ab Animalibus perfectis; cùm certissimum sit à Natura data esse omnibus instrumenta ad finem obtinendum apta. Quod si Eliani veram opinemur historiam, eam arbitror conuenire quibusdam Conchis, quæ binas valvas ita arctè simul conne-  
ctunt, ut non duæ inter se coniunctæ appareant, sed una quo-  
dammodo nulla diuisione circumscripta videatur. Non igitur ex diuersi sexus commixtione generare possunt Testacea, nec etiam possunt fecunditatem ouorum habere. Habentur qui-  
dem oua præcipue à Turbinatis tempore Veris, & Autumni, ut obseruat Aristoteles, at quia non aliquo determinato, sed totius anni tempore in ipsis insunt, definiuit vulgo diei oua per quandam nominis analogiam, & ab eis tanquam ab adipice nutrimentum Animalis, non fecunditatem indicari. Præ-  
terea si materia, ex qua generantur Oua, est Sanguis, ut ipse Philosophus docet, affirmanduni necessario est, nullum Ani-  
mal exangue, ideoque nullum testa circumiectum, esse onipa-  
parum, & licet oua produceret, illa esse ad generationem ine-  
pta, quæ sine generis commixtione pariuntur, etiam mulierculæ sciunt.

Tali base in hac quæstione fundata, diuersarum specierum generationes, & partus si inspiciamus, omnes vno eodemque modo fieri videbimus. Apud Aldrouandum legimus Incolas Pirræ Insulæ in Lesbio nunquam inuenisse Ostreas numero auctas, licet semper mole maiores in eo maris sinu, ad quem solebant trasferre, ut pinguius nutrimentur, quod idem de multis lacubus affirmat Aristoteles lib. 4. de gen. Anim. In Piscinis nouis aqua maris repletis Testacea multa sponte exorta fuisse narrat Kircherius. Apud Tarentinum litus ubi Mare paruum dicitur, generantur Conchæ illæ, quas Incolæ dicunt Cozze Mitulos Latini, nec alibi, quam in Palis, & stipebus, qui humi figuntur eo modo quo Venetijs ponuntur ad funda-  
menta Domorum stabilienda, eisque nauiculas onerant, dcinde

Lib. 3 de  
gener. c. i.  
n. 2.

H. anim.  
c. 2.

Lib. de  
Testac.

In Mundo  
suctor.

transferunt ad alium Maris sinum , vbi nunquam generantur ; sed solum molem augent , aptioresque redduntur ad mensas . Progenitam esse magnam Ostrearum copiam in cænoscis Pelagi locis , vbi exhausta aqua , temperies fuit in luto apto , ad eorum generationem didicit ab experientia Aristoteles , & ego ipse ab eadem edocitus vidi Conchulas Cochleasque inter saxorum abditissimas rimas , & cauernulas delitescentes , quæ de profundo Mari eruta in frustra disrupti . præcipue Mitulos è superficie illa lutea pendentes beneficio tenuissimi filii tanquam fructus ex arbore . Insuper Microscopico instrumento sum sæpe diligenter usus , vt in arena Testaceorum oua distinguerem , nil tantien aliud , nisi testas inueni , & adeò paruulas , vt inermem oculum penitus diffugerent , omnibus licet partibus Cochleas absolutæ , orbibusque eleganti ordine circumductis , non absimili modo , quo etiam maiores , & maximæ circumPLICANTUR . Quæ perfectio fortasse nulli Naturæ opificio conuenit , cum gradatim semper suis in operibus ad perfectiora procedat . Narrat insuper in Relatione Congi Philippus Pigafetta Turbinatas testas generari supra Balenarum cadavera , quæ in littora africana marini æstus trasferunt post truculentam pugnam , qua sæpè inuicem congreduintur . Aldrouando teste , , Lib. 3. de Gen. anim. c. 11, nanigis , putrescente fece spumosa , adnascentur , sicut apud Riodiorum Vrbem supra luteas testas in loco , olim Cochleis penitus carente , obducto ceno Ostrea reperiébantur . Hoc etiam pacto è truncis putrescentibus nascuntur Conchæ illæ , Anatifera dictæ , de quibus suo loco agemus , sicut etiam de Dactiliis , & Balanis intra viscera saxorum delitescentibus . Apud Insulam Loandam Ambiazamatare vocatam , hoc est Piscem lapidem , magna Ostrearum copia generatur supra cortices arborum , quæ sub marinis vndis virescunt .

Ex hac igitur aliarumque similium generationum inductione , quæ adduci huc possent , Conclusio Oppiani Aristotelicæ consentanea deducenda videtur , hoc est .

*Quæ non concumbunt , nec fatus nexibus edunt  
Per se nascuntur , fædo , velut Ostrea cæno :  
Est non distincto semper leuis Ostrea sexus :  
Hos inter pisces , nec mas , nec femina nota est .*

Possent quidem dici foecundæ Cochleæ , vt Plantæ , quibus eorum multæ assimilantur , idcirco Plantanimalia dictæ à Philosopho ; & si Virtutem propagatiæ , vt Plantæ , non habeant fructu,

fructu , in quo semen ad speciei propagationem seruatur , ha-  
 bere eam tamen possunt in corpore diffusam , vt ex Plantis  
 multæ eam habent in radicibus , & trunco . Anguilla , cui sexus  
 discrimen , oua , & semen Natura negavit , atterit tamen ~~seso~~  
 scopolis , inquit Gassendus cum Plinio , *eaque strigmenta viuiscent* ,  
*nec alia est earum procreatio* . Huic sententiæ fuit fœcunditas De his  
Anim c. 8.  
 Purpurarum , quam cum Aristotele multi supponunt ex eo ,  
 quia tempore veris ex testis quidam humor muccosus effluit ,  
 ex quo deinde primum condensato , & quasi putamina Cicerum  
 referente , postea putrefacto , humoque diffuso alia purpuræ ge-  
 nerantur ; Fœcundæ tamen analogicè dicuntur Purpuræ , sicuti  
 fœcundos fungos dicimus ( si tamen verum est illos nasci in  
 locis madefactis aqua , in qua decocti sint fungi ) ex humore  
 aliquo illorum , vt apud Cubaguam Insulam certis anni diebus  
 Ostreæ humorem quasi menstruum emittunt , quo aqua efficitur  
 rubra . Putamina enim illa dici non possunt oua , quæ ut talia  
 sint , debet Animal intra ipsa generari . meo quidem iudicio  
 massam illam concreti humoris non à Purpuris progenitam du-  
 xi , cum è mari Purpurarum fœcundo acceptam diligenter inda-  
 gine peruelui , sed potius Alcionium Dioscoridis , quod Imper-  
 ratus inter Alcionia Secundum appellat . Ranæ , vt Plinius af-  
 firmat , *resoluntur in limum nullo cernente* , & rursus vernis  
*aquis renascuntur* ; quamobrem , inquit Gassendus Testacea , &  
 Zoofita renascuntur in locis , vbi alia primum vixerint , quia humi  
 aliquæ particulæ primigeniæ corundem insint , aut quia in ci-  
 neribus putrefacti cadaueris inest aliqua dispositio , licet occul-  
 ta , ad nouam perpetuamque indiuiduorum similium generatio-  
 nem . Hinc probabile redditur quod in Palladio retulit Fabri ,  
 generationem videlicet spontaneam è virtute , toto in corpore Io. Fabri  
 diffusa , à se obseruatam fuisse etiam in rebus , quæ virtutem Paled.  
 propagatiuam speciei habent , tunc quando ex eis beneficio artis Sparg c. 8.  
 spargiricæ sal separatus , humoque sparsus , vt vegetabilium  
 semen , caloris , & humiditatis Elementorum auxilio , aliud cor-  
 pus primæuo simile portentoso naturæ arcano germinauit :  
*Id experientia tentare poterit Zoilus quiuis* ( sunt verba Fabri ) *si*  
*ex calcinato aliquo mixto vegetantem salem extrahat purum pu-*  
*tum , ab omni terrea fœculenta defecatum , lotionibus , filtrationi-*  
*bis , & euaporationibus idoneis , donec in igne leuissimo velut cera*  
*liquefaciat* . Hoc pacto cuiuscunque Plantæ sal separatus : Terra  
 mandatur sub dio , aliorum seminum instar . Tum aliorum semi-  
num

num instar , statim conuocato spiritu Mundi in aere residente , & terra , & aquis ad generationem rerum omnium , statim putreficit , & germinat , simileque mixtum gerit , neque sal terræ mandatus extractus est . Mirum certe , & quasi incredibile , sed quod vidi-  
mus , & fecimus facile testari possumus . Quod & ultra ratione-  
summa pernestriganimus , eique tandem experientia ipsa consonum  
reperimus . Hinc in phialis vitreis possunt flores , possunt plantæ  
plantari , & nutriti , crescere , & germinare .

Si vera sint hæc , vt Fabri affirmat , quis credere recusabit , quod Petrus Gilius refert . Bizantinos videlicet Ostrea ferere , quæ Vermius refert dici ab Italis *Gauatoni* , & eorum quasi lac in testis seminare , id ipsum enim in aquam iniectum ad faxa ima adhærescere , & Ostrea fieri .

Alij verò cum Arueo iudicant spontaneos partus in lucem prodiere non quia hæc virtus causa Vniuocæ præexistat , verum quia in terra marique insit , nescio quod , semen , quod ipsi vocant genericum , quia ad generationes aptissimum . Hoc docuit Fabri , & Kircherius noster : *Fiunt Cachleæ ( inquiunt Ambo ) ex semine generali viscofo , & tenaci ipsius aquæ , viuunt ex eodem , quod à Dco Terræ Marique datum est cum imperauit , vt Terra produceret animam viuentem in genere suo , Tumenta , & Reptilia , & Bestias Terra secundum speciem suam , & Aquæ produce- rent reptile animæ viuentis , & volatile super terram . Aut quia Deus infuderit proprium semen cuiuscunque rei , vt opinatur Gaslendus , & manu adeò liberali , vt nunquam sponte- narium generationum series terratum in Orbe deficeret . Hinc Veteres miram fœcunditatem maris agnosceres , Deoque soli conuenire putantes , illud Neptunum dixere , nempe Deorum Pa- rentem , cuius manum loco sceptri tridenti hasta exornatunt , vt ipsa dominium aquarum in triplici Regno , Animalium nempe , Vegetabilium , & Mineralium corporum indicaretur . Nos qui verum , & unicum Deum adoramus , & credimus , virtutem hanc ab eo donatam dicemus , & ne pulchra hæc productionum series deficeret .*

*Continuò has leges aeternaque fædera certis  
Imposuit Natura locis .*

Quo autem pacto ad finem statutum perueniant , atque in ijs animali in lucem prodeat , altioris indaginis res est , & admiratio-  
tione potius , quam examine mentis humanæ digna , sicut si quis  
in siluis cœntritus Artificie mechanicarum penitus rudis ,  
horolo-

Lib. 4. Pa.  
chim c. 25.  
Dial. 3. c. 5  
itiner.  
æstet.  
Genet. 1.  
Phis. 10. 3.  
de gener.  
Animal.

horologium rotatum inspiceret, mirari quidem posset motus, & partes à quibus tale opus componitur, nunquam verò cognoscere quo factum fuerit artificio. Verum hæc omnia, quæ in hoc Capite dicta sunt, in fine libri fortassis, vel libello alio contra oppugnantes exarato, enucleatius discutienda erunt.

## CAP. QVINTVM.

Exponitur Generatio Balanorum eaque  
confirmatur Caput præcedens.

**M**ultas inter Biualium species vna est, quæ Balani nominantur, ne appellatur, qua voce quidquid glandium nomine à nobis intelligitur, Græci significant. Hinc multæ Balanorum species, ut suo loco videbitur. In præsentia haud intelligendi sunt iij, quos Petrus Gilius *leues*, dixit, & in cœurnis saxonum stabulari, quoniam hæc etiam conueniant Daçilis Biualibus propter similitudinem, quam habent cum Palmæ fructibus sic appellatis, sed de ijs, quos in nostro Tractatu num. 25. & 26. Classis secunda posuimus.

De eisdem loquens Aldrouandus dixit: *In litore Anconitanæ saxa magni ponderis quinquaginta, & plurim librarum è mari trahuntur. His color, & constitutio exterior ea est, quæ lapidi Aetii: rudis nimirum, & non difficilis lesu, aut tritu: interior verò crusta; aut tunica dura est, & quæ poliri possit, haud securus, atque interior Aetii tunica, colore etiam subcæruleo. Rumpuntur hæc saxa maioribus malleis ferreis, non quod intus, ut in aquilæ lapide aliis calculus inueniatur, sed quo pisciculi delicissimi extrahantur eiusdem generis cum solenibus, quas Cappas longas Veneti appellant: sed eò delicatores quodd non aqua marina, sed rore quodam tenuissimo per lapidem imbibito pascantur. Hi plures numero saxo includuntur, ut singulis suis sit nidus ad magnitudinem, & figuram piscis omnibus lineamentis respondens. In his igitur validissimis saxis, in quibus aqua nulla, nullus liquer inuenitur, prater eum, quem Pisces continet, non figura modo Daetii, siue solenis, sed vita etiam, & omnis pisciculi lans perficitur, & dispergitur, melior, ut multo sit, quam si in ipso mari extra lapidem bacis fuisset.*

Part. 4.  
Class. 3.Lib. 3. de  
Testac.



Cum


Cum ergo his vltimis verbis doceat Aldrouandus Balanum in lapidum visceribus nasci : libet exactissimum examen instituere , vt vera pateat eius origo , qua quidquid in præcedenti Capite diximus magis reborabitur . Pono igitur sub oculis saxum , quod in partes dilectum veritatem ostendat . In quarta figura representatur Testa cum animali , in secunda cauernula faxi , in quo viuit , qua æquè dilatatur , ac ipsum . Animal molem suam auget , & pro comperto satis haberetur in faxo ipso Baianos generari , si aliquis eorum lapideis visceribus circumdatu omnino delitesceret , sicuti in Quercuum , Gallis musca , vermes , & formicæ inueniuntur , vbi nullum apparet foramen , rimula nulla , per quam ingredi certè potuerint alibi generata . Verum quia ex omnium cauernis , vt in figura apparet , extenditur ad superficiem usque Canaliculus quidam , idcirco ignotum est an generatio eorum intra lapidem fiat . Obseruando omnium domos , ita dispositas , vt è superficie lapidis centrum versus , licet non per viam rigorosè rectam , augentur , & nunquam è centro ad superficiem , hoc credere recusabam , suadens mihi extra saxum primum generari , vt aliqui turbines viuentes in spugnis primum alibi nati , vel vti vermes oriuntur in superficie lignorum pomorumque , deinde partes intimas corroendo penetrant , ibique semper aluntur . Suspicabar idcirco oriri posse in canaliculis quibusdam tuabinatis , & minutissimis , quos oculus microscopij ope deprehendit in saxis , quique sub vitro , quales num. 3. exprimitur , apparebant .

Nec obflabat , vt hoc crederem , faxi durities , quoniam in alio saxe , è fundo maris accepto , & in partes conciso , in numeros vidi canaliculos non quidem rectos , sed sine villa regula inflexo tramite procedentes , vt notantur numero 7. Insigulis eorum vermis valde viuidus latebat num. 8. expressus , & num. 9. mole maior , vt apparuit sub Microscopio , & quia illum obseruabam non solum canaliculo absconditum , sed aliqua sui corporis parte in luto , quo cauernulæ faxi replebantur stabulantem , incessit mihi sciendi cupido qua vi penetrare facile posset durissima lapidum viscera è quibus calybis iætibus scintillæ ignis excutiebantur . Diligenti idcirco studio perquirens , animaliucti ex parte , e qua faxum penetrabat , bines dentes evaginari , & quidem acutissimos similes illis quibus Viperæ truculenter ferunt , colore nigros , & adeo duros , vt ferri incisioni tanquam osca resisterent . In figura 10. videntur quales


Micio-

*Tabula  
Prima  
Car. 3o.*





Tabula  
Secunda  
Car. 30.



7




9



IO

I

E



the 16  
years old

5

Microscopium representabat, vt faices curuati, & dentati, vt serra in parte, quæ è gingivis prominet, idest supra lineam I. E. Componitur autem binis his dentibus instrumentum, quoddam ex vtraque parte acutum, quo saxi particulæ paulatim radantur, & durissima quæque facile terebrentur.

Hinc igitur prudenter credendum existimabam, indè Oratum ducere Balanos, eò magis suasus, quo magis credendi fundamentum & ratio ex his, quæ subiectam, augebatur. Præter supradictos vermes alios obseruauit. & quidem mirabiliter artificio in saxis inclusos. Inspice sub littera N. num. 5. & num. 6. littera A C D. eos videbis ita inflexos, vt figura A C D. formatur, in qua canales extensi semper paralleli, hoc est æquilateriter inter se distantes procedunt, usque ad superficiem, vbi foramina ostenduntur in A. lapideo tenuique septo diuisa. Vbi que digitalem crassitatem non excedunt in longitudine, & vermes inclusi acum subtilem, imà setam equinam in crassitie referunt, omnino similes ijs, quos in turbinatis canaliculis supra obseruauimus. Cum autem Balanum perfectè formatum nunquam inuenire potuerim spatio canaliculi inflexi minorem, sicut nec vermem, qui parvulos Balanos magnitudine superaret, probabile videbatur vermes illos saxum peradentes à Natura perfecti posse, & in Balanos commutari, quorum dominus remoto septo in canalibus perfectè representatur, vt consideranti patet. Nec nouum in Natura profectò est, quod plures Aristoteles obseruauit: sub pluribus videlicet formis posse idem Animal quasi personatum vivere. Credendum est enim non mutata substantia à Verme Aureliam, & ex ipsa Papilionem, vel Muscam emanare, nisi suadere nobis velimus Animam pueri alias esse in Iuene aliam in fene, quod à veritate longissime aberrat.

Verum quia vniuersalem Conclusionem ex præmissis non evidenter inferre fallacissimum est, diligentiori indagine hæc perquirenda duxi. Quidquid igitur haec tenus expositum est, cum D. Camillo Pichio nobili Anconitano, Viro æquè humanitate prædito, ac solerti in rebus naturalibus accurate perscrutandis, communicauit, vt in Anconitano litora Balanorum fertiliissimo, diligenter obseruatione ad conclusionem stabilieram hæc tria perquireret. Primum: An in lapide Balanus um vermes inuenirentur, quorū cæstuli ita è superficie extenderentur, vt sine curuatura anguli in loco desinerent creni

Dum. 5. littera M. & littera N. delineauit. Deinde an Vermes viuerent etiam in faxis, in quibus Balani nunquam generantur. Denum an lapides aliqui vermis illis omnino carent, licet Balanis pleni. Humanissime ille postquam diligenter perscrutatus fuit, vigesima tertia Januarij huius anni hanc epistolam dedit.

Se la Natura hauesse in me sollevato il talento conforme il desiderio, potrei hora sodisfare con uno spiritoso discorso alle sue nobili istanze, ma non posso formare ne pure un ordinario racconto, che seruir posla di luce frà le anguste cauerne, d'un traforato sasso di Ballani. Nulladimeno per dire conforme a'dettami della mia ignoranza, approuando la sua consideratione, dirò, che frà tanti vermi, che si fabricano la casa nel sasso, non se ne troui pur uno, che non l'abbia perfettionata. E ciò è verissimo, mentre non vidi mai anche col Microscopio una casa, o canaletto, che non giungesse in giro con due buchi nella superficie del sasso. Che detti vermi sieno il principio del Ballano l'esperienza non me l'insegna, perchè in altri sassi, che pur esaminai, non vi trouai ne meno il segno d'uno di quei Vermi, benchè de'Ballani ve ne fosser di molti, e grandi, e piccioli. Hò fatto anche diligenza se in altri sassi differenti da quelli, oue sono i Ballani, sieno l'istessi vermi, e gli hò trouati. Si come hò veduto ancora molti sassi de'Ballani priui di quei Vermi chiusi, e raggrinati nel guscio, che fogliono anche trouarsi sopra le scorse d'ogni sorte di Conchiglie, e in mille altre cose del Mare, che perciò non sò immaginarmi, perchè non si debba concedere la creatione de' Ballani ne' sassi, siccome non si nega quella de'Tarli dentro i legni, e nelle Pietre. Haec tenus Vir ille præclarus non minori studio, quam efficacia Balanos in faxis generari mihi suasit. Imò cudenter comprobatum apparuit cum Balanos, vix natos, & oriza magnitudinem non excedentes, ita absconditos in faxis vidi, vt licet omnes cum superficie costringarent, paruulo foraminis in ea apparente, cauerne tamen, ubi claudebantur semper spatio maiores erant, quæ centrum lapidis respiciebant; Quamobrem æquè impossibilis exitus, ac ingressus animalis inclusi deprehendebatur, quod tutò negat recens Auctor in epistola, quam edidit circa Corpora in lapides conuersa, satis eleganti, & crudita.

Difficile verò est inuenire, an Virtus factifica, quæcunque illa

illa sit, aquis potius mista, quam saxe inclusa reperiatur. Saxe illam inesse suadent Gallæ, Glandes, & Omphacitides multæ, quæ à quercubus alijsque arboribus glandiferis producuntur. Nam cum Gallis, quas Coronatas vocant, crescit quasi ouum in earum centro clausum, & in ipso Vermis, qui in muscas mutatus ouum perforat, gallam rodit, euolatque è carcere, vbi vitam obtinuit. Hanc autem generationem arbitratur D. Redi vir celeberrimus, *in arboribus non casu fieri* (verbis ipsius vtor Pag. 240.) latinè editis Amstelodami anno 1671.) nequè à superuenientium Muscarum grauidarum semine ortum trahere! idque tanto magis, quod nulla galluzzularum est, qua vermem suum non habeat, & quænis Galluzzularum species proprias suas, & determinatas vermium muscarum, & culicum species producit nunquam variante Natura. Neque Generatio orta est ex semine à muscis ibi deposito, quoniam ex diligenti accuratissimi eiusdem Viri obseruatione, ut ipsemet ait, animaduertendum est, quod Galluzzulæ omnes semper, & constantissimè in certa quadam, & determinata parte rami nouelli nascantur: & quod Galluzzulæ minoris, quæ à folijs quercus, & sculi, aut cerri procedunt, ibidem sub fibris, & neruis corundem constantissimè nascantur, & nullam unquam galluzzulam visam esse, quæ in plano folij inter duos neros nasceretur, sed omnes infallibiliter procedere ab illa parte folij, quæ terram respicit, nullam à glabra, quæ Cælo obueritur: cum è contrario, omnes ille, quæ in folijs fagi, & arboribus quibusdam non glandiferis morantur, in parte foliorum glabra nascantur. Qua de re supponendum est principium aliquod factiferum, à quo Vermes, Musca, & Balani producantur.

Nullus autem mihi suadebit (quod ille fortasse credit) Plantas nempe non solum vegetandi virtute, sed etiam sentiendi præditas esse, qua animalia sensitiva in ipsis generata producere valeant. Scio à Pittagora, & ab Empedocle hoc sibi persuasum. Verum illud asserere potius est in scena ostendere, aut florida fabularum Vireta, aut quæ in horrida filua insignis Etruriæ Poeta finxit dicens.

*Allor porsi la mano un poco auante,  
E colsi un ramuscel da un gran pruno;  
E'l tronco suo gridò, perche mi schiante?  
Da che fatto fu poi di sangue bruno.  
Ricominciò a gridar, perche mi scerpi?  
Non hai tu spirto di pietate alcuno?*


Berni.

*Huomini fummo, ed hor sem fatti sterpi;  
 Ben dourebb'esser la tua man più pia,  
 Se state fossimo anime di Serpi.  
 Come uno stizzo verde, che arso sia  
 Dall'un de capi, che dall'altro gemè,  
 E cigola per vento, che và via;  
 Così di quella scbeggia vsciuia insieme  
 Parole, e sanguine; ond'io lasciai la cima  
 Cadere, e stetti, come l'huom, che teme.*





Poterit igitur à saxo includi Virtus generatiua, vt à Quercu continetur Virtus pariendi Muscam, aut eodem pacto, quo massa aliqua ex luto, ouis, ac feminibus compacta virtutem haberet generandi flores, & Animalia, quæ mutuata potius, quam propria appellanda esset. Hanc pro comperto habucrant multi, qui in Adriatici maris litore, ingens saxum incidentes, varias, prudentesque sententias inuicem contulere. Saxum enim, in quo Balanus generatur, nul aliud est, quam argillacea massa, siue luteum fragmémentum cum spiritibus vegetabilibus herbarium, & Animalium compositum, quod ex monte Gomero, vulgo dicto *Monte di Ancona*, in mare subiectum prolabitur. Ita in argillis valde duris vermes nascuntur, & viuant. Alij autem virtutem hanc prolificam non saxo tribuunt, sed aquæ, quæ saxum valde porosum imbuens, secum transfert spiritus Animalis vegetabiles, qui antea lato in mari vagabantur. Meo quidem iudicio veritati magis consonum esse duco, Virtutem hanc, nec ab aqua pura, nequè à saxo solo contineri. Non quidem à pura aqua, quoniam non repugnat Balanos in diuersis lapidibus gigni, cùm ubique terrarum non desint pumicea taxa, in quorum poris, & cauernulis possit humor ille recipi, coagulari, & in Balanum perfici, & tamen in Anconitano tantum, ac Tulonensi litore, vt Gaslendus refert, producuntur. Non autem à solo saxo, quod licet aqua dulci, roreque imbuunt, nunquam Balanos gignit, nisi cum in mare demergitur.

Physic.  
lett. 3. de  
varian.  
Anim.

Dicendum igitur est, Balanum toties generari, quoties cum particulis terræ primigenijs, aptisque ad illius formationem, aliæ dispositiones, & Concausæ miscentur, humiditas videlicet sufficiens, spiritus salis, & prolifici ipsius maris, qui arcano Naturæ puerperio fouentur, usque dum Vitam sortiantur. Hac ratione pariter alia Testacea producuntur in saxis diuersis, præcipue in Tarentino litore ea, quæ cùm ob saporem sint omnium



Cart: 35



nium præstantissima, Dactylorum nomine significantur. Ego ipse in multis multa inueni, sed omnia Biualvia, ac testa fragili; Quamobrem satis comprobatum agnoui Naturam prudenter semper operari, cum leui tantum armatura circumtegere suos partus voluerit, quos iam lapideo munimento contra invasiones protexerat. Insuper ex eisdem nouum argumentum sumpsi, ut crederem singulis lapidibus peculiarem virtutem inesse, à nullo quidem animali communicatam, ut inuaria ta semper generationum serie, Viventia omnino similia pro ducentur.

Irridebit sortasse mihi hæc asserenti D. Redi, qui in observationibus Insectorum constanter affirmat: nullam accidere generationem spontaneam, sed omnes, quæ videntur in corporibus anima destitutis, accidere, ait ipse, ita tamen, ut muscae ordinarie, & culices, semen antea suum eò deportarint, quo deficiente, ut alias dixi, nequè ex herbis, nequè ex carnibus putrefactis, vel qualicunque alia re, adū non viuente, quidquam nasceretur. At quo nam pacto experimentum à me pluries factum oppugnaret, nescio. Illud subijciam. Flores hyacinthinos aliquantum maceratos, & contusos in vitro vase clauso detinui, ut aliquam spontaneam generationem obtinerem: aliquarum hebdomadarum spatio eam sum assequutus; nam innumeros vermiculos in putrida fœtidaque illa massa pellucidos inueni, qui per vitrum hunc illuc discurrebant, quò magis à fundi humiditate distantes, eò viuidiores. Duorum ferè dierum spatio vitam duxerunt, deinde in Aureliam transformatis, ex illa Papiliunculus colore cinereus, quatuor alis, & senis pedibus instructus evasit, quæ omnia subiecta figura ostendit, à vulgari Microscopio aucta. Posito igitur quod à nullo animali depositum fuerit semen in vase vitro, vbi flores protriti subsidebant, dicet sortasse aliquis supra virentes flores fuisse à muscis relatum, At si hoc dicat, illum interrogo, quare à quolibet flore immò à quavis re putrescente semper vernies eiusdem speciei, & non diuersi producantur, cum æquè bene omnium vermium semina potuerint à muscis vbiique relinquī?

Ex his certis fidelibusque experimentis satis comprobata videtur Balanorum generatio, in sexis humore falso imbutis facta, manifestumque fit quidquid de Cochlearuni formatione dictum fuit capite præcedenti, & dicendum erit de Testaceis calycibus Animali priuatis, qui in arida terra inueniuntur.

Videndum in præsentia est mirandum Naturæ artificium, quo Balanus saxe viscera pérmeat, & què crescente cauerña, in qua latitat, dum ipsius moles nutritionē augetur. Certissimum primò est Balanum A. B. formari semper propè saxi superficiem, vt videtur anim. 6. lit. X. deindè longitudine, & latitudine crescente, centrum lapidis Z. num. 2. petere, à superficie X. recedentem, vbi est foramen, per quod aqua maris libere fluitat. Quod non cognoverat Aldrouandus cum dixit: *gratissimos esse palato Batanos, quia non aqua marina, sed rora quodam tenuissimo per lapidem imbibito pascantur.* Præterea errauit à veritate, affirmans singulorum nidum esse, *ad magnitudinem, & figuram piscis omnibus lineamentis respondentem.* Videre enim poterat Balanum, licet in lapide inclusum, cætacrum instar piscium natare in humore à quo immédiatè, & circumquaque alluitur, nec lapidi adhætere, in quo cauerñula non perfectè, tanquam vagina ensi, Animalis corpori corresponeat, sed, vt num. 4. figuratur, vbi A. B. pro animali supponit. Crescit autem eadem cauerñula, vt statuꝝ augentur, & fossæ, quibus per ablationem partium additur magnitudo, seu melius dicam vacuitas; quas partes Balanus ipse adimit, cam saxo hirudinis instar, adhærens parte A. valde dura, calloque simili, & semet ipsum contorquens, vi quadam à Natura ingenita, particulas minutissimas abradit laterum cortice rugoso, & aspero, atque simul sibi molem, & domum.

Huius artificij argumentum fuit asperitas quædam, quam in parte superiori latibuli animaduerti formatam à circulis luteis, prout sub X. Z. num. 2. & in fossis num. 5. qui circuli arefacti in puluerem minutissimum soluebantur, remanente superficie dura, & perfectissimè leuigata, prout notatur ab X. & P. Vestiuntur idcircò à Natura testa duplici valdè aspera in extera superficie, qua veluti scobina, denticulos acutos habente, saxum erodunt, formantque domum, quam quisque, eandem testam in argilla, vel cera molli premendo, circumagendoque, obtinebit.

Crescente igitur hac ratione domo, simul etiam augetur Animal nutritum luto, quod ex puluere saxi, & humore aquo componitur, & in quo credendum est aliquem saporem Animal allicientem inesse, quod manifestè arguitur ex arenosis excrescentis per partem E. siphoni similem, semper superficiem respondientem reiectis; materia illa hoc pacto remota, quæ Balani

progressum impediret . Nec tanquam fictitiam miretur aliquis famem , qua huiusmodi cibus ab Animalibus appetatur . Epistola enim , quam D. de Viu misit ad D. Auzout , num. 32. in Eruditorum Ephemeride notata , refert ipsum vidisse saxa cuiusdam muri propè Caen in Normandia , partem Mundi Australis respicientis , frequentibus foraminibus terebrata ; & dum causam eorum curiosus inquireret , aliquos vermes inuenisse hordei magnitudinem non excedentes . Tegebantur illi tereti testa subnigra , in vna extremitate aliquantulum subtiliori apparabat meatus ad excrementa emitenda , in altera ampliori caput exerebant , in quo oculos decem valde minutos numerauit , totidemque mandibulas , quæ instar circini quatuor pedum semper agitabant ; Nec illos erodere posse saxa dubitauit , iniurijs licet aeris , procellisque tempestatum resistentia , cum multa eorum fragmenta in puluerem subtilissimum penitus redacta conspexit , quæ simul cum huiusmodi vernibus in pixide lignea optimè clauerat . Adeò comprobatur nullam potentiam , vim nullam in toto Terrarum orbe inueniri , quæ ab alia infringi , & omnino superari non possit , dum à parvulis tenuissimisque bestiolis , vt ille ait .

*Mors etiam saxis marmoribusque venit ,*

## CAP. SEXTVM .

### De materia apta ad Productionem Testaceorum .

**S**icuti spontaneæ rerum generationes sine causa vniuoca intermedia non fiunt ad libidinem earundem , quæ velint esse quando cupido eas ad existendum alliciat , quoniam iam existent , cum esse decernerent ; Ita summus rerum omnium Opifex , qui immediatè , & solus iuxta multorum sententiam , operatur , temerè suam potentiam non exercet , verùm semper reticissimas , rationabileisque regulas obseruans , in re qualibet , licet minima , summam harmoniam reddit , omniaque conficit , in Pondere Numero , & Mensura . Tunc maximè hoc patet , cum exempli gratia , ignis accensus virtute propagandi calorem sibi communicata non priuatur , aut lapis in aere projectus ad

ter-

terram deinde suo pondere descendit. Seruat igitur in operando leges, quas sibi met ipsi imposuit. Quamobrem tunc formam substantialem materiae donat, quando dispositam ad recipiendum eam videt, iubente lege iam statuta: introducendas semper esse dispositiones ante rerum generationem, quem tanquam pedissaeque Domum preparare tenentur, in qua Forma substantialis est permansura. Diuersimodè verò talis preparatio fit, & iuxta exigentiam formæ introducenda, sicuti diuersus est apparatus conueniens mulierculæ ab eo, quam Reginæ dignitas requirit.

Cum autem Natura, & eiusdem Author veluti Artifex insignis operetur; sicuti hic, non ex eodem metallo format enses, & sceptra, coronas, & galeas, ita ille materiam ad rerum generationem eligit aptiorem, magisque dispositam, ut alicuius Videntis forma illi donetur. Indicata igitur causa, ex qualitate diuinæ Dignitatis iniuria possunt Cochlearum Testæ, quæ potius lapideæ dicendæ sunt ex humo, & aqua compactæ, cum lapidis definitione circumscribantur. Eam si ex Aristotle defumas, vbi ait: *Lapis non flectitur est friabilis, non recipit impressiones, non est ductilis.* Omnia hæc Cochleis conuenire videbis.

4. Meteor.  
c 9.

Solum humorem aqueum aliquo coagulo concretum illas esse aliquis existimauit, sed falso: Glacies enim, semper in aqua supernatæ, descendunt verò Cochlearum Testæ, quæ potius lapideæ dicendæ sunt ex humo, & aqua compactæ, cum lapidis definitione circumscribantur. Eam si ex Aristotle defumas, vbi ait: *Lapis non flectitur est friabilis, non recipit impressiones, non est ductilis.* Omnia hæc Cochleis conuenire videbis. Verum quia alteri etiam conueniunt, nempe Terræ, quæ puræ non flectitur, in puluerem redigitur, impressiones non recipit, nec liquari vlo modo potest, & tamen lapis dicensa non est; Fallopij definitionem adduco. Obseruat hic Auctōr oppositionem quandam in rebus. Terræ videlicet, quæ humido liqueficit, non calore, opponi metallum, quod non ab humido, sed à calore liquatur; & quia corpus aliquod est, quod liquatur à calore, & ab humido, vt sal ammoniacus, sic (ait) dandum est aliquid, quod nequæ ab humido, nequæ à calido emolliatur, nempe saxum, quod idem de Testaceis est affirmandum. Si igitur cum saxo conueniunt, promiscua erit materia, dispositionesque communes, & axis, & Cochleis, quibus solum adueniens copiosior humor ad formationem Videntis inseruit, vt infra constabit.

Ad

Ad lapidum autem formationem docuit Aristoteles necessariam esse Materiam quandam, quam vocat *lutum lenthum*, compositum ex tenui terra, & aqua, quæ, frigore superueniente, cogitur in duritatem; aut aliam, quæ dicitur *succus lapidescens*, vel quia calor extrinsecus expellat totum humorem, à quo lapidis concretio impediretur, vel quia in ipso insit quædam Virtus congelans, siue distincta sit, vt in seminibus arborum, Virtus propagatiua, siue cum ipsa materia mixta, iuxta Alberti Magni doctrinam, quam Georgius Agricola diligentissimè perscrutatur. Ut lapides inde, & Cochlearæ generentur stultè opinata est Democritus in materia tali modo præparata animam eorundem agere, quasi à calore superueniente expergefactam.

Ea quidem ab agente extrinseco perficitur, quod agens æquè bene potest esse frigus, & calor, vt docuerunt Plato, Theophrastus, & Aristoteles, calor inquam, non quidem nimius, nè in puluerem redigat massam illam luteam, non modicus, quia debet humorem exsiccare (ne iterum humido liquefaciat) & debet concoquendo, lapidem perficere, vt in fornacibus lateres, aliaque similia, qnæ tantam induant duritatem, vt à Chalybe percussæ ignem emittant, veluti silices. Hoc idem notauit Imperatus in terra vulgo d'Ischia, & egomet in porcellanis similibus, non sine amicorum oblectamento expertus sum, imò etiam in Cochleis Venereis, quæ ex mari Mosambiquensi acceperamus. Quod si frigore ea materia induretur, expelli debet totum humidum nè calido iterum fluat, vt metallum, fccarum candidum, & glacies, in quibus remanet humidum à frigore concretum ideoque lapides dici non poslunt.

Generatur itaque in tali materia forma substantialis lapidis, & Cochlearum, quarum testa durissima est, si materia, valdè densa optimè exsiccatur, fragilissima verò, si humore careat; aut si humorem habeat, coctura non perficitur. Vocatur hæc eadem materia à Philosopho, vt diximus, Succus Lapideus, eo quod ex humida lapideaque substantia componatur, vel quia Deus talem produxerit, vel quia in maris æstu paulatim è saxis minutissimæ particulæ abraduntur cum terreis exalationibus mistæ. Talem humorem, & succum subtilissimè notat Agricula valdè differre ab aqua, quæ particulas lapideas secum detulerit, cum à calore per coctionem aptam, aut alio coagulo densitas aliqua illi sit inducenda, qua si careant argillæ, ineptæ erunt ad lapidum, & testarum productionem, & sicuti non omnis fert

Lib. 4. de  
ortu, &  
causis sub-  
terr.

Sect. 14;  
probl.

probl. 11.

*Fert omnia Tellus*, ita non in quolibet maris sinu Testacea producuntur.

Si autem de tali coagulo sententiam latiri essent Chimi-  
ci, sal esse dicerent, quo putant condensari quidquid gignitur  
à Natura. Verum quia humores singuli cum sale mixti, indu-  
rari non possunt, imò in generatione Cochlearum putandum  
potius est, sale separato, formari Animal testa inclusum, quod  
argui potest ex sapore salis, & virtute soluendi viscera, quæ  
propria est salis, vt cum Galeno notauit Cornelius Celsus;  
ideo aliundè Testarum durities probabiliter deriuatur. Ut  
tamen ipsorum genio indulgeamus, illum esse Nitrum potius  
existimo; humorum enim coagulatio ex eo facilè obtinetur:  
idcirò fortassis Ægyptus Testaceorum fertilis Regio est, quia  
aquis Nili nitrosis imbuta, magnam nitri copiam subministrat,  
ex quo vasa aliaque multa Incolæ conficiunt. Habentenim  
testæ virtutem restrictiā, refrigerantem, & absteruentem,  
quæ omnia Nitro conueniunt, ideoque in puluerem reda-  
ctas, docet Galenus applicandas Cicatricibus, Ulceribus, &  
Ambulis. Quod si verum est, vt Plinius affirmat, nihil gen-  
rari, nihil enutrirī à Nitro, dicendum probabiliter est, ex hu-  
more illo partem magis aqueam ad formationem, & alimen-  
tum Animalis separari, partem verò magis terream, & nitrosam,  
vt Testarum fabrica conficiatur; sicuti ossa iuxta sententiam  
Aristotelis, ex partibus terrei alimenti habentibus admistum  
humorem, generantur, cùm virtute caloris interni exsiccatur humili-  
dum, & quia, que calore concrescunt non dissoluuntur igne, ideo  
nec ossa.

Talem humorem, qui facilè in lapides cogatur non solum  
in esse telluri, sed præsertim aquæ: innumeris penè historijs, va-  
rijsque experimentis comprobatur. Aqua Stygis apud Nonacriam,  
ait Seneca, si bibatur, ob gypsum mistum viscera obtu-  
rat, quare Poeta de flumine illo dixit:

----- *Quod potum saxeas reddit.*

*Viscera, quod tactis inducit marmora rebus.*

Apud Augustam guttae cadunt è crypta, quæ in libero aer  
indurantur. Propè Ambergam, Rhodum, & Tibur in aquis Al-  
bulis, paludeque Reatina saxum pariter generatur. In quodam  
fonte refert Strabo florum corollas statim lapideas cuadere,  
si in ipsum mergantur, Auesque volitare amplius non posse, si  
alæ eiusdem aqua madefiant. In Musco Vvornianio legitur  
Chiro-

Lib. de  
comp. med

De Gener  
c. 4. n. 26.

Ouid. Me-  
tam. 15.

Pag. 78,

Chirothecam Friderici Imperatoris vna parte pelliceam, altera lapideam fuisse, huiusmodi aqua madefacta. Quod si haec, & similia tanquam commento excogitata negentur, verissimum fine dubio est circa palos, qui ad struendas domos Venetijs in fundo maris figuntur, videri ( vt Falloppius refert ) *striae lapi-*  
*dosas quæ sunt ratione succi lapidei, & prout est magis, vel minus* Cap. 7*i*  
*purus, varios lapides generari.* Hac de causa in Mari corallia  
*virescunt, quæ, si optimus sit succus, & perfectè mixtus, sunt*  
*densa, si impurus, spongiosa: Componuntur etiam Alcionia: imò*  
*quouis humore, generari Nitrum, salem, & lapides, qui sub aqua*  
*concrescunt. docuit Aristoteles.*

Huiusmodi lapidifica Metamorfosis, qua multa possunt in lapides abire examinanda ulterius hic esset, sed de hoc alibi. In praesentia dictum sit satis de eo, in quo Testacea conueniunt: Ad videndum in quo eadem præcipue discriminantur progediamur.

## CAP. SEPTIMVM.

An Cochleæ, quæ in Terra inueniuntur, Lapidès Terrigenæ sint, in quamdam imaginem Cochlearum figurati, an potius in Mari generatae.

**A**n equam copiosam Cochlearum varietatem perlustremus. Questionem, quæ multorum ingenia fatigauit hic reuocandam duxi; Non utique, vt eorum sententias discutiam, cum id à multis nouissimè factum esse sciam, sed vt eas coram Lectoribus sistam. Inquirunt Veteres Recentesque Philosophi: An Testacea possint in Terra generari, an potius omnia primum in mari producta, deinde hac atque illac dispersa in arida tellure vitam amiserint. Loquimur enim hic de Testis finè Animali sensituò è Terra defossis, non de viuentibus testa circumseptis. Quarum multa in Terra generari haud dubium est.

Nulli quidem latet innumeras ferè Cochleas, & Conches sub terra varijs in locis delitescere. Præter aliorum paginas,

4 Meteor.  
C. 3a

qui hoc affirmant , adeat Niloscopium Beccani , qui scire vult loca , & regiones Testarum fertilissimas . At certum aliquid iudicare haud possunt Viri rerum naturalium studiosi , an istæ videlicet figuræ Cochlearum in lapidibus è testis marinis verè orientur , quod plerique volunt , aut sui generis lapides perpetuò extiterint , & cum ipsis montibus nati . Falsum hoc putat

De solidō  
intra solidō  
pag. 54.

Vir præclarus , ac Præsul in Dania D. Steno , qui terretres Conchleas in tres Classes diuidit , quarum duas in mari natas affirmat , aliam verò humi ; Earum prima illas continet , quæ cum marinis omnino conueniunt , altera eas , quæ solum differunt pondere , vel graniori , quia (vt ille ait) *succo ascitio replete* , vel leuiori , quia *illarum pori leniorum partium expulsione ampliati sunt* , idcirco in lapidem , aut in calcem conuertere . Tertia demum eas , quæ sola figura marinis assimilantur , quarum aliquas aeras vocat , quia nempè marinatum Cochlearum testis vi succi alicuius dissolutis , spatiola eisdem respondentia inter glebas remanent aere plena , in qua , introducto humore , seu materia lapidescente , formatur Cochlea aliquando gypsea , interdum cristallina , aut similis , quæ verè Cochleæ non sunt .

Aliqui verò cæcutientes , & liberè , prout ingenij propensio extimulabat philosophantes , nimis facile tanquam verum pronunciarunt quidquid opinabantur , licet falsum ab experimentis comprobatum appareret . Nonnulli à coatra sensuum ductui omnino fidentes , fallacia , & insulsa argumenta esse iudicarent , quæ intellectus , incertas à certis illationibus prudenter deducens ad veritatēm stabiliendam speculabatur : ytrique , mea quidem sententia , in scitiaz tenebris inuoluti . In rerum enim naturalium , & abditarum perscrutatione sensu vtendum est , quo comite intellectus tutum sibi gallem aperiat , in quo deinde ex una re cognita ad aliam gradum faciens , veritatem demum teneat in profundo latitatem ; alioquin errabit profecto , aut canis instar ab Æsopo descripti præda carebit , dum eam putabit habere .

Aristoteles autem eandem quæstionem agitans , sciens Ægypti Regionem Conchilijs plenam esse , maris eicitamenta illa credidit . Ea enim Regio mari Rubro subiecta aquarum illu-  
sione pluries sub vndis iacuit , quibus siccatis , testarum ingens copia subsidit in arida , inquit Philosophus , ex quo Sesostris dicit mare Rubrum altius esse Ægypto , atque ea de causa , fossam è mari Eritreo in Nilum non duxit .

Inſu-

Insuper maximam partem Ægypti ex Nili alluione excreuisse contendit, eam præsertim, quæ à montibus memphiticis ad mare usquæ exporreæta, fluminis incrementis, latè irrigatur. Atque hinc iam effici, ut nequæ flumina ylla sint perennia, nequæ semper Mare alipuod fuerit, quod nunc mare esse cernitur, sed vicissim modo mare, modo terras eadem loca fieri certis quibusdam temporum conuersationibus, quibus nunc maximi humores alijs, atque alijs locis existant. Ita Tanaim, & Meotida paludem, & ipsum etiam Pontum exiccatum iri, atque similiter omnia permutanda in temporis duratione. Hæc & huiusmodi plura Aristotelis partim ex Herodoti de Ægypti historia, partim de Platonis Atlantide Insula videtur haufisse, quæ Oceani illunie sub aquis iacet. Non est igitur mirum, si Ægypti Regio nil aliud esse videatur, quam Testarum coagmentum, si Delphinum, & reliquorum piscium exercitus statio quondam fuit. In hanc sententiam inter Veteres Strabo, & Plutarchus descendunt, sed multo certè prius Eratosthenes, qui sibi suasit plurimis in locis Concharum, & Ostreorum ingentem multitudinem cerni, & præter hæc salbos etiam illacis inueniri, quia ibi maria fuerunt, vti sit circa templum Hammonis, & in ea, quæ ad illud dueit via, quæ ipsius testificatione longitudinem habet trium millium stadiorum. Ibi enim plurimam Ostreorum colluuiem esse scimus, & propè ipsum etiam nauium maritimorum fragmenta monstrari. Hisque inductus Eratosthenes Stratonem phisicum, & Xanthum, Lydum laudat, qui existimarint ipsum Hammonis templum prius propè mare stetisse, ac deinde, mari defluente, iu Mediterranea regione manisse,

Ex impetuosis hisce marium inundationibus effrenatam quandam philosophandi licentiam tribuit Aristoteli, licet suo præceptoris, Olympiodorus inter Interpretes eruditissimus, eiusque effata in somnis excogitata credit ad tuendum quidquid de Conchylijs opinabatur, falsumque esse, omnes regiones, vbi Conchyliorum testæ inueniuntur, sub Oceano latuisse. Ventorum potius impetu arguendum est (inquit hic Auctor) ablatas fuisse è littoribus, ac in varijs Mundi plagiis dispersas. Quis enim, si ventorum vis stateræ appendatur, hoc fieri posse negabit? Nonnè domus integræ, Surio referente, à fundamentis separatæ visæ sunt in Germania aliò transferri vehementi ventorum impulsu, eorumque flatibus magnas træbes Templo

Moguntino ablatas, per aerem volitasse, quasi pennas haberent,  
à Conrado Argentino accepimus.

Huiusmodi argumentis inducti Prisci illi Scriptores, alios sibi pedaneos, qui de Conchyliorum origine fusè tractarunt in eadem sententia stabiliuere. Verum, ut candidè loquar, utrosque à recto veritatis tramite aberrasse iudico. Quia nam enim repentina Ventorum procella, aut siderum impressione, huc illucque olim mare discurrens, Provincias, & Regna, longo licet interuallo diffusa, unico quodam haustu potuit absorbere? Illud littoribus circumuallatum fuisse ab Auctore Naturæ pro comperto est, in quibus indelebili charactere præceptum posuit, cum diceret: *Hic confringes tumentes fluctus euos, eique semper, licet fluctuantium undarum impetu violenter exagitatum, paret, ac ut cum Basilio Seleucensi loquar, Curuatis fluctibus termini Positorem adorat.*

Non igitur Venti, quorum flatibus leues Conchulae à loco vbi iacent vix eleuari videmus, neque Oceani Procellæ adeò copiosam Testarum segetem in varijs Mundi Pelagis disseminarunt. Harum enim multæ, sicuti summi Alpes, nunquam sub Oceano latuere, attamen in illis Conchæ, & Ostreorum testæ inueniuntur. Quod equidem cùm aliorum relatu, tūm experimentis diuersorum sum edocitus. In altissimis Tessaliam montibus eas esse Solinus narrat. In arduis Calabriæ rupibus inuenit Alexander ab Alexandro, & alibi multi. Quamobrem a diluvio universali delatas affirmarunt, ut cæteros taceam, Calceolarius, Maffeus, Orosius, Columna, & Imperatus, quod referens Ouidius ait.

*Vidi ego quod fuerat quondam solidissima Tellus,  
Esse Fretum, vidi factas ex aequore terras,  
Et procul à Pelago Cónchæ iacuere marinæ.*

Vnde Tertullianus hoc idem sibi persuadens, subiungit; *Adhuc Maris Conchæ, & Buccinæ peregrinantur in montibus, cupientes Platoni probare etiam ardua fluitasse.*

Verum quia ex Fracastorio, & Cornelij à Lapide doctis Commentarijs accipimus Vniuersum Terrarum Orbem haud iacuisse sub marinis aquis, sed sub cœlestibus, cum catharactæ Cœli apertæ sunt, inferendum necessariò est, eas ineptas fuisse ad tantam Cochlearum copiam generandam, quia dulces; Et quamuis falsis fluctibus additæ, quis tam facilè inferet Cochleas ex imo fundo Oceani in summos montes peragrassæ, quò qua- dra-

draginta dierum spatio, quibus sub aquis Terra latuit, vix Delphini, & Phocæ peruererunt? Earum enim motus, quo progrederi alio possit, vel nullus est, vel adeò tardus, vt in Ignauia simbolum adducantur. Neque emortuis Viuentibus vacuas testas in adeò locorum excelsa fluctibus asportari potuisse notat Ioannes Quirinus, imò docente S. Augustino: *Vniuersa, qua in aquis viuere possunt Diluuij plaga non terigit, qua terrena tantum mortificauit, ex ea nempe ratione, quod Deus Terræ maledixit, non piscibus, & aquæ, quoniam per aquam diluere maledictionem illam parauerat, quod in diluvio est factum. Aquatilia, enim maledicto vindictæ non succumbunt, quia in maledictionis participatione non sunt.*

De mirabili lib. fac. Script. l. 1. c. 4.

Scio equidem impudentis esse, non confiteri aliquibus in locis mare aliquando fuisse, vbi Conchylia inueniuntur. Ulò concedendum hoc est; sed negandum de omnibus. In Alpibus enim Tridentinis cum Ioannes Goropius Beccanus perpetaret, altissima quoque montium cacumina vtroque pede uncis innixo, & manibus pinnato baculo gressum firmantibus, & ipse conchas inuenit, & ab ijs, qui Capricornos, siue Ibices, & Damas insectantur didicit non raro inueniri. Et crebrius haud dubiè inuenirentur, si lapides æquè illic, atque in infimis locis exciderentur. Nunc cum vestra illinc nulla esse queat, nulla est lapidicina, nisi cum arces ex ipsis rupibus excauantur, angustis præcipitijs, & capreolorum semitis, vel funibus subeundæ. Cum igitur eiusmodi testæ internis, vel terræ, vel faxorum visceribus delitescant, & in summis Alpium rupibus raro in terra tearentur, non potest fieri, vt illic crebro videantur. Videntur tamen saxis torrentium vi derasis, vel immanni gelu, magnè tonitru diuulsis, vel fulmine, turbine, aquarumque violentia præcipitatis, aut disruptis, vel alia vi quapiam naturæ dehiscentibus, quibus fiat, vt quæ intus condita fuere prodantur. Apud Limburgos, Leodios, Chondrusos, Namurcos, Hannonas, Atrebates, Tornacenses, & alios multos, à quibus, vel marmora, vel alia lapidum genera aduehantur, non parua est testarum copia, & Varietas. Vidi ipse in marmore cæruleo solidissimo pectines multos, & ipsorum sedem ita affabré delineatam, vt nihil ars simile posse videretur. Vidi in silice durissimo tot Conchulas totas lapideas, & conclusis valuulis integras, vt magna cura, & arte ex illis fuisse camento aliquo compactus videretur. In suburbano Parisiensi agro, qui su-

per-

pernè copiosa fruge luxurians, subtus cauus magna sub parte, est, & vehiculis peruius, inueniuntur testæ non paucæ turbinum, elegantissimo ordine, & tortæ, & tuberculis insignitæ, atque ita omnibus modis perfectæ, vt nihil præter viuum pisiculum ad integratatem desit. Videlicet sub Veronensibus montibus Saraina quum Veterum monumenta scrutaretur; ibi namque reperiebantur: *Echini lapides, Paguri, Conche, Cochleæ, Ostrea, stellæque, Pisces, auium rostra, & id genus alia passim multa.* Videlicet etiam Antuerpiæ quibusdam in locis postquam ad aquam subterraneam fodiendo ventum est, magna quadam crusta ad duos circiter pedes crassa, aliquando etiam tenuior, quæ tota est ex huiusmodi varia Conchyliorum congestione coagmentata, quasi vena lapidis, aut marmoris esset. Nec certè in Mari, aut litore tanta congeries Concharum nullibi visa est, vt frustra somniemus ita paulatim, mare recedente, fuisse congestam. Nam si hoc ita evenisset, cerneremus adhuc in Zelandiæ, & Flandriæ littoribus tantæ crassitudinis congeriem iacere. Non igitur magis ibi mare fuisse credendum est, quam in lapidicinis Megarensum, è quibus lapis eruitur, Concharum marinorum congerie compactus, & candidus, qui ab ipsis Conchides appellatur. Quod si à mare ille originem duceret, in Piræo potius inueniri deberet; & tamen cum tota Græcia varijs promontorijs mare amplectatur, nusquam tamen Conchis affluentior, quam Megaris inuenitur, vbi Megarius ille lapis adeò solidè componitur, vt Caris Phoronei filij sepulchrum, & alia opera ex eo facta fuisse Pausanias testetur.

His enumeratis, Questionis solutio non ex historiæ monumen-

ti petenda est, sed è Philosophiæ penetralibus, ad quæ rapiendi sumus hac mirabilium rerum consideratione. Aristotelem prius

Tom. 4. Mauri pag. 580, n. 2. audiamus, qui lib. 3. de Gen. c. 11. Testacea, inquit, ita se habent ad Aquam, sicut Plantæ ad Terram, ideoque Plantæ possunt vo-

cari Testacea terrestria, Testacea possunt vocari Plantæ aquatiles.

Non tamen inde inferendum est: lege inuiolabili semper Plantas à Terra produci, vt à Mare gigni non possint, sicut multa, quæ sub aquis vivunt, in telluris gremio etiam fountentur. Hæc enim pari fecunditate ditissima est, ac Mare, in quo præter innumerata penè agmina Crustata, Squamosa, atque Testis inclusa, multi frutices germinant, & Plantatum species. In eo enim crescit Herba quam Lumbricaram vocant, crescit pariter, quæ dicitur Lanuta, crescit Capillaria, Forcellata, Tremula, Palmifolia.

folium , & alia crescunt vegetabilia lapidosa substantiam habentia, ut Corallia , Millepora , Materpora , Porus Ceruinus , Frondipora , Retepora , Tubularia , Muscus Petrosus , & alia . Imò , sicuti inter Pisces ( ut notat Elianus ), sunt *Leonum* , *Arietum* , *Panterarum* , & *Equorum* effigies, insuper stellæ , & *Piscium genera* animalium formas referentia , ita pariter humi diuersi gignuntur lapides , quibus , vel Plantarum , vel Animalium membrorumque diuerorum effigies exprimitur . Inter eos singularis est Lapis Cissites , qui nomen trahit à Camecisso , id est hædera , cuius folijs assimilatur , lapis insuper Rhodites sic datus , inquit Boetius , à figura Rosæ , sicuti Stilicites à stipite , Amigdaloides à nucleo amigdalarum , Bucardia à corde bouis , Ophites à serpente , Fungites à Fungis , & cæteri innumeri quos Gesnerus recenset ubi tractat de figuris lapidum , & Ambrozinus recitat vna cum lapidibus quos Cephaliten , Carditen , aut Persicaten , à figuris videlicet , quas referunt , appellat . Olaus Wormius , vt refert in suo Musæo , possedit lapides luteos , qui pectus cancri exigui referunt , quorum pars exterior ieuis , & lubrica lineis albis , iuncturas costarum in cancris referentibus prædicta . Vocantur tales lapides Carcini , non aliter , ac datur Amigdaloites à forma amygdali , Botrytes ab incipienti botri similitudine , Pisolithes à Pis , Sicytes à figura ficus .

Neque omissa à nobis sunt ossa illa enormia , quæ Gigantum fuisse vana hominum ingenia crediderunt , ac ab aquis , virtute lapidifica impregnatis , in lapides indurata . Huc reuocanda estet Quæstio , qua queritur . An Virtus lapidifica Terræ insit , ut medusæo quodam dominatu , non fabulo , sed vero , omnia valeat in lapides transformare . At nè extra Chorum diuagemur , supponenda tanquam vera , ac experimentis comprobata ; quamobrem lapides multos , membra humana , arborum fructus , & alia referentes , primùm vera membra veterisque fructus extitisse , mihi persuadeo : de omnibus tamen cuiuscunque generis ossibus , quæ passim in subterraneis fossis inueniuntur negandum est , sic de cornibus incredibilis longitudinis , quæ monocerotum esse dicunt . Quid autem de hisce fentiendum sit paucis exponamus , & quidem quod ad Gigantes spectat , refragante Sacro Textu , ut negare non possumus , ita quoque non nihil communi famæ concedendam est , quam de Gigantibus variæ apud Auctores relationes , veluti iure suo

Lib. 16;  
c. 18.

Lib. 2. c. 13.

Lib. c. 16 suo fidem legentibus extorquent. At fabulosum existimo Gy-  
 gantem illum, quem Plinius asserit in Creta, rupto monte in-  
 uentum quadraginta sex cubitis altum. aut aliud corpus huma-  
 num, quod Fulgosius in Plutarcho affirmat inuentum Tingi  
 Mauritaniae in Urbe, & dimensum sexaginta cubitos impleuisse;  
 Lib. 8i Tandem, ut multos omissam, quos Kircherius in Mundo  
 Subterraneo refert, falsum existimo quod omnem admiratio-  
 nem superat narratum a Boccaccio, repertum nempè in Erice,  
 In Deořu monte Drepanitanae Urbi proximo, hominem sedentem, tantæ  
 Gen. c. 68, altitudinis, ut prægrandis nauigij malum ducentis cubitis lon-  
 gum excederet. Quærendum hic esset num verisimile saltem,  
 Naturam carneas moles tam vastas producere potuisse, &  
 an corpori excedentis magnitudinis repugnet corpus organi-  
 cum maius, & maius in infinitum, sed ut breuitati consulatur,  
 adnotasse sufficiat: à Natura, ut potè sagaci, sicut omnibus ani-  
 mantibus, ita & hominibus ad actiones suas probè obeundas  
 determinatam corporis magnitudinem constitutam esse, ut  
 quidquid ultra eam fuerit, merito monstrosum videri queat.  
 Fabulæ itaque sunt, & anilia deliramenta quæcunque de hu-  
 iusmodi proægiosæ magnitudinis gigantibus produntur: Hoc  
 Mund. satis dilucidè comprobat, quod Athanasius Kircherius de se  
 Subter. 18 ipso refert; Certe, inquit, cum anno 1637. Drepani morarer  
 sect. 2i multum sanè cum peritis de huiusmodi inuento monstra Gigantis  
 quasi, criptam montis intraui, ubi dicebatur inuentum fuisse  
 cadauer. Sed nihil horum quæ de vastitate specus supra allegati  
 Autores tradunt, referi; imò vix puto altitudinem triginta  
 pedum, quantam memini, confluisse, nequè mihi unquam, aut  
 pedes manusque, aut cranium, similiaque membra, ex quorum  
 proportione ad ordinary hominis membra facta, in notitiam  
 vere quantitatis predicti gigantis denenire sperabam, exhibere  
 potuerunt, qua partes organizata, uti desint, ita quoque verita-  
 tem rei suspectam faciunt.

Lib. 1. Reg. c. 17 Verum igitur est quod ipsa Sacra Scriptura testatur: videli-  
 cet Goliath altum fuisse palmis nouem supra decem. Verum,,  
 quod Historiæ referunt de celebri Viro Lusitano minori qui-  
 dem statura, non impari viribus, Ori enim admoto manibus  
 pomo, ex eo ita commodè dentibus frustula carpebat, ut manus  
 remoueri nihil possent, decem licet baiuli toto conatu trahendo  
 duplice fūcem illis alligatum, enixè laborarent. At huiusmo-  
 di vasti corporis homines, quia admodum rari idcirco omnia,  
 quæ

quæ in c̄riptis inueniuntur ossa , siue dentes , siue tibiæ , siue costæ , non Gygantum reliquias , sed opus esse Naturæ in subterraneis locis generatum firmiter tenendum est . Terrarum Orbem perlustra , in Palatinatu non procul Spira , costis , aut fœmore humano similes lapides inuenies , item propè Heidelbergam Saxoniz , eruuntur saxa ossium instar rotunda , quorum alia forma cranij humani , alij mali persici figuram exprimunt : alibique passim tanta eorum seges inuenitur , vt ibi esse , non possit , nisi exercitus Gygantum , & quidem miræ magnitudinis , quæ ossium molli responderet , antea extitissent , quos certè nullæ veterum historiæ commemorant , nequè à maioribus traditum est Nepotum Posteritati . Exercitus pariter Gygantum extitisse necesse fuit in cauerna illa in quam Panormi Illustrissimus Marchio Carolus de Vintimiglia , Vir eruditissimus , nec non exactissimus Siciliæ historicus introduxit P. Athanasium Kircherium , eique magnam ossiam huiusmodi copiam ostendit . Rem totam ex eodem Kircherio audiamus . Me duxit ( ait ille ) ad locum tribus ferè passuum millibus Panormo distatum , quod mare dulce vocant . Erat ibidem ingens montis Promontorium , & è regione foramen prægrande per quod in obscura immensi specus latibula patebat aditus : descendamus , inquit , cum monstrabo tibi , mi pater , quantum Natura in similibus humani corporis membris effingendis possit , accensisque tædis , famulis præcuntibus , ingressi sumus longissimi tractus antrum , & cum iam aliquantulum intima penetrassemus ostendit mihi in sinistro antri pariete , longè latèque exorrectum , mirum Naturæ opus : Pariter dentes referebat paruos , medios , maximos , & excessiæ magnitudinis ea serie , qua Natura maxillis Animalium inserere solet , infixos , tanta copia , vt centum carros , indè onerari posse facilè crediderim , tanta animalium dentium similitudine , vt vix hos ab illis distinguere potueris , supra quidem candorem pellustrem , inferius v. e radices mostrabant acutas , omnes tamen in lapidem solidum conuersos , tum ecce ad me Vir Illustrissimus ; Hi sunt dentes , quos nonnulli Impostores hinc exemptos , pro Gygantum , aut Elephantorum dentibus imperita plebi vendunt . Sed non stetit hic mira Naturæ industria : vtterius progressi in subterranei cuniculi parietibus , nescio quæ humiorum membrorum lineamenta intuiti sumus ; nunc enim Tibiarum protuberabant formæ , modò vertebrarum genuumque vestigia , nullo tamen

ordinis nexu spectabantur, videbantur quoque nonnulli tumores argillacei ingentes, qui excisi ex vna parte os genuum, ex altera concavitatem relinquebant, caluariæ haud absimilem: Vnde luculenter admirabilem Naturæ in ossibus, aut ossibus similibus faxis formandis industriam primò cognoui. His addendum est discrimen, quod idem Auctor comparata horum ossium symetria, cum humanis, obseruauit esse inter ossa vera, & à Natura minerali producta, quod illa semper tibiarum canales, fistulososque meatus olim medulla refertos retineant. hæc verò solidum lapidem sine villa Tibiarum concavitate mentiantur, & talia sunt ossa lapidea, quæ in multis Musæis exhibentur, quare illa purum Naturæ opus credenda sunt.

Ex hac certa rerum inductione, rationi & que, ac experientia consentanea patebit profectò quam legitimè inferatur Conclusio, in qua asseritur etiam Testacea posse sub Terra generari. Inter cæteros id affirmat Gassendus, cum Natura, inquiens, eadem *ubique sit, & rerum omnium semina ubique contineat, lapides efformat ex succo idoneo in medijs continentibus, referentes externa specie Conchas, & Pisces, quos procreare eadem solet in medio, ac diffuso mari.* Ex eo quod, ut idem Auctor probat, humore falso Terra non careat apto ad eorum generationem, eoque vel à mari per secretas rimas mutuato, vel à fossis aqua repletis, in eiusdem visceribus subsidente; deinde in probationem adducit, quod ex Asclepiodoro Seneca narrat, *Demissos videlicet quamplurimos à Philippo Macedoniae Rege inter metallum antiquum olim destitutum; vt explorarent, qua libertas eius esset, quis status, an aliquod futuris reliquisset vetus auaritia descendisse illos cum multo lumine, & multos durasse dies, deinde longa via fatigatos vidisse flumina ingenzia, & conceptus aquarum inertium, vastos pares nostris, nec compressos quidem terra supereminente, sed libera laxitatis non sine horrore visos.*

Natura nunquam otiosa ibi res format, vbi aptum humor inuenit ad earum concretionem eoque progreditur, quoad eius materia patitur, ultra progressura, si loci, & materia inopia non excluderetur. Antuerpiæ Latomus quidam viuum bufonem in medio marmore inuenit, noui aliundè quidem generationi, nisi ex apto humore marmori inclusio. Argenteam arborrem à se visam in fodinis refert Fabri, ex qua virtutem omnium productuam, quamvis loci angustijs, vel materia inopia impeditam ubique inesse arguit. Non est igitur mirum Testas in-

Physic.  
lect. 3.

5. Nat.  
qualit. 15.

Tom. 2.  
physic. sec. 1.  
q. Membr. 1.  
lib. 3. c. 7.  
de Lapid.

monti-

montibus summis inueniri, minùs verò mirum in illis inueniri, in quibus falsugo aliqua est marinæ falsugini compar. Similis enim materia ad formas tales recipiendas est apta, multisque in locis reperitur. Adde aquam maris cum sale misceri, vnde detergit roboretque valde ventriculum. In sale insuper nitrum inesse deprehenditur, quia validius quam salsa aqua mista cum eo soluit ventrem, subuerit stomachum, & facit nauseam. Vnde inferendum est in multis regionibus, vt in Ægipto non saluginis modo, sed nitri etiam feracibus non mirum esse Conchylia generari, sicuti generantur in subterranea arena, quæ loco, & Natura marinis vadis respondet, cùm ea temperamentum quoddam liquoris marini exugat, Oceano in Terras sursum per omnes canales magna vi irruente. Hinc igitur deducitur quo pacto lapides in aquis generentur, vt Aristoteles docet, & cauis subterraneis, & maximè ei arenæ, quæ proxima est aquis per Orbem Terræ subtus meantibus, liquor quidam communicetur, qui Conchyliorum figuræ facile induit, vitam etiam accepturus, si locus viuum pisciculum alere posset, aut etiam, vt putat Grandi, quia in diuersis Oceani alluionibus quoddam prolificum Testarum semen Terræ communicauerit, non autem quia, vt Recens Auctor asserit, Conchyliorum primigenia particulae fortuitò coeientes illorum formam constituant. Somnia hæc sunt Athomistarum.

An autem primum Testæ formentur, an potiù s cum ipso Animali nascantur, non vna est inter Auctores opinio; Grandi, quem supra citauimus Testarum calices ante Animal generari affirmat; domus enim, vt ipse ait, constitui debet antequam habitetur, quæ vtique perfici poterit ab ipso Animali, non autem fundari. Huic sententiæ fauere poterit, quod in minutis Conchis biualibus pluries adnotauit. Lenticulæ magnitudinem illæ non excedeant, Testarum valvis ita perfectè coniunctis, vt etiam cultri acie aperiri difficile possint, vacuæ tamen, & sine vlo animalis vestigio semper inuentæ, idcirco argumento erant nullum adhuc Animal ibi fuisse generatum. Verum quia inter arenas, & lutum è maris fundo acceptum, plures, & quidem minutissimas Conchulas, ope microscopij deprehendere potui animali fœtas, clarius innotuit generari Testam simul, & Animal, cuius cadauer in Superioribus non apparebat, eò quia extra mare humor ille muccosus, quo formabatur, nes dum in callosam substantiam obduratus, penitus

4. Meteor,  
c. 3.

De verit:  
diluuij v-  
niuers.  
Ioaunes  
Quirinus  
de fullib.

exeruerat : Testaceis enim Conchæ haud quidem parandæ sunt, vt domus, verum putandæ veluti eorum pars constitutiva, vt cæterorum Animalium ossa, à quibus si diuellantur, illicò vitam amittunt.

Tract. de  
fossilib.

Lib. 3. de  
gener. capo

Putat Falloppius Testacea omnia, quæ sparsim in Terra inueniuntur cum Animali inclusi formari, quod defectu humoris moritur, remanente cadauere, quod ex humore lapidescente aliquando reperitur obduratum. At eius sententiam non utique examinandam putauit. Eam coram lectoribus sisto, quos admonitos velim quam caute credendum circa rerum natura- lium inquisitionem quidquid Phantasmata obijciunt, mentesque sine deleitu rationum opinantur. Rationi enim, inquit Aristoteles, fides habenda est, si qua demonstrantur, conueniunt cum ijs, quæ sensu percipiuntur. Quamobrem mihi persuadeo, non omnes Conchyliorum figuræ ē Testis marinisoriri, quod plerique volunt, sed sui generis lapides esse, in ipsis montibus natos, & intrinseca virtute auctos, quam eis Naturæ Conditor impertivit, quasi *ludens in Orbe Terrarum*, lusibus utique eius dignitati non absconis, cum Sapientiæ, ac Prudentiæ argumen- ta luculenter in singulis præbeantur.

Dissert. de  
Glosop.

Antequam Quæstionem absoluamus difficultas diluenda nobis est, quam Columna obijcit Theophrasto, qui multiplicis generis ossa in Terra generati credebat: Non enim, inquit ille, Natura quid frustra facit, vulgato inter Philosophos axiomate. Dentes ij frustra essent, non enim, dentium usum habere pos- sunt, ita nec Testarum fragmenta tegendi, sicut nec ossa nullum Animal fulciendi. Dentes sine maxilla, Testacea sine Animali, ossa unica in proprio elemento Natura nunquam fecit, quomodo in alieno nunc potuisse, & fecisse est credendum: Argumento huic licet adeò impar videar, vt non armis me. sed hostili dumtaxat risu, & solo classico superatum iri aduersarius arbitretur, contradicere fas est, vt totum nihil pendendum videatur. Primum igitur illud aduerto, multas plantas humoris defectu in ipsa generatione deficere, ac mori: innumeros etiam flores virescerre, qui licet ad fructus ordinati à Natura, in fructus non abeunt, imò in ipsis Calycibus arefiunt, sicuti plurimi Arborum fructus marcescent antequam maturescant. Satis profectò apertum est multoties Naturæ studia frustrari, cum Animalium perfectorum loco generantur Monstra; Deinde miror adeò facilè Columnam sibi suassisse vera ossa illa existere, quæ in Terræ visce-

visceribus efformiantur . Analoga enim significatione nomen illis tribuendum putauerim potius , sicut Ostreorum nominis applicantur testis terrigenis , seu lapidibus , quibus formæ Testaceorum maris repræsentantur . Quid ergo arguendum dices affirmantem terrena Testacea esse Naturæ opus , quo marina referantur ? Nonne in pluribus hanc agendi metodum exprimit , & in conuoluulis præcipue , quæ rudimenta Plinius eleganter dixit Naturæ *lilia facere condicentis* : haud impari modo , quo Artifices argillaceas , seu cereas ideas constituant , quas subinde in marinore , aut metallo perficiunt . Gaudet namque Naturæ huiusmodi serum ludibrijs , & vti omnia in omnibus esse ostendit , ita pro conditione singulis in rebus laborat , quantum potest , vt si minus sensum , saltem vitam ; si minus vitam , saltem figuram nudam ijs , ad suam in Vniuerso decoris maiestatem attestandam , imprimat . O quam prouida , sagax , & prudens illa est , o quam formosa appetet Veritas ; Hæc vbiique solis instar aliquo modo suos radios explicat , illa semper ex aliquo fine prudenter operatur , nec quidquam in Mundi Theatro unquam profert , quod licet numeris omnibus absolutum , cæteris rebus non antecellat , admiratione tamen dignum non sit . Sed ne à mare nimis longè aberremus , ad eius Cochleas redeamus .

## CAP. OCTAVVM.

Earum Varietas in Formis , & Coloribus obseruatur .

**Q**Vi Conchyliorum varietatem obseruat , eam laudem Naturæ tribuendam existimabit , qua Virtus Michaelis Angeli Bonarotæ inter statuarios eximij , celebrata meritò fuit , eò quòd in operibus , ab eo sculptis , duo vultus omnibus linearimentis omnino similes cerni non possent ; Adeò secundo erat ingenio menteque capaci , vt nouas semper ideas in marmore representaret . Testaceorum enim tanta est Varietas , & in singulis formæ peculiaris diuersitas , vt nullum alteri correspondat . Mirantur plerique cum Plotino Platonis affecta , artificiem hanc stupendamque Veritatem in abditissimis quibusque bestiolis , cum finalē causam in Naturæ laboribus scrutari nesciant .

sciant. Verum cessabit admiratio, si causæ efficientis cognitio ignorantia tenebras disipeiat. Hæc porrò Divina mens est, quæ infinitæ sapientiæ argumentum vnicæ vel linea æqualiter conuoluta in omnibus luculenter suppeditare hominibus potest, peritia longè maiori, qua Giottus ille ad ostendandam prodigiam suæ artis peritiam, firmato cubito in tabula, circularem linæam adeò perfectè pennicillo delineauit, ut non aliter quam circino ducta videretur. Omnia circumvolutos Orbæ ostendunt, at in similibus figuris dissimilitudo adeò magna cernitur, ut Boldonus eam admirans dixerit.

*Tanto Natura in un sembiante steffo  
Di varie forme hæ i simulacri impresso.*

Hoc est in eadem Cochlearum apparentia diuersarum formarum Varietatem impressit Natura, quas, vt iucundè oculis usurpatas, sic sermone fusè expressas tecimus à nemine. Nec mirari profectò debemus, cum ea sit Conchyliorum copiosa seges, *ut nulli facilius sit loqui, quam rerum Naturæ pingere.* Quod etiam de Floribus Plinius asseruit. Quòd si verbis aliquo modo expressas in his paginis candide Lector exoptas, eas eleganti æque, ac lucuenta descriptione tibi subiicio de Italico sermone in Latinum conuersa, qua P. Daniel Bartolus summi Conditoris Excellentiam in vilissimis quibusque rebus se profidentem, indicauit. Superant profectò vires eloquentiæ meæ, ait ille, prodigiosæ Cochlearum Testæ, multiplex partium structura, conuolutionum varietas, ornatus elegantia, colorum dispositio, formarumque mira diuersitas, quæ in eadem materia tam variè componitur, & tam pulchrè condecoratur. Quotquot oculis usurpaui, chiliades licet plures excederent, minimam earum partem constituunt, nullo prorsus calamo describendam, & quòd plures darentur in scenam eò minor dicendi esset facultas. Adeò verum est inopes nos copia fieri. An non Cochleis sexcentis modis in spiram circumductis prodigiosa Dei sapientia explicatur? nihil in rerum Natura vilius quam illæ, multiplici tamen artificio à Conditore Diuino redduntur capaces. Earum aliquæ ita orbibus circumvoluantur, vt scapo illi hærent, & quòd magis à basi recedunt, eò in acutiore turbinem mira proportione extenduntur. Aliæ contra in se ipsis Cochlearæ ex nulla parte in mucronem exuberant, Inter has quæ Veneræ dicuntur, & earum timiles suos orbæ omnino contingunt testa, cuius pars altera plana, altera in gibbam eleuâ-

Dei  
Langob.  
C.7.129.

Ricreatio  
ne del Sa-  
vio cap. II  
libri

eleuantur. Aliæ ex basi pinnulis, aut cristiis, aut muricibus cincta, paulatim deficientes turbinem exprimunt. Aliæ verò aliquando depreßæ tonsillas, & tubercula, altero alteri superimposito ostentant. Multæ videntur quasi planæ, multæ subrotundæ, rugosæ multæ, vel expansæ, vel apertæ, vel angustis orbium anfractibus Cochlearæ, omnes quidem inter se diuersæ, sed omnes artificio elegancia, & venustate ita pares, ut de pulchriori iudicium ferrè non possis. Quæ sinè arte, & veluti negligenter quadam formatæ videntur, maximæ etiam censendæ sunt pulchræ, cum in ipso neglectu, errores placeant, & in rudi quadam massa maiestas eluceat, ac, ut ita dicam, pulchritudinis monstra iudicentur. In singulis oris aperturam si cernas, suam quodque venustatem explicabit labris, aut simul strictè coniunctis, aut omnino apertis, modò in longos canales productis, modò in brachia expansis, quibus lapideos polypos representant. Nec facile causa reddi potest, cur in multis labra multiplici plicatura reflectantur, cur in pluribus dentibus muniantur, non ad valnera inferenda, sed ad ornatum. Distinduntur subinde in vulgares, & pretiosas, in nobiles, & rusticas; quarum plurimæ crastatae, squamotæ, corticosæ, crispis corrugatae, aculeis spinosæ, macronibus horriblæ, multæ verò leues, pellucidæ, nitidæ, & sandrasca velatae, nonnullæ velut malleo contusæ, vel opere musico tessellatae. Inter omnes verò præcipue Nautilus ob testam pretio habendus, argenteo vel margaritarum nitore, præclarum.

Nec silentio prætereundi sunt colores, quibus omnium testæ exornantur. Innumeræ gignuntur albæ, argenteæ, laetæ, badiæ, cinereæ, pullæ, subnigræ, purpureæ, flavae, aureæ, porraceæ, amethystinæ, & puniceæ, plurimæ discoforibus fascijs vietatae, modò in longum, modò transuersim ductis, vel sinuose crispati; Aliæ veluti opere phrygio pictæ, aliquæ tessellulis albis, & nigris omnino distinctæ, aliquæ multiplici colore depictæ. Ut plurimum sinè regula coloratae videntur, aut guttatum aspersæ, & punctis signatae, aut notulis rotundis, seu quadratis maculatae fuluis, rubris, sanguineis, ut in lapide Iaspide, centenisque diuersis coloribus adeò variegatae, ut verba ad significandum apta deficiant. Ommitto igitur, quæ recenserit hic postent, striatas, rugosas, falcis excavatas, & crenulis crispas, ommitto eas, quibus corona minutissimis incisuris notatae, venustatem addunt, quibus cristatum duplex ordo circa orbem cir-

circumducitur ; & nodulis coniunctis instar torquis ditatur . Omissit eas , quibus decor additur à duplice linea altera vñionum , gemmarum altera ; passim guttulis coronatis distincta , eas demum , quarum partes tuberculis , tonsillis , pinnulis , & bracteolis laciniantur . Inter omnes , veluti inter ignes Luna minores , Vna est , quæ indico in litore reperitur funiculis discoloribus contexta , inter quos veluti alia fila alba , & violacea simul contorta , per orbium semitas ordine adeò eleganti discurrent , vt nunquam in spirarum anfractibus confusa , suum quodque situm occupet , ostenduntque peritiam , qua Artifex illam composuit . Huc usque P.Bartolus . Huic luculentæ satis , ac perspicua Cochlearum descriptioni vnam addendam censeo , longè omnium meo quidem iudicio elegantissimam . Parva licet mole , in angusta orbium agglomeratione magnum exhibit artificium . Nunquam inter Persas foemina , licet muliebris luxus excultrix , multicolores linteolos glomerando , cedarim pulchritudinem suo capiti aptauit , qui cum hac Cochlea posset de pulchritudine dimicare . In Brasiliiano litore frequenter reperta , maris eiectamentum dicenda non est , vt de Vnionibus dixit Tertullianus , sed eiusdem proles , quò pulchrior , eò cæteris charior . Ab Indis vocatur patrio nomine *Caramugio* , quod idem est , ac Latinis *Cochlea* . Fraga dicitur ab Italîs à forma , & colore purpureo simili , sed melius Latini *Neritam* appellarunt , hoc est maris genitam , ac si cæteris rebus , quæ in mari generantur pulchritudine antecellat , sicuti Nereides inter omnes Nerei Filias venustate elegantissimæ .

Si colores quibus tegitur inspicias , eam Cochlearum Reginam dices Bislo , & Purpura indutam , seu potius opere phrygio condecoratam . Cutem enim ostentat lineis vñionum ditatam , quarum vna alba est , altera nigra , & continuato ordine alternatae . Inter ea alia linea coralliorum collocatur , triplicique hoc colore adeò spectabilis appetet , vt Gratiarum manibus elaborata videatur . Fabulosum quod ad excitandam admirationem Lucianus narrat , Prometeum nempè Aquarum Præsidem igneam naturam induisse , at certius vero Cochleam hanc sola aqua nutritam igneo colore rubescere , quam piceus , & albus adeò egregiè notant , vt meritò Naturæ ingeniosum opus dices , & maris florem , sed incorruptibile , cum conchas floribus æquans Lucretius dixerit .

*Concharum genus parili ratione videmus*

*pinge-*

*Pingere Telluris gremium, qua mollibus vndis  
Litoris incurui bibulam lauat Aequor arenam!*

Verum singulas recensere impossibile cum sit, confusa quadam cognitione omnes simul complecti sufficiat, qua ad earum Conditorem nostram mentem attollamus, inquirendo, quod D. Hieronymus in hominē perscrutatus est: cur videlicet, int̄am vili, & abiecta materia speciosissimam formam posuerit non verò cœlesti? Lutea licet massa compositæ, vasa, quæ Raphael Vrbinas pinxit, pretio superant. Inter sensitiua Animalia quamuis viliores cutibus, veluti acu piætis, & phrigio opere, decoris, adeò extimantur, vt cortex tantum in fructu merito dici possit, sicuti Plinius dixit de subere.

LIB. 16. C. 18

Et quidem, vt verum fatear, non semel præclaros sapientesque viros admiratione obstupescentes vidi, cum plurimas ex elegantioribus in eorum conspectu darem, non aliter, ac si Aurora palatum perlustrarent, in quo, vt S. Præfus Appollinaris describit.

*Diripiunt diuersa oculis, & ab Arte magistra  
Hoc vincit quodcunque vides.*

Carm. 2:

Nullam enim ex eis esse omnium pulcherrimam iudicare quis potest, cum singulæ, vel partium structura, vel colorum varietate, vel orbium circumvolutione æquè possunt oculos recreare, nouoque oblectamento animum pellicere, vt sensibilibus rebus ad inuisibilem rerum omnium Conditorem quisque sibi viam sternens, eum tanquam siderum Principem, à quo cætera lumen mutuantur, agnoscat, ae prosequatur amore, à quo, docente Seneca, dum ponuntur sapores in pomis, odores in floribus, in lapidibus colores, vsque ad delicias amamur.

Hoc igitur pacto honesta laudabilique oblectatione afficitur sapientis oculus, dum Cochleas recognoscit, miraturque singulas, quamuis in eadem specie numerandæ sint, proprijs quibusdam lineamentis à cæteris differre, vt stella differt à stella in claritate. Attamen admiranda hæc Naturæ opera, quam hominum pauci recognoscunt! Satis enim comprobatum est: *Ab affuetis passionem non fieri*, vt inquit Philosophus, & cum omnia condita fuerint in hac Rerum Vniuersitate, vt (docente S. Basilio) *ad veri, ac solius sapientis cognitionem facile penetremus*. Conditoris tamen oblii, eius miracula non celebramus. Quod si miracula dicenda non sunt omnia ea, quæ in hac rerum Natura existunt, ex eo prouenit, ait S. Augustinus, *quia sunt*

In princip  
Paradiso-  
lom.

Lib. 3. de  
Trinit. c. 6.

funt continuato quasi quodam fluxu labentium manantiumque, rerum ex occulto in promptum, atque ex promptu in occultum, visitato itinere transcentium. Vnde admiratio non paritur si segetes è mortuis semenibus quotidie efflorescant, ingens verò excitatur, si cadauer in tumulo reuiuscet, non quia hoc sit maius, sed quia rarum, inquit idem S. Augustinus.

Hæc libuit superioribus dictis adnectere, vt voluptas cognitionis Animo pariat utilitatem, indèque arguatur; Quam pulchra, quam delectabilis visu, inexausta mens illa sit, qua infinitæ rerum species comprehenduntur, si paruæ, & quidem non inter omnes pulcherrimæ intuentium oculos, animumque adeò delectant? Verum nè vasto in Oceano felici quodam naufragio mens mea desperdatur, vela hic Colligam, & Cochleas iterum oculis subiiciens, quidquid menti függerunt profaram certè philosophica indagine dignum. Sed antequam varia Problemata proponantur soluenda, quò magis obuia, eò difficiliora, humanæque mentis actiuitatem prorsus excedentia; de Coloribus, quibus Cochleæ pinguntur, aliquid delibimus.

## CAP. NONVM.

Vnde nam oriatur diuersitas Colorum  
in Cochleis.

**O**ccultis profectò, & prorsus nobis ignotis legibus inscribuntur Conchylia, quæ à musicæ notulis musica dicuntur, occulto etiam artificio asperguntur Venereæ, signantur Turbines, & variatur colorum apparentia in Nautilus, & Vnionum matribus, sicuti occulta arte Flores, Fructus, Gemmæ, ac Metalla colorantur. Quamobrem Bellonius post diuturnum, & laboriosum examen in hæc verba prorupit, nempe, *de colore forma, & substantia dicere possum, quod eos viderim sapius, unde veniant non sat dicere possum*. Imò Plato ipse. *Quo autem mensura modo, ait, singuli colores singulis miscentur, etiam si quis nouerit, narrare prudentis non est, praesertim cum neque necessariam, nequè verisimilem de his rationem afferre ullo modo possit.*

Atta-

Attramen sicuti non otiosè oculos mentemque defigimus in rebus ijs, quæ in hac Naturæ Theatro proponuntur, & laudabili studio, considerare cum D. Hieronymo possumus flores, Lilium cum Nisseno, cum Tertulliano Pauonem inter aues ob plumas præclarum, ita non audaciæ, sed laudi tribuendus est conatus ille, quo rationem inquirimus in tenebris omnino latenter, inter quas semita aperienda est mentis face, à veritate probabili nobis communicata, illorum instar, qui metallorum fodinas ad thesauros eruendos magno cum vitæ discrimine per-scrutantur, luteasque glebas, ut pluriuum manibus pertractant. Feliciter erramus, inquit Aristoteles, quando cum errore aliquid verum assequimur, ita non quæcunque procellosa maris agitatio nauibus nocet, licet à litore quæsito eas remoueat, si ad ignotas terrarum plagas appulerint, vbi nouos mores Incolarum agnoscant Nautæ, nouisque mercibus redeant in Patriam onusti.

Licet igitur veram claramque rerum cognitionem assequi illuc sperem, vbi Increatæ Sapientiæ lumen ignorantia tenebras prorsus exterminat; in hac caliginosa gymnade, in qua versamur, colorum inquisitionem pro mea tenuitate, quæcunque illa sit, hoc pacto aggrediar.

Primi suppono duplicem colorum speciem Cochleis inesse, sicuti etiam in Geimmis, Opaci videlicet, & Diaphani siue Perspicui. Vterque autem, vel eis realiter inest, etiam absente luce, vel solum apparens est, cum lux affulget, & pro diuersa lucis intentione color variatur, ut videtur in gemina Opalo, & in testa præcipue Nautili, in quo, ut in Iride notauit Seneca; *videmus aliquid flammei, aliquid lutei, aliquid cœrulei, & an dissimiles colores sint seire non possit, nisi cum primis extrema contuleris.* Huius coloris perspicui examen Opticæ disciplinæ relinquo, ut colorum tantum originem, qui sive villa lucis mixtio-  
ne corporibus insunt, recognoscam.

Septem verò sunt Colorum species, iuxta Philosophum. Niger nimirum, sub quo comprehenditur Fuscus, siquidem Fuscus est quoddam Nigrum, Albus, Flavus, Puniceus, Purpureus, Viridis, & Cœruleus, qui colores consistunt in quadam mediocritate inter album, & nigrum. Reliqui colores compo-nuntur ex mixtione horum septem. Alij verò ad mixturam colorum, eorundemque secundum naturales gradus genesis. Quinque præcipua eorum genera pro fundamento ponunt. Al-

Ques. nat.  
lib. 1. c. 3.

Lib de sen  
& sensib.  
c. 4. art. 38  
n. 10.

bum, Flavum, Rubrum, Cæruleum, Nigrum, quorum mixtura omnis alij intermedij, quorum non est numerus enascuntur, & sunt in apposito schemate comprehensi.

Albus nigro ad aequalitatem partium commisus nullum alium præter quam cineritum parturit, cum niger albo mixtus semper subalbidum quiddam obscurum producat, usque dum totus albus color in manifestam nigredinem, vel niger in albedinem superiniesta semper vberiori nigredine, vel albedine conuertatur, sed ad alios progredamur.

1. Albus cum flavo subflavum albo vicinum, flauus vero cum rubro aureum siue fulugum. Ruber cum cæruleo Purpureum, & cæruleus cum nigro subcæruleum nigro proximum producit.

2. Albus cum rubro producit colorem quem Incarnatum dicimus, & ruber cum nigro, subrubrum ad nigredinem vergentem.

3. Albus cum cæruleo proferet colorem cinereo similem, flauus vero cum nigro fuscum.

4. Flauus cum cæruleo prôducet viridem colorem ex omnibus intermedijs constitutum, quem ad Homines, & Animalia oblectanda videtur Natura composuisse.


Atque ex hac quadruplici colorum combinatione omnes componuntur colores, qui nunc remissius nunc intensius ad eos reuocantur, quoruim quique nomenclaturam suas ex rebus quas colorant videlicet ab Elementis, à Nubibus à Mineralibus, Metallis, Herbis, Floribus, Volucribus, Piscibus, Reptilibus, & Insectis fortiuntur.

Qui plura desiderat legat in Tractatu quem Parisijs edidit de coloribus anno 1613. Ludouicus Sauottus.

His prænotatis adiungo, quæ in Libro quinto de Generat. Animalium Aristoteles indicavit, circa multicolorem eorum apparentiam. Diuiduntur igitur Testacea omnia sicut Animalia cætera in Vnicolora, Vesicolora, & Varia. Vnicolora sunt, quæ quoad omnia indiuidua speciei sunt vnius coloris. E. G. Conchæ mergariti feræ in parte interna semper margaritarum colorem ostendunt, altera Nautilorum species lacteam albedinem habet, altera colorem opalo geminæ similem. Animalia Vesicolora, sed vnicolora sunt, quorum totum corpus est vnius tantum coloris, sed quædam Indiuidua sunt vnius coloris, quædam alterius. Diuersitas hæc videtur præsertim in Pectinibus; quorum aliqui albi sunt, aliqui rubei, aut fusco colore saturati.

Anima-

# Pagina 60



Animalia varia sunt, quorum corpora sunt varia, ita ut secundum ynam partem sint vnius coloris, secundum aliam sint alterius coloris. Rursus Animalia varia subdividuntur in duas Clases. In prima Classe continentur, quæ sunt varia secundum totum genus, ita ut omnia individua generis, aut speciei sunt varia. In secunda Classe continentur ea, quæ non sunt varia ex toto genere, sed solum secundum aliqua individua. Hæc lege adeò immutabili colorantur, vt aliquando, vel circumstantia loci, vel temporis, vel cibi, diuersum colorem induere non possint. Quamobrem cum eodem Philosopho notandum est frequentius colores variari in Animalibus, quorū species continet aliqua individua vnius coloris, & aliqua alterius coloris, quam in Animalibus vnicoloribus, hoc est quoad speciem determinatis adhuc, vt secundum omnia individua sunt vnius tantum coloris, ex ea potissimum ratione, quia cum species est indifferens ad plures colores, etiam ejus individua possunt esse indifferentia, adeòque ex uno colore possunt transire ad aliū, qui non repugnat speciei, sic ex albis fiunt nigra, vel ex nigris alba, & ex albis partim nigra partim alba. Ex opposita ratione Animalia Vnicolora determinata ad hoc, vt secundum omnia individua speciei sunt vnius coloris, non possunt mutare colorem, nisi raro ex aliquo morbo, vel ex aliqua extraordinaria portione, adeòque visa est Perdix alba, Ursus alba, Ceruus etiam, & Passer albi, & Florentiæ Leucoæthyops Serenissimo Etruriæ Duci à Genuensi Senatu donatus.

Quibus positis, dicendum est, colores, quibus Conchyliorum testæ semper pinguntur, ita ut nec eorum situs nequè figura varietur, exigi ab aliquo Principio intrinseco, eosque producente; sicuti lux, & calor à Sole producitur: non verò fieri mera qualitatum combinatione, à qua quidam Nasutuli, vt ait Boetius in Libro de Gemmis, omnium rerum causas venantur, & cum immediatas, & veras scrutari nesciant, genericis quibusdam vocibus, & vt plurimum falsis, suas sententias fucatas proferunt, nè tacendo ignorantæ dedecus patefiat. Qualitates cæco agunt modo, nec artem possident, qua constanter, & eadem semper emanante influxus periodo, colores disponant, ita ut rosæ, circuli, tessellulae, sexcentæque aliæ maculæ represententur, non fortuita pennicillorum combinatione, sed studiofa peritia, qua multicolores redduntur Arium plumæ, viridia arborum folia, & candidi calyces Liliorum.

Nec

Nec è patrio luto Animalia, testis inclusa ad nobilitatis fastigium immeritò attollimus , quid enim mirum si hæc pos-  
fint, cum nomine Potentia summa , summæque sapientia Testacea operentur . Rerum enim sensibilium actionibus Naturæ Conditor , qui omnibus præst velo quodam obtagit ; mere-  
turque Epigraphem , quam Planetarum Principi Mari , Terræ-  
que dominanti, quidam aptauit, cum scripsit : AB VNO.

Concurrunt quidem in pictoria hac arte alia multa , è quibus, vt ita dicam colores exprimuntur , & multicolor tintura exugitur, ideò Uniones, qui à mari Britannico generantur non æquè albescunt, ac Margaritæ orientales Sinus Arabici, & Purpura Cypria magis rubescit , quam ea , quæ in mari Adriatico nutritur , sicuti Purpuræ in mari Aquilonari nigrescere, in Australi. vt plurimum rubras esse, in Orientali verò, & Occidentali liuidas ex Aristotele accepimus. Docet deinde idem Philosophus dupplici ratione variari posse colores in eodem subiecto , vel quia in eius generatione alterari nimis possunt humores, mutarique temperies , quæ ad talem colorem subiecto induendum exigitur à Natura, vel ex diuerso potu aquarum, quæ, si calidæ, candidum colorem induunt, si trigidæ, fuscum, ex ea potissimum ratione , quia cum calida multæ particulæ aëris miscetur, ex quibus candor prouenit, vt appareat in spuma ex aqua , & aëre composita . Verum rationem hanc Aristotelis ad trutinam non reuoco . Illud affirmare indubitanter placet , quod experimentis satis euidentibus robatur . Colores videlicet non paucos à diuersitate humoris , quo Animalia nutriuntur oriri , rursumque variari à diuersa eorum caloris Coctione, sic Mitulorum caro, si coquatur igne, è pallido colore in vitellinum transit.

Quod si Pili, Plumæ , & Pelles Animalium ab eorum excrementis proueniunt , vt Aristoteles ipse docuit, confirmatur quod diximus . In cute enim Cochlearum Testacea colores præcipue apparent, non aliundè profectò multicolori, & varia , nisi ex varijs humoribus, quibus nutritur, sicuti ex multiplici cibo magis multicolores sunt Vespe quam Apes , inquit idem

*sive gener* Aristoteles .

Cum Oceano misceri hanc diuersam humorum temperiem arguere possumus è Coralliorum præsertim diuersitate . Inueniuntur enim alba, nigra, rosea , & purpurea, & quidem non indistincta maris plaga , sed ex codem lapide aliquando coniunctim

Etim nata, certè ex diuersitate humorum, quorum sedimentum ad diuersos Coralliorum cespites semen posuit, præbuitque alimentum, vt feliciter in propria specie singuli germinarent. Hæc verò humorum necessariam separationem tum accidere probabiliter mihi persuadeo, cum maris æstus non adeò feruet, & magis frigescit, sicuti videmus Balsamum Ægyptiacum dictum *della Mecca*, aqua calida dissolui, penitusque misceri, eadem verò frigescente separari in globum condensatum.

Istam verò tinturam ab exhalationibus, & mineralium corporum spiritibus prouenire iudicant multi, cum tingendi vim habeant; nonnulli ex varia Elementorum coctione illam deducunt; plerique verò salinis corporibus, vitrioli, & aluminis adscribendam esse existimant, quibus omnia Corpora saturantur, & potissimum fauis ammoniaci, cui insitum putant colorum omnium seminarium, qui in eiusdem fumo, cum sublimatur igne, manifestè apparent. Sed ne ab instituto nostro discedamus, harum opinionum examen ommitto. Ad Lucernam enim Cleantis in abditissimo terra antro labore improbo mentem damnaremus otio iucundo priuatam, quo in maris litore ad animi relaxationem minimè vituperabilem cœpimus ferri.

Suppono igitur cum Agricola mista esse cum aqua maris ramenta plurima mineralium, & particulas salium, nitri. & aluminum, quæ quidem agnosci possunt, præsertim sublimatione infornace spagyrica obtenta; ex qua diuersorum corporum mistione necessariò diuersitas colorum, & saporum nascitur, cum rubrum Rubrica, & flauum Ochra communicet, sicuti alios colores Rubigines, Salia, & Bitumina producunt. Hinc aqua Fontis Tungrensis igne supposito ebulliens rubescit, Aqua Nili æruginosa apparet tempore siccitatis, in lacu Babilonico calidis mensibus rubet, & quamvis multæ aquæ perspicuae sint, & claræ, alueos tamen diuersimodè tingunt; Hinc in fonte Theano proximo alueus rubicundus apparet, & litargirij decoctum, cum aquæ puræ infunditur, vt lac albescit, & condensatur. Ex quibus sat is arguitur Cochlearum testas diuersis coloribus pingi posse ab aquis marinis, pro diuerfitate corporum, quibus ipsæ inficiuntur.

Negandum autem non est macularum diuersitatem posse etiam ab extrinsecis, & accidentalibus causis deriuare; vel quia humiditas frigore exsiccatur, vel quia è varia caloris coctura varia-

Apud Im:  
peratum  
lib. 3.  
  
De luce  
Animal,  
lib. 2. prob  
9.  
  
Probl. de  
color. sect,  
38.n.2.


Variatur coloris apparentia , sicuti in agro Patauino glebæ sunt, in quarum meditullio terra aiba latet, quæ colore cianeo pingitur. si aëri exponatur . Ita pariter Cerusia ex plumbō facta flammariū vi in flauum colorem degenerat , & magis adusta in minium euadit. Ita *ova cocta* multo fiunt *candidiora* , vt notat Bartolinus . Poma à Sole diuersimodè calefacta etiam diuersimodè colorantur , & Concharum valvas in aprico expostas varijs coloribus infectas, ego ipse post aliquot dies penitus albas inueni. Hinc Aristoteles ad quæstum cur Nauticæ artis studiosi vt plurimum colorem rufum acquirant, respondet ; ex eo nasci , *quia mare per suam salitudinem est calidum* , & *exiccatum, adeoque aptum ad canarium colorem rufum* .

Psal. 491

Quid ergo mirum si Testacea innumeris penè diuersisque coloribus induantur, ac si, licet eiusdem speciei sint individua , & in eodem aquarum gremio generata , è diuerso tamen vbere traxerint alimentum ? Atque hæc de coloribus in genere dixisse sufficiat. velle propinquius immediatas causas singulorum ferutari temerarium est. In examine rerum naturalium ibi sistere prudentem Philosophum decet , vbi sensuum ductu probabilitibus rationibus sciendi curiositatem lactat, quem nonnisi summi Conditoris cognitione omnino explere in hac vita possumus. Qui iure merito artem penitus arcana sibi vindicat Flores, & Conchilia coloribus pingendi, cum dicit in Psalmis : *Pulchritudo agri mecum est* ; ac si diceret, inquit S. Mediolanensis Antistes . Quis enim aliis artifex potest tantam rerum singulareni exprimere venustatem ? Abditarum igitur harum rerum fibras magis intimè scrutentur alij , Nos interim Conditoris Sapientiam in eis arguentes, Poetam audiamus cum ait illum admirans ,

Salust. Eu  
barces.Lorenzo  
Crasso  
Poe. 33

----- il qual le piagge  
Di più varj colori orna , e dipinge  
Che dell'Aurora il matutino volto .  
Eiusdem enim iussa sic excuemur, qui vult  
Mentre opre sì belle al Mondo spande ,  
Che per esse ammiriam' quanto ei sia grande .



## COROLLARIUM.

Quæ circa colorum Genesim in capite  
superiori dicta sunt,

Experimentis comprobantur.

**D**iximus è varia sulphuris varijs salibus misti concoctione varios quoque, & diuersos colores emergere. Secundò ab exalationibus, & minerarum particulis siue spiritibus; Tertiò ex salinis corporibus vitrioli, & aluminis prouenire; Hæc autem omnino experimentis, quæ adducemus sat superque patebunt.

Si ponantur laminæ plumbeæ in scypho aceto acerrimo pleno, eius acrimonia aliquot dierum spatio resolutæ in purissimam candidi coloris cerussam conuertentur. Si verò hanc crucibulo igni validissimo imposueris, videbis paulatim in flauedinem quandam lucidam abire, paulo post in herbaceum colorem postea in Fuluum, ac tandem in intensum colore rubrum, quem minium vocant, degeneratam; rursus in nigram scoriam caloris ignei incremento mutatam.

Si autem quæras quomodo hic color candidissimus primò, deinde in rubrum, & tandem in nigram scoriam degeneret. Respondet in Mundo Subterraneo Kircherius, hoc fieri caloris ignei incremento; primò siquidem acetum, ignea qualiter acrimonia, plumbum in particulas minutæ disloluit, quarum singulæ cum sale mistæ sint, à terrestribus deinde fecibus separatæ, lucidissima corpuscula exhibent, non secus, ac si vitrum, in minutissimas partes contuderis. Degenerat deinde in alios colores, ut dictum est, & tandem in nigram scoriam, quia cum partes salinæ albæ, ignem expertæ fuerint, sulphur illis admistum in sal flauumabit, eò quod adustio particulæ transmutet in vicinum albo colorem. At si cerussa vehementius aduratur, iam obfuscatis corporibus salinis, cerussa ex albo, & flavo colore mixta, subuirentente colore imbuta conspicitur, quam luminis reflexio in tali dispositæ materiæ combinatione exhibet. Rursus si hæc adhuc vehementius aduratur, in flauum colorem paulatim, eò quod materia vehementi calore exagitata iuxta colorum naturalium progressum in eum colorem, qui

viridi est propior degeneret : salina verò corpóra , cum exhibent luminis illustratione colorem , quem adustionis incrementum secum portat , atque hoc pacto intensissimum rubedinis gradum , idest minium , tandem intensissima caloris vis producit ; à quo gradu si ignis vehementius , & vehementius intendatur , videbis quod vti per luminosum colorum gradus in rubrum excreuit , ita hoc per umbrosorum colorum gradus , idest puniceum , cæruleum , cinereum paulatim ordine defleget , donec in nigri coloris scoriam , albo oppositam , iam omnibus spiritibus dissolutis , instar carbonum degenerat . Atque ex hisce luculentter patet , quomodo colores caloris vi in mineralibus paulatim ex uno in alterum gradatim iuxta ordinem naturalis misturæ , transmutentur .

Quomodo autem salina corpuscula se mutuo destruant , & instaurent , hoc patet experimenio . Si gallarum in aquam limpidam resolutarum infusioni vitriolum admisceas , ea statim in atramentum degenerabit , quod certè prouenit ex combusto sulphure , quo Galla constat aquæ communicato . Si verò huic atramento aquam stygiam superaffuderis , ecce (mirum dictu) aqua atramentosa mox pristinæ claritati restituetur , eò quod aqua stygia corpuscula gallarum sua acrimonia prorsus consumet . Si verò rursus huic aquæ iam in pristinam claritatem reductæ oleum tartari affuderis statim in atramentum reducetur , quia oleum tartari non absimilem gallæ tincturam continet . Vnde pulchrum arcanum patet ; Si enim in carta candida vitrioli aqua aliquid inscriperis caræcteres siccati prorsus evanescunt , ac mox si cartam gallarum infusioni immerseris , nigerimo colore imbutæ apparebunt . Quas si denuò deletas cupias , id spiritu vitrioli , aut aqua stygia præstabis . Pari modo tinctura violarum cærulea , oleo vitrioli suffusa purpurascit , cui si guttas aliquas spiritus corni cerui affuderis , color purpureus in viridem continuò vertitur .

Quæ omnia dependent à varia differentium corporum constitutione , quæ cum varijs , & differentibus salibus variè tingen- tibus turgeant , ita quoque varia colorum transmutationes admittunt .

## CAP. DECIMVM.

Referuntur Proprietates aliquorum Testa-  
ceorum, in quibus elucet Prouiden-  
tia Diuina.

**S**i ob Formarum, colortumque varietatem pretio non vulgarē  
habenda sunt Conchylia, plurimi quidem ex eō, quod sese  
oculis exhibendo in hoc ampio Mundi Theatro prouinciam,  
sibi impositam optimè exercent. Si Cœli enarrant gloriam  
Dei, à Cochleis etiam celebratur Deus, qui vtique in vilissimis  
rebus Sapientiæ, ac Potentiæ thesauros ostendit, eiusdemque  
Prouidentia non minus, quam varia argumentorum ratiocina-  
tione sensibus ipsis declaratur. Illis enim Deus non tantū  
quidquid ad Vitæ conseruationem requiritur, verum etiam  
ad oblectamentum elargitur: Quamobrem Tertullianus ad in-  
fringendam audaciam Marcionis inter homines nequissimi,  
Dei Prouidentiam negantis, illi res infimas obijcens. An ne  
(ait) *Vna cuiuslibet maris Conchula non dico de Rubro, sordidum  
artificem pronunciabit tibi Creatorem?* Serpentum mos est suos  
partus in arena relinquere. Diuina verò Prouidentia rebus om-  
nibus à se conditis, quæ ad vitæ sustentationem requiruntur,  
donat, argumentum præbens in minimis maioris Prouidentiæ,  
qua maiora, & Homines præcipue moderatur, ac regit, quorum  
beneficio hanc omnium rerum Vniuersitatem è nihilo eu-  
cauit.

Iniuriosè redarguit Naturam Plinius, cum diceret cap. 29.  
lib. 9. *Carent Conchæ visu, omnique sensu alio, quam cibi, & pe-  
riculi.* cap. verò 35. *Concha, inquit, in qua Vniones generantur,  
cum manum videt, comprimit sese, operitque opes suas, gnaxa  
propter illas peti, manumque si perueniat, acie sua abscindit,  
nulla iustiore pena, & alijs munita supplicijs.* Huiusmodi verbis  
Palinodiam cecinisse iudicarem, nisi poeticè potius quam  
historicè loquutus eslet translatione quadam verborum, oculo  
tribuens quidquid tactu peragitur, cum asseruit Piscatorum  
cupiditatem ab eis sagaciter animaduerti, sicut Virgilius de  
letratis canum loquens ait. *Viseque canes ululare per um-  
bras.*

Albertus etiam cognomento<sup>3</sup> Magnus de Concha Peñine scribens; *Si quis* (ait) *digitum admouet subito claudit oculum*, *ex quo cognoscitur habere visum*. At experimentis sat mihi comprobatum apparuit ferè omnia oculorum sensu carere, Nautilo excepto. Quamobrem vera scripsit Aristoteles de Testaceis lib. I. Animalium cap. I. vbi sic legimus: *Habent profectò oculos tum cetera Animalium Genera omnia, præterquam testa intacta, & si quid imperfectum aliud est, & Talpa.*

Nunquid fortasse crudelem Naturam idcirco appellabimus? vt pote quæ caliginoso in loco ea perpetuò damnarit, in quo nec victimum quæritandi modum habent, nec lucis vsura fruendi. Apage qui de recta Naturæ operandi regula tam absurdâ animo concipis. Ea nempè adeò prudenter in omnibus agit, vt licet liberali quadam manu, suos thesauros elargiatur, prodiga tamen nunquam sit, nec quid minimum frustra vanquam operetur. Quamobrem prudens potius censenda est, si visum Testaceis animalibus non necessarium denegauit. Animalia enim omnia tellis inclusa, præsertim ea, quæ Turbinata non sunt, & progreendi facultate carent, humore marino præcipue nutriuntur, quem, cum per poros attrahant, quærere vtique non debent, cum in aqua generentur, & perenni quodam vbere semper ali possint. Ea verò, quæ præter aquam cibis diuersis pascuntur, vt notat Aristoteles, motu non carent, & olfactu, quo appetitu excitato, sensuum ductu eos inueniunt. Odor enim, afferente Theophrasto, Animalia omnia ad sumendum cibum inducit, quem naturali quodam instincto ad nutritionem aptum esse iudicant. Sic Purpuræ, Turbines, & alia Conchyliorum Genera foetidas appetunt carnes natis inclusas à Piscatoribus.

Hic autem aliquid dicendum est de modo, quo Turbinata mouentur. Testarum scilicet pondere onusta pedibus, brachijs, & squamis orbatæ, spumante reptatu incedunt, sicuti Vermes, qui, vt notat Albertus, *contractione, & emissione corporis progreendiuntur*. Quamobrem ipse ossium defectus motui adiumento est. Sibi suavit quidam ex recentioribus Auctor, alioqui præclarus, iuuari motum ab orbium circumvolutionibus, quibus dum mouentur quodammodo nituntur, ac vires augent, vt mouentur facilius. At experientia didici ab eis quidem latibula formari, in quibus Animal inclusum, & spiraliter convolutum possit tuto progreedi, sibique ponderosam do-

Lib 4 de  
Animæ c. 8

Trac. de  
Anim. c. 10

domum semper vnitam trahere ; obseruare enim quisque potest Animal, cum moueri incipit, magna sui corporis parte è turbinata testa exire , cum qua deinde, sarcinæ instar dorso impositæ, progreditur , arcuatim membra flectens , vt suo loco fusius videbimus . Nunc satis superque sit Prouidentiam Diuinam in eis elucemem admirari , qua gubernantur Testacea, & quod mirabilius est animaduertere , ab eis nempè bina saltem cornicula , è fronte emitte, non ad vulnera infligenda , sed ad itinera prætentanda . Tenerrima enim sunt , & quidquid in aduerso potest obijci , adeò facile sentiunt, vt vix tatis , illico Animalia recedant , abscondantque se in Testæ recessibus , quam secum semper deferre notauit ille apud Atheneum , quia nemini credunt .

Nequè ideo credendum est vitam in eis viuere infelicem , eò quòd angusto veluti carcere inclusa libertate frui nunquam possint , Amantur enim recessuum angustiæ , sicuti cæteris rebus placet quidquid earum prodest conseruationi , quibus munimentum formatur , sub quo offendentes euitent, recedendo , cum offendere neminem possint . Nec alia desunt Tutamina , ut conseruentur : Illa enim , quæ semper , vt Plantæ manent in loco , ubi nascuntur , testa durior , vel crassior contra voracitatem Piscium defendit , alia licet mobilia præduri muniunt Mucrones , siue Murices aculeati , alia lapidea lorica tuberculis aspera , multis verò oris apertura , vel angustissima est , vel operculo saxeо adeò arctè clauditur , ut neque aciculae capacem rimulam intidiantibus relinquat ; Quapropter aptius illis quam Terræ Fructibus Poetæ carmina conueniunt .

*Dalla Natura si vuol imparare*

Berrii

*Ch'hd le sue Frutta , e le sue cose armate*

*Di spine , e teste , e ossa , e buccia , e scorze*

*Contro alla violenza , ed alla forza .*

Haud equidem nego ex ijs multa testa adeò tenui subtilique circumiecta viuere , vt quasi penitus inermia Piscium voracitatem euitare non possint , vnde à Polipis præcipue complexu crinum franguntur , rostroque abripiuntur ab Aue Lari , quæ referente Eudemio in libero aere ea relinquunt , vt cadant supra scopolos , ubi demum testis in partes concisis , facile carnibus inclusis veiscatur , reddatque falsum quod Ouidius dixit :

*Ostreaque in conchis tuta fuere suis .*

At nequè in ijs Prouidentia defecit , cum arenis tumulata na-

Plutar.  
Apoteoph.

Berrii

Apud  
Gesner.  
de Aquat.

scan-

scantur, ex quibus haud facile exhumari possunt, sicuti Balani, & Dactyli inter cætera delicatores saxeо quodam argine circumsepti, multique minimæ molis Turbines in spongiarum cauitibus aluntur succo quodam foeditissimo, quo Pisces insidiantes arcentur. Quod si aliqua cortice ferè nullo munita, in escam tantum generata videntur, eis tamen alia insunt dotes, quibus cæteris præstant, comprobantque effatum illud Horatij Neminem esse in hac vita *ex omni parte beatum*, sicuti nullus est, nisi apud Inferos, omnino miserrimus. Vnde gignitur pius quidam affectus erga Dei Prouidentiam, cuius matrem administrationem esse affirmat D. Thomas cum Propheta clamantem:

Pl. 100.

*Magna opera Domini, cogitationibus tuis non est quis similis sit tibi, nec in Cœlo tantum, sed Terra marique omnes eam agnoscunt, dum vident, Mirabilia Dei in profundo.*

Et ne Cochlearum indaginem omittamus, illud hic ad memoriam reuoco, quod de ijs narrant multi, Ostreas videlicet, quæ in mari Persico nascuntur Persarum Regem imitari, qui Æstate Susas, Hyeme verò Ecbatanam Urbem incolit, cùm mensibus frigidioribus in Ponto magis temperato stabulantur, calidioribus verò in Egialo mari, cuius vndæ minus calidae sunt frequentibus Euris agitatæ. Conchas insuper, quibus vniones generantur gregatim ex uno in alium locum natare, ducent, omnium agmen vna inter cæteras maiori, quod tamen Prouidentiæ laudi tribuendum non negarem si ex rationibus alibi discutiendis falsum esse non crederem. At nulli profecto improbandum est, quod de Cancello pluries docuit experientia, in limo nempe illum gigni, deinde in vacuas testas ingredi, vbi cum creuerit in ampliorem testam subire, videlicet, aut Neritæ, aut Turbinis, saxe etiam parvam Buccinam ingressum eam circumferre, ibidem nutriti, & augeri, deinde capaciorem petere. Aristotles, qui in hoc minuto animali explicando diligenter videtur suisle, quam in multis alijs explicatu alioqui dignissimis, illum quodammodo inter Crustata, & Testacea Animalia ambigere dixit: Natura enim ijs, qua specie locustarum sunt, similis est, & ipse per se nascitur, quatenus verò testas ingrediatur, illaque viuat, testaceis similis est. Multi Eremitam Bernardum illum vocant, Eremitam quidem, quod alias fugiens in testa perinde, ac in solitudine viuat, Bernardum autem quod Plebs vulgari prouerbio *Bernardos homines fatuos esse dicitet, fatuumque esse cancellum, qui crusta tectus, chelas ha-*

habens, quæ ad vitam tuendam satis esse possent, alienas domos querat in quibus latens viuat. Verum prudentem potius duxerim cum Aristotele, quod nudas, & iniuriæ valdè oportunæ aliquas sui partes dura, & firma testa muniat,

Quid autem dicendum sit de Pinnis Lectori iudicandum relinquo, si tamen vera sunt, quæ de illis Plinius asserit. Illarum videlicet testas à canchris paruis habitari, eisque in capiendis pisciculis auxilio esse. Pinnam enim scribit Oppianus in magnis testis esse imbecillem sine mente, & sine oculis, ideoque hospitem cancrum excipere, à quo mortu admonitam, cum Piscis testam subit, illam claudere, prædamque communem in tuto depasci, vnde Pinnophilax vocatus est. Quapropter tutiores viuerent Ostreæ si etiam in ipsarum testis socius similis habitaret; opportunè enim admonitæ testas, apertas ad aquam hauriendam clauderent, cum cancer lapillum chelis arreptum in eas imminitt, eoque impedit ne claudant, deinde ingressus earum carnes deprædatur. Hic adde Echinometras, quæ semper testis inclusæ longis aculeis armantur, quibus vtuntur, perinde, ac pedibus; his enim nitibundæ mouentur, sedemque permuntant in Orbem se mouendo, cuius rei argumentum Aristoteli fuit, quod detritis læpè aculeis inueniuntur, & semper aliquid algæ suis spinis implexum gerunt.

Eiusmodi autem Prudentiæ opera necessitatibus subsidium esse si quis dicat, cui Natura opitulari tenerur, adeoque admiratione minus digna, hæc profectò debenda erit Nautilo, cui pulcherrimam testam non Munimento tantum Natura adiecit, sed Venustati; in qua, velut in nauि argentea, naufragio haud obnoxia per summa maris spatiatur, remigantibus interim quibusdam brachijs, aut ventorum flatus excipiente membranula, quam ad velificandum extendit, vel statim crispatur, si forte aliquem insidiantem oculis deprehendat, petitque maris fundum, vbi tutò stabulatur.

Sed omnium proprietates prosequi velle infiniti esset Operis, cum singula Animalcula æquè ac maxima Diuina Prudentiæ argumenta patefacere homini possint, sicuti Ostreorum Species vniuersæ eandem indicant cortice, quo teguntur, siue aptius loquar, comuniuntur, tanquam Arce animata, cui aptandum videtur, quicquid de Dauidica Turri S. Ambrosius dixit: fabricatam nempe illam fuisse Subsidio pariter, & Decori quidem ob venustatem siue colorum, siue formæ pul.

pulcherrimam visu: *Subsidio* autem eò quòd semper receptui dare se possint, cum insidias animaduertunt, ad quas vitandas eam circumferunt. Vnde Prouerbium in eum, qui nulli fudit: *Cochleis tu es diffidentior.*

Idem S. Mediolanensis Antistes, quem nominauimus, in mentem reuocat studium cum Religione coniunctum, quo ipse Echini proprietatem recognouit, illum nempè, imminente maris tempestate, saxis firmiter adhærescere, ne vndarum impietu hoc illucque agitetur, sicuti aliquæ aliæ Concharum species, Plinio referente, adhærescentes saxis signa sunt tempestatis, Sed causam inquirens, nullam aliam esse sibi persuasit, nisi Dei Providentiam, quæ non laborans in maximis, neque fastidiens in minimis, omnia quæ condit, miris proprietatibus ditat, quæ in considerante admirationem pariter generat, & Amorem: *Quis Mathematicus*, inquit Ambrosius, *Quis Astrologus*, quine Chaldaeus sic poterit siderum cursus, Cæli motus, & signa comprehendere? Vnde huic exiguo animali tanta scientia, ut futura pronunciet? Crede quod indulgentia Domini rerum omnium, id quoque præscientia huius munus acceperit. Omnia replet sapientia, qui omnia in sapientia fecit: Quæ cum ita sint, nonne imbecilli, ac diffidenti animo scopuli firmitatem inter maris agitationes Fides Divina communicabit?

## CAP. VNDECIMVM.

### De Vario Testaceorum Vsu.

**Q**uidquid rerum omnium Conditor oculis Mortalium sub-  
Epist. 5. de Resur.  
linus, vt ex ijs carnalia emolumenta capiamus, sed etiam multo  
magis spiritualia perlegamus. Et rationi valde consonum est,  
inquit Tertullianus, quod cum homo spiritu constet, & carne,  
vtrique eius parti fuerit abunde consultum. Hinc totus Ter-  
rarum Orbis veluti vasta Bibliotheca animo est, vt in ea cra-  
diatur, corpori verò tanquam ditissimum Penu, quo indigentiae  
In Ps. qui habitat serm. 14.  
satisfiat. Quare D. Bernardus: *Quanta, inquit Deum allo-  
quens; largitus es ad sustentationem, quanta ad eruditionem!* !  
*Quamobrem sicut olim ad sustentationem Eliæ Corui dafseri  
extite.*

extiterunt, iuxta illud, *Cornisqne præcepi*; *vt pascant tibi*: ita pariter omnibus rebus præceptum posuit, *vt nobis vtilitati es-*  
*fent delectando scilicet sentus saporibus, odoribus, coloribus,*  
*& cantu; dando carnibus cibos, oilibus arma, pellibus vestes,*  
*plunis ornatum, tinturas sanguine, medicamina succis, mar-*  
*garitis diuitias.* Nec minus quam cætera omnia Conchylio-  
*tum Species afferunt homini vtilitates, quas recensebimus.* Pos-  
*sent hic numerari innumeri penè modi, quibus Medicinæ fa-*  
*cultati prosunt; sed illos data opera ommittimus nolentes*  
*transcribere, quæ fusis narrationibus Alij suis in paginis po-*  
*suere. Quærat curiosus Lector apud Dioclem Caristium,*  
*Galenum, Mattiolum, Cornelium Celsum, Plinium, & Dio-*  
*scoridem.*

Medicamentis, quibus vel ex testarum attritu, vel ex car-  
*nium coctione vtuntur Pharmacopolæ in medicinæ subsidium*  
*longè nobiliores sunt usus, qui cæteris facultatibus præstan-*  
*tur à Cochleis;* Ante omnes ille sciendus est, quo rebus omni-  
*bus anteponuntur, cùm loco pecuniæ adhibitæ rerum omnium*  
*pretium æquant, easque producunt virtute quadam ab homi-  
*nū arbitrio accepta, vnde Aristoteles notauit multos alioquin*  
*prudentia præditos, ideo summè avaros esse, & pecuniz tena-*  
*ces, quia eà quidquid sibi libuerit facile consequantur.* Propè  
*Regnum Congianum ubi flumen, Coanza dictum ab Incolis, ex*  
*lacu, è quo Nilus originem trahit, excurrit in Oceanum, adia-  
*cet Insula, cui nomen Loanda, vulgo Paeze Raso, e senza Monti;*  
*parum enim eminet supra mare, mille quidem passibus lata,*  
*viginti verò millia passuum in longum extensa. Hæc igitur*  
*dici potest copiosa monetarum fodina, quibus populi Congia-  
*no Regi subiecti auro argentoque prædiuites vtuntur in com-  
*mercijs, loco pecuniarum præbentes Cochleas, quæ referente*  
*mihi oculato teste, sunt parvulæ Venereæ, quas num. 233.*  
*Classis 3. indicabimus.* In Regno pariter Tobuti, quod af-  
*fluit fluuius, Nigir, siue Senega dictus Cochlearum testæ ex*  
*Persico Mari acceptæ loco monetarum habentur. In Regno*  
*Bengalensi illæ sunt, quas Itali nominant Porcellotte. In qua-  
*dam Philippinarum Insula Venereæ, num. 247. descriptæ, expen-  
*duntur. Quæ omnino à PP. Societatis Iesu Missionarijs relata*  
*mihi sunt. Insuper Ioannes Rho in Examerone de alijs narrat*  
*pecuniz loco habitis ab Incolis Capitis Viridis. Vnde falsura*  
*reditur vetus Græcorum adagium, quo Concha vilis esse*******

3. Reg. 17.

Prabl. de  
Prud. sect.  
30.

Orat. 37.

Nec. 12.

significabatur quidquid nihil faciendum putabant,

Hinc ad alios peculiares Vsus transeamus. In Insula Goa-

Philip. à S. Trin. itin. Orient. l. 7. c. 7. Olaus magus pag. 203. Georg. a. Conchyliorum testæ igne perustæ, vti lapides, calcem subministrant ad ædificia extruenda, quæ tamen imbribus facilius dissoluitur. In Orottingana Regione loco ligonum Pinnis magnis vtuntur Rustici, & vitibus varia Concharum genera fertilitatem addunt, dicente Virgilio.

----- *Quæcumque premes Virgulta per agros*

*Sparge fimo pingui, & multa memor occule terra,*

*Aut lapidem bibulum, aut squalentes infode Conchas :*

Gio. Boem. nè costumi del. le Gent. Eneid. II, 11, 10. Eas verò ad nobiliorem vsum Ars militaris accepit, belligeros spiritus ciens apud Incolas Insulae Cumanæ in Animis nullum Buccinis loco Tubarum, vt olim apud Romanos cum

*Buccina iam priscos cogebat ad arma Quirites.*

Prisci Homines antè Tubam inuentam vtebantur, aut fumo, aut Cochlea marina. Tritones aliqui fabulantur Concha perforata buccinare. Plinius iam Concha canentem Tritonem dixit, & Virgilins de Misseno Tubicine.

*Sed tum forte cana, dum personat aquora Concha.*

Accepto fortasse à Piscatoribus documento, quorum mos est apud plurimas Nationes sonitus buccinis reddere, antequam piscari incipiunt, ideoque dicti sunt Conchitæ, & Conchiliarij à Plauto, cum ait: *Saluete fures maritimi Conchytae, atque Namiotæ, famelica hominum ratio, quid agitis?* Dubium autem est an sonos edant Pisces alliciendi gratia, sicut ad ouilia vocatur Pecus, vel ad venatum canes extimulantur, siue potius animi relaxandi, vt apud Incolas regionis indicæ, quam dicunt Xaguaguara, mos est lyræ loco Ostreorum testis inuicem repercutiis ad numeros sonum edere, quo choreas, & tripudia solemniter ducant. In Insula, cui nomen S. Marta non solum

Petrus Martir. I. 4 dec. 3. parietes ornantur iuncorum, & palmarum storeis, margaritarum lineis distinctis; sed ad cubilia, & domorum ianuas Concharum copiam appendunt, quibus à ventorum flatibus agitatis sonus reddatur. In quadam Hispanæ plaga maritima fistularum vices supplent aliquæ Cochlearum species in longum turbinem conuolutæ. Apud Romanos Senatorum suffragia loco schedularum Conchulæ referebant in foro, cum de morte, vel vita captiuorum decernebant; Imò magno pretio illas mercari solebant, quarum purpureo succo uestes tingebantur, parui habentes multorum vitam, cuius discrimine obtinebant paucas colo-

Didimus apud Athe naum.

coloris guttas ; quibus luxum , & fastum lactabant , illum ostentando in vestibus , subditis interim exosi , ut Alexander Persica veste clamydatus , summis autem in amorphibus habitus , cum Græcorum more modestè indueretur .

Sanius quidem Conchylijs vñ fuere , vt alibi diximus duo illa Romanæ Reipublicæ decora Lelius , ac Scipio , cum solebant Conchas ad Caietam , & Lucrinum legere , & ad omnem animi remissionem ludumque descendere . Authore Polluce ludi genus est , quo ducta linea disperitos in partes pueros diuidit , mox projecto Ostraco siue testa , pars quæ supinum prouumque eius casum diuinariat , alteram in fugam dilapsam insequitur , deprehensus considerat (asimum nominabant) repetitque cantionem *nox an dies ?* Lulsum istum apud Hollandos etiamnum ex vñ esse scribit Nomenclator , vocarique ibi *Luyzen est noppem* , siue *Nol of bol* ; quod est *Planum ne an Cauum* ? Præter hunc alterum refert , quo Conchæ supra stagnantem aquam vehementer iaciuntur , & viator dicitur ille , cuius Concha aquæ superficiem leviter tangens , plures saltus ediderit , antequam , cessante motu , demergatur in aquam . Ex hoc autem puerili ludo posset quis innumeros penè circulos obseruare in aquarum superficie formatos , rationemque excogitare : cur semper factis noui succedant , vnumque alter quodammodo insequatur ,

*Come i Delfini , quando fanno segno*

Dante

*A marinari coll'arco della schiena*

inf 21.

*Che s'argomentin di campar lor legno .*

Quando Concha vix aquam abradens ,

Sil. Ital.  
de bello  
pun.lib.130.

*Exiguos format per prima volumina giros*

*Mox tremulum vibrans , motu gliscente liquorem*

*Multiplicat crebros sruati gurgitis Orbes :*

*Donec postremo laxatis circulus oris*

*Contingat geminas patulo curuamine ripas .*

Sed recensere quis poterit quot modis mechanicæ Facultates Cochleas adhibeant ? Ex ipsis plastica ars conficit Porcellanam præcipue in Kiansi prouincia Sinarum : ibi enim testas minutatim concisas sub terra in locum aliquem secretiorem reconduunt , quem Pater liberis suis designat , atque ibi octuaginta annos manent occultæ , quo tempore elapso , filij , vel nepotes eas eruunt ad pretiosa illa vasa conficienda . Confieuntur autem , inquit Ioannes Linscotanus , nauigationem Orientalem describens , ex durissima terra specie , quæ cisternis iniecta maceratur ,

Pancirel.  
tit.de Por-  
cellanis,

Cap. 25.

donec duritie deuicta , fæpèque versata , quemadmodum apud nos agricolaræ lac in butirum exercent , in summitate materiam , excernant , ex qua subtilissimum opus fit . Ex ijsdem pariter bene contusis , & maceratis conficiuntur Inrita , in quibus cameorum calatura impressione representantur . In Brasiliensi Provincia imberbes aliqui inter agrestes populos capillum subnascentem Conchulis interceptum detondent , quas è collo pendulas ad istos usus circumferunt . Cochlea quam numero nono Oleariam dicemus solebant Veteres in usus quotidianos oleum haurire , vel ea oleum decapelare , cuius figura ad id percomodè quadrat . Huiusmodi etiam , sicuti & testam Nau-tili Aurifices , additis ansa , & basi , in vrceos efformant elegantia artificio , quòd eam contra venena aliquid valere credant . Multæ etiam vilæ dentifricijs conficiendis sunt utilissimæ .

Apud Ægyptios Cochleis Venereis utrantur mulieres , & eisdem ornamenta quædam linea in amylo aqua diluto , lota , deinde exiccata poliunt , adeò ut splendeant . Eisdem Itali , atque Græci , & Turcæ chartas leuigant , quod & Plinius olim factitatum fuisse memorat , & Martialis cum ait :

*Leuis ab æquorea cortex Mareotica Concha  
Fiat , inoffensa curret arundo via .*

Ideòque à nonnullis leuigatoriæ , vel leuigatae dicuntur . Huiusmodi Conchis , ex Mari Rubro acceptis , onerantur Cameli , eidem appensæ Claves non solum in Europa , sed in noua Hispania gestari solet . Has Aurifices in duas partes secent , & Cochlearia conficiunt , hoc vocabulo expressa , quia sunt ex Cochlea . Has equorum frenis , & phaleris nonnulli accommodant . In Vrbe , Bengala dicta , ab Indis è Conchis Margaritiferis in crustula disflectis scrinia , & belli instrumenta miro artificio exornantur . Concha , quæ num. 2. Classis 3. describitur coquinariæ arti inseruit , in quadam Insula Philippinarum ad omnia ciborum genera elixanda . Inueniuntur enim in eo mari adeò capaces , vt earum moles trecentarum librarum pondus exæquent , sicuti alia innumeræ paruiores Pictoriæ arti colores , & pigmenta conseruant .

Cuius autem calamus ad viuum posset hic explicare quo ornamenta fontibus , parietibus , & statuis addant Artifices ingeniosi ? Adeat curiosus Criptam , quæ Varsaliana dicitur propè Parisios , quam splendida Regis magnificentia , & studio-fa Architectorum industria præclarara ornatibus efficerunt

Ibi .

Ibi miros aquarum Iudentium fontes , ibi Phebi ad viuum expressam imaginem videbit in marmore post emensa Cœli spatia inter placidas limpha:rum vndas laboris leuamen sumentis; ibi anhelantes eiusdem equos sitim restinguere, omnia verò lapillorum Concharumque musiuis operibus exornata , vel columnis Cochicarum more contortis , vel Encarpis ex ipsis Cochleis concinnatis, siue in phrigia ornamenta minutis conchulis distributis, siue in Tritonum simulacra coaptatis, pluribus quidem, sed omnibus ingeniosis modis inter multicolores lapillos ad ornatum disseminatis . En tibi subijcio in fine libri aliquas laruarum effigies, ex imaginibus Parisijs impressis acceptas , quibus operis æque præclari, ac curiosi absenti oculo præbeas argumentum.

Nec omittendus hic est pius vsus , in quem multorum religio easdem conuertit , conseruando scilicet lustralem aquam in templis, ac domibus, fabricando earum testis globulos , quibus preces solent nuncupari , quos vidisse se narrat , Ioannes Rho , aureis filis elegantissime intertextos , à Peruano Regno Summo Pontifici Urbano dono mislos , compositum pariter præclarar. Exam. or. 37.0.33.  
arte ex innumeris Conchyliorum testis Altare , quod fusè per partes hic Auctor describit . Ornamenta insuper elegantissime concinnata sacris imaginibus addi in aliquibus Belgij templis ex oculatis testibus accepi .

Illi vtuntur pauperes incolæ in Oris ; quatuor nomina dicimus Curianam, Vrabam , & Xaguagaram , ad verecundiam munimen, non secus , ac Adam , & Eua post innocentiam iacturam consuerunt folia ficus , & fecerunt sibi perizoniata . Alij ad pietatem significaudam, qua longas itinerum peregrinationes suscepunt , ideoque Conchæ , Pedines dictæ à Latinis , vulgo appellantur *Cappe sante* , & *Cappe di S. Giacomo* ab vsu Peregrinantium , qui eas dorso , & Pectori appensas ferentes , cum ad eum venerandum Galiciam profiscuntur , morcm aliquorum hoc pacto damnantes, quorum olim superstitione Religio, postquam eas Diana, Venationis Dex tutelari , sacrauerint tanquam amuleta Canibus appendebant, vt inquit Gratius inter Veteres Poetas non vltimus .

----- *collaribus ergo*

*Sunt qui lucifugæ , cristas inducere malis*

*Iussere, aut sacris conferta monilia Conchis .*

Non minus quidem dannandi , quam Trogloditatum foeminæ, quæ vt amuletæ inter vbera gestabant, aut illæ, quæ paruulas, & caudi-

Petrus  
Martin. l. 4  
dec. 3.  
Gen. 3.

De Venat.  
vers. 400.

candidas venereas, vterim calculos à figura dictas, tanquam  
vteri morbis salutares pectori appendunt, seu verius dicam luxu-  
riæ superbiæque prætextus est, quæ vt hæc, & alia ornamenta,  
ceu valetudinis gratia, auro argentoque inclusa ostententur,  
efficit, amatorum potius illiciæ, quara sanitatis tuendæ instru-  
menta, aut amuleta morborum.

Laudabili autem vsu in Stemmatibus ostentantur, vel ar-  
gento, vel auro, vel coloribus cianeis decoratæ, vel fascijs pur-  
pureis distinctæ, vel aureis Zonis circumseptæ. Collocantur  
etiam inter Aquilas, & Leones, Animalium Principes, ad cele-  
brandas, vel Prosapia dignitatem, vel longissimas per terrarum  
Orbem excursiones, vel in mari classicas pugnas, quas abundè  
relatas agnoscer curiosus Lector in capite 30. Voluminis, quod  
Marcus de Vylson eruditè conscripsit. Eadem è cæno, vbi  
vilia natalia sortiuntur ad nobile fastigium euexit inclitus Gal-  
liarum Rex inter Ludouicos XI. cum Equites S. Michaelis di-  
ctos, aureo torque insigniuit conchis simul connexis efformato,  
additoque numismate, in quo S. Michaelis imago Tartareum  
Draconem vulnerantis videbatur, reuocans hoc ritu in omnium  
memoriam Pietatem Caroli Septimi Regis erga eundem Ar-  
canglorum Principem, cuius patrocinium sibi spondens, ima-  
ginem in vexillis ostentando, victorias Terra Marique ex hosti-  
bus se relaturum sperabat, vt retulit, cum illum apud Aurelia-  
nensem Vrbem sibi, & Galliarum incolumitati in aere dimican-  
tem vidit.

Nec tacenda est utilitas præcipua, quam ad corpora su-  
stentanda suis carnibus afferunt Testatorum plurimæ species.  
In Prouincia, Curtana dicta, apud Pariam conchis, & Ostreis,  
vt plurimum vescuntur Incolæ, licet leporibus, & cuniculis  
maximè abundant. Aliqui Populi, referente Strabone, Ostreas  
in Piscinis nutrunt, vt mensis parandas facile inueniant. Cui  
autem latet quanto apud Romanos essent olim in pretio? In  
hoc præcipue damnados, quod Prouidentiæ ordinem euer-  
tentates, Gulæ, & Vitio illi darent, quæ ad vitæ sustentationem  
abundè condita è mari pescabantur. Multi enim ad venereo  
stimulos addendos illis vtebantur. Aetio docente omnia Con-  
charum genera tales virtutem continere, à Poetarum com-  
mentis indicatam, cum asserunt Venerem, vel natam in con-  
cha, vel in concha cimbæ loco, Ciprum profecisse. Plerique  
verò, vt gulam explerent, Lucullo non absimiles, qui lautissima  
cœna

Sceuole,  
& Lu's de  
Sainte  
Marthe  
Hist. de  
France:

Hierouym  
Gilius I, 16

cœna dies omnes cladebat, omnium Elementorum tributis comparata, siue, verius dicam, Trifauci Cerberi, & Geriones triplici abdomine ventricosi semper expetebant, quas vocabant Viduarum cupedias ad saporis præstantiam indicandam, pretio licet enormi comparatas. Quamobrem Seneca in turpe hoc gulæ vitium inuehens: *Quantum (ait) ex tot Conchylijs tam longè aduetis per istum stomachum inexpibilem labitur?* Qui-  
bus malis, vt mederetur Respublica, Lex scauri, & Populi Cen-  
forum fuit, Conchyliorum vsum prohibens cœnis, ac ea ferenti  
pœnas perscribens.

Ad memoriam hic reuocantur nunquam satis damnandi mores, quibus eisdem vtuntur fœminæ. Varios autem illarum usus recensere quis potest? Capiti satis licet concinnato, & cirrulis floribusque abundè calanistrato Cochleas addunt, in fimbrias, in tenias, & cristas circumponendo, nec putant onera, vt inquit Ambrosius, *si pretiosa sint*. Ex iisdem, & gagatarum globulis multæ monilia, & cingula contexunt, præsertim viduæ, Rondeletio narrante, quæ luctus tempore nonnisi nigris candidisque ornantur. In Insula Cumana ex Conchis Monilia, & ex Cochleis corollas, & armillas pauperes fœminæ sibi comparrant, ex margaritis verò dictiores. Apud Gallos in Vrbe Agde, lineas formant, referente Fabro, *quas gastant ad pompam, & de corem*, Eis vtrntur in fuci Grecorum mulieres, in succo pomi citrij dissolutis, & sublimato, vel adipe gallinaceo permistis: sic enim facies splendidiores, & candidiores effici putant. Verum omnium amores sibi vindicant Margaritæ. Nec solum Columbus hoc agnouit in Insula, cui nomen Gratiae dedit, vbi post diuturnos in mari labores, & vita discrimina primum appulit, Americanas Regiones inuisens, cum magnam vident Margaritarum copiam à nigris fœminis pectore brachijsque nudatis ostentari. Fœminarum fastus, & vanitas cum ipsis nata, delicias Margaritarum huic sexui in Mundo muliebri veluti præcipuum Elementum recenset, & mulieres se non putarent, si Margaritis carerent. Nonne, & Iffaias cap. 3. vers. 23. in Mundo muliebri eas recenset? Illis vtuntur quamplurimæ non pudicitia tuendæ, vt Puellæ Bengalenses, quæ contra violentos satis munitæ vbique incedunt, si candidis margaritis ornentur; sed vt amatorem potius sint inuitamenta, & venalem suam pudicitiam hac edera produnt, dum pulchriores iudicari student, si tamen palera dice ida est, vt cum Tertulliano loquar, mulier, habitu-

Celius Re  
dig. 27.  
lect. c. 23,

Lib. 24;  
ep. 1.

Apud  
Gesn. 629;

De habitu meretricio velata , quo potius ostentantur corpora , quam ve-  
 Mulier. stiuntur inquit Solinus . Longis Margaritarum lineis collo plu-  
 c. 54. ries circumductis vanitatis mancipia efficiuntur , quarum tamen  
 Senec. lib. licentia , ait Seneca , non satis viros subiecerat , nisi bina , ac terna  
 de benef c. 9. Patrimonia auribus singulis pependissent . Fuit olim amentiae  
 Lib. 17. c. 3 pompa , cum veriore luxuria , quam triumpho ( Plinij ver-  
 bis vtor ) Pompei imago Margaritis gemmisque tessellata  
 Romanis Ciubus spectanda existebat in foro , verum longe maiorem foeminarum stultitiam dixerim , cum eisdem  
 onustæ incedunt , in quavis corporis parte eas ostentantes , vt  
 olim Lolia Paulina , Cleopatra , & delicatuli Parthorum Orato-  
 res , quos Romæ vidit Tertullianus , habentes in Peronibus  
 De habit. Uniones .  
 Mulier c. 5

Heu monstrosa Vanitatis foemineæ deliramenta ! Quæ  
 concharum excrementis superbiunt , pulchrioresque se credunt .  
 At cedo Margaritas plurimi faciendas esse apud homines , eas-  
 que adeò pretiosas existere , vt omnium amores sibi meritò vin-  
 dicent . Nunquid ideo foeminarum ornamenti addendas quis  
 dicet , magna numinorum vi , qui Natorum alimento , Famili-  
 iarum conseruationi , & Populorum bono debentur , compara-  
 tas ? Iure Plinius in hanc Culæ , & Luxus libidinem inuehitur ,  
 Lib. 9. c. 54 vbi sic ait ; sed quid hec parua commemoro ? cum populatio morum , atque luxuria , non aliunde , quam à Concharum genere pro-  
 ueniat ? Iam quidem ex tota rerum Natura damnosissimum mare  
 est , tot modis , tot mensis , tot piscium saporibus , quibus precia  
 capientium periculo fiunt . Sed quota hec portio est reputantibus  
 Purpuras , Conchilia , Margaritas ? Parum scilicet fuerat in gu-  
 las condi Maria , nisi manibus , auribus , capite , totoque corpore  
 à feminis iuxta virisque gestarentur . Quid mari cum vestibus ?  
 Quid vndis fluctibusque cum vellere ? Non rectè recipit hec nos  
 rerum Natura , nisi nudos . Esto si tanta Ventri cum eo Societas ,  
 quid tergori ? Parum est nisi quo vescimur , periculis etiam ve-  
 stiamur . Adeò per totum corpus anima hominis questita maxime  
 placent .

Huius tamen obiurgationis aculei non mari debentut , vbi  
 Testacea nascuntur , sed eas abutenti , quoniam ( docente D. Ambro-  
 bacio ) nihil Natura deliquit , alimenta dedit , non vitia præ-  
 scriptae .

Quam verò sanius vntuntur Margaritis Praediaræ illæ mu-  
 llieres , à quibus in templis Altaria , sacræque Imagines eisdem  
 deco-

decorantur . Egit hoc inter cæteras Diua Elisabet Hungariæ Reginis Filia , & Langrauij Vxor, cum in Templo Margaritis , & gemmis onusta patibulati Numinis effigiem plagis cruentam inspiciens , vanitatis pertæsa , pietatemque edocita in testimoniūm penitentiæ , quæ fuerant Mundi , & carnis arma, malitiæ que instrumenta pro tabernaculi ornamentis Deo Optimo Maximo dedicauit .

Nos igitur humano Generi tam variæ , ac multiplices Conchyliorum species ad inutilem pomparam Natura produxit , sed ad laudabiles vsus , inter quos , vel vnicus illam maximè commendaret , quo eius in producendo prodigiosa fertilitas , siue , vt verius loquar, Diuini Conditoris Bonitas , & magnitudo etiam in Rebus minimis ostentatur .

## CAP. DVODECIMVM.

Referuntur varia Musea ; in quibus Cochlearum , & Concharum Testæ conservantur .

**E**T ne laudabilis hic vsus pretiosis phaleris personatam vertitatem , alioqui mendicam , in scenam dare velle videatur , haud abs re futurum putaui , si varia , & celebriora Musea recenserem , in quibus inter cætera tūm Naturæ , tūm Artis præclara opera Cochlearæ suum non indignè locum obtinuerunt . Et sanè turpis iniuria nota illi esset , qui ex eo vituperaretur , quia oculis mentique eas inaniter proposuisset , ac si cum Nerone pretiosi temporis iacturam faceret purpureis aureisque retibus pisciculos viles expiscando . Indignum quippè Homine est inutilibus quæstionibus totam mentem applicare , vt gloriam omnem ex ijs consequatur , at laudabile aliquando ad ea diuertere , quibus possit animus oblectari . *Quis non miretur* , ait Plinius de Platanis loquens , *arborem umbrae gratia tantum ex alieno petitam orbe?* stultus Ariostomacus fuit , qui sexaginta duorum annorum spatio Apum naturam , & mores studuit perscrutari ; stultus Eliogabalus , qui , vt Romanæ Vrbis magnitudinem indicaret , Araneorum telas in aceruum ingentem collectas in domibus priuatis , publico in foro proposuit ; nec

minoris stultitiae damnandum dixerim Domitianum , qui ridiculum Muscarum venatum edoceret ; At nunquam satis laudandus ille est , qui inter priuatos parietes laudabili otio animi gratia per Montes, per Valles, per Maria, ac Fodinas sua mente peruagatur , & ex paucis rerum naturalium fragmentis , quæ sub oculis habet, ingentes Naturæ thesauros deprehendit , toto Terrarum in orbe latitantes .

Prudentes propterea , ac præclarri Viri illi sunt , qui quasi *Cochleariæ sind domibus nunquam sint*, patria domo exulantes , exterio in solo eam colere putant, vbi post longas itinerum dimensiones aliquid scitu dignum in Accademijs audiunt , vel visu spectabile oculis usurpat in Museis, siue à Natura , siue ab Arte propositum . Id Pittagoras , id Socrates , Anaxagoras , Democritus, sexcentique alij fecerunt , quorum vita , vt loquitur Sinesius ; continua Venatio fuit, vt modò per Ægyptum , modò in Græcia, modò apud Persas, siue Indos aliquid noui , vel mente , vel oculis assequerentur ; nihil tanquam vile requirendum esse à Philosopho pro comperto habentes, quod in hac vasta rerum Vniuersitate è Thesauris suis à Natura deponitur .

At ne ex Romaña Urbe longè aberremus : *Et qui tantæ  
sunt Romam tibi causa videndi ?* vt olim Titirum alloquens Pastor , si ab unoquoque eorum sciscitarer , qui ex diuersis orbis Terrarum Regionibus illam petunt ; non quidem libertatis Amor , responderent opinor , verum potius Templa præclaræ inuisendi, Mausolea celeberrima, prodigiosas Statuas, Villas, ac Palatia , & quidquid admirabile ex antiquæ Romæ ruinis erutum, vel supra ruinas ipsas construatum Ars spectandum adiecit. Verum saniori profectò consilio allicerent oculos quæ Natura proponit, ne tales habeant , quos ante nauigandi peritiam habebant homines, cum

*Sua quisque piger littora norat  
Patrioque senex factus in arvo,  
Parvo dunes , nisi quos tulerat  
Natale solum , non norat opes .*

Ego quidem , vt verum fatear , admiratione semper longè maiore Naturæ opus videndum duxi , quam Artis , præclarum licet , & numeris omnibus absolutum hoc esset, illud verò natuorantum decore præditum . Quam difficile , aiebam , Ars suis operibus æquat Naturam ; Si enim statuam cernat oculus , manus scalbris munita , mente adiutrice , poterit è marmore simi-

similem fabricare , verum in ipso marmore construendo nunquam illam, stimulos licet ingentes voluptas adiiciat , æmula-bitur . Poterunt Vitruvius , & Archimedes montes lapideos in Porticus, in Columnas, in Fornices distribuere , at Cochleam , vel minimam construere , diminutam semper proportionem in orbibus circumducendis seruando, non poterunt .

Adeò verum est semper iperbolica vocum additione nos loqui, cum dicimus, Artis opus materiam superari , ad laudibus illud celebrandum . Illa quippe nisi aureo pondere æquali ducatur , vel ex huius inopia, vel ex copia materiæ deriuat .

Horum animaduersione quilibet poterit Cochleas oculis perlustrare, absque eò quod stultitiae notam timeat, merito olim illi tributam, qui iactabundus de se ipso aiebat : *Illo ego sum nulli nugarum laude secundus* . Poterit enim laudabiliter in apparatu conuiuij peculiarem cibum laudibus quis efferre , cæteris silentio non quidem contemptis , sed prætermisssis , & sicuti in Gemmea bulla suum habet pretium Berillus , licet Adamante vilior, sic pariter inter statuas pretiosas tabulasque egregie picturatas, suum meritò locum obtinent Cochleæ .

Videntur igitur in Museo , quod à Vormio insigni Medicinæ professore in Ollandia, Vormianum dicitur, ab eodem publicis in paginis eruditè descriptum; videntur in Museo nobilissimæ Familia Calceolariorum ostentantur, in Cospiano, sic dicto ab Illustrissimo Marchione Ferdinando Cospio , Viro cuius dotibus insigniri Bononia iure gloriatur ; non magis , ut Naturæ curiosa portenta, quam Magni Etruriæ Ducis in Virum tales benevolentiae indicia , qui huiusmodi maris fructibus Museum cæteroqui præclarum, voluit condecorare .

Alias selegit in Neapolitanis littoribus Eruditissimus Imperatus . Veronæ in Museo Muscardo multæ circumspicuntur ; quamplurimæ in Septaliano Mediolani , inter omnia propter varia tum Naturæ , tum Artis opera celeberrimo . Quamplurimæ etiam sunt Bononiæ in Museo Iacobi Zanoni Viri pari humanitate, ac Botanicæ artis peritia , quam luculentiter testatur eruditum opus Typis impressum anno 1675. quo multarum herbarum proprietates reconditas , nouique Orbis plantas Italiaæ ignotas patefecit , nunc à D. Peregrino Zanone, patri in utroque non inpare Filio, summo studio custoditæ cum cæteris varijsque curiosis Naturæ operibus, quæ longa , & accurata solertia ex multis Mundi Regionibus Parens amantissimus,

dum inter mortales degeret , obtinuerat .

Magnis Etruriae Serenissimis Ducibus , quorum Liberalitas , & litterarum Amor ingenij stimulos semper addidere , vt pennis liberius explicatis , eò volatum dirigerent , vbi studiosis experimentis Veritatem in profundo latenter in lucem eruerent , cuam in varijs Naturæ operibus , tributa quodammodo ex Elementis omnibus acciperent , suum etiam in Cochleis abunde obtulit Mare , illudque inter pretiosas gazas ad miros Naturæ lusus explicandos Florentiæ seruatur ; Ibi etiam multæ sunt apud Illustrissimum Comitem Capraram , ibi apud D. Vincentium Viuianum ab Illustrissimo Præsule Stenone acceptæ , sicuti apud D. Cosimum Roserminum Pisanum aliæ multæ visuntur . Quamplurimæ etiam singulæque præclaræ ingenti nummorum vi sibi comparauit studiosus D. Nenrichemont Parisijs , Vrbœ scientiarum omnium altrice , in qua Alexandri Seueri memoria renouatur , cùius benignus in literatos Amor Vulpianum Iuristam sua clamide circumtexit , siue Iuliani , siue Sigismundi Imperatorum , quorum Palatia tanquam priuatæ domus Sapientum ad eorum vitæ sustentationem habebantur . Ibi inquam innumeræ criptam Varsalianam musuuo opere dispositæ exornant , in remotissimis Oceani regionibus selectæ , vt tanquam maris flores ostentarentur , haud breui die yernantes , vt rosa ,

*Quam modò nascentem rutilus conspexit Eous  
Hinc rediens sero vespere vidit anum .*

At ne Roma discedamus ; in hac etiam Vrbium Regina multi Virorum egregij , vel Doctrina , vel nativæ Nobilitatis excellētia inter pretiosas suppellestiles Cochleas posuire . Eas videbis inter gemmarum matrices glebas in Regia Villa Excellētissimi Principis Pamphilij apud S. Pancratium , quam dicimus *di Bel Respiro* . Videbis in Villa Eminentissimi Principis Flauij Ghisij apud montem Esquilinum posita , videbis in Museo , in quo D. Petrus Bellori ob suam antiquorum numismatum peritiam Reginæ Suecorum inclytæ acceptissimus , selectas celebriorum Piatorum tabulas , & Veterum erudita monumenta conservat . D. Augustinus Scilla tum pingendi arte præclarus , tum numismatum eruditione celebris , multas pulcherrimas addidit varijs rebus lapideo succo obduratis , de quibus luculentam , & eruditam Epistolam Typis edidit . Multas in suo Musœ reposuit Eques Coruinus , multas D. Andreas Bonuicinus , ali quas

quas ex elegantioribus D. Carolus Antonius Magninus, quæ apud eūs Hæredes conservantur inter arma virorum illustrium, & varia tum Artis tum Naturæ opera ab ipso Magnino suo calamo illustrata. Sunt insuper in domo D. Euſtaçhij Diuini, quem Excellentissima in Telescopijs fabricans, & horologijs componendis peritia celeberrimam reddidit: sunt in Gazophilaclo Excellentissimi Principis Barberini propè Bibliothecam quadraginta circiter millibus librorum voluminibus impressis prælo, alijsque multis Græcè, & Latinè manuscriptis prædiuitem. Sunt domi D. Francisci Galli, cuius solertia diuersorum Lapidum, Colorum, Fodinarum, & Mineraliani fragmenta magno studio comparauit. Innumeræ, & pulcherrimæ ostentabantur in Musæo Eminentissimi Principis Virgilij Vrsini, propè Vrbis mœnia in Via Flaminia, deinde in ditionem Illustrissimi Marchionis Virgilij Spadæ translatae. Videntur in Musæo Collegij Romani quod celebris P. Athanasius Kircher Mathematicis experimentis, & Machinis insigniuit, illis additæ studio P. Francisci de Gottignies Mathematicarum in eodem Collegio Professoris, qui pro desiderata hactenus maiorum Telescopiorum firma sustentatione, & commodo vñi, fabricata, atque inuenta fuit anno proximè elapso Machina, quam in fine huius Libri delineatam reperies. At hæc indicasse sufficiat. E domesticis parietibus longius peruagari recusans, tuis oculis, Lector curiosè, seriniolum subijciam, mole quidem mediocre, at diuersis Cochlearum Concharumque speciebus cæteris insignioribus Musæis huc vñquè indicatis certè non inæquale. Earum testæ in paginis delineatæ, licet sine coloribus vñfæ, faciem tamen præstabunt, vt Eæ dignosci facile possint, quas catalogis æquè longis, ac obscuris, quia sine iconibus, Auctores comprehendunt. Hac inquam ratione non minus Oculis quam Menti Testaceorum obseruationem fore arbitror oblectamento,



# PARS SECUNDA.

Describuntur Testacea in Parte quarta  
delineata.

**A**RDUUM profectò opus aggredior, & quasi in spatiose Pelago vela soluens, naufragium potius mentis timendum esse, quam Recreationem sperandam agnosco. Ea enim est Testaceorum copia sub vndis, vt deficientibus verbis, singulis vel solum nomen imponere Eloquentia desperet. Adeò facilius est Naturæ facere, quam homini recensere, vt eum Philosopho loquar. Ad eorum Clases, siue Genera solum referenda, vel amplio volumini deficerent paginæ, & qui uis calamus, licet in scribendo velox, à labore deterreretur. Ut igitur Gruis, & Vulpis cœnam non instituamus, inepte loquendo, cum ad animi relaxationem loquendum est, selectas Cochlearum Testas in præsentia oculis subiçiam, ne in cognoscendo animus defatigetur. Oculorum enim propria est cognitio Rerum, quæ Turbam faciunt, vt sunt Flores, Plumæ, Lapiðes, ac Testacea. Diuidam itaque omnia in tres Clases, Vnialuum videlicet, Binaluum, & Turbinatorum, & in quilibet eorum ea in conspectum dabo, quæ diversitate Formarum, aut Accidentium notabiliter, constanterque variata in omnibus, visa mihi sunt omnino specie differre.

Priuantur quidem præcipua venustate, cum in paginis delineantur, cum enim unicam partem semper ostendant, aliæ celantur, quibus spectabiles adeò sunt, vt non facile, quæ nam earum sit pulchrior possit oculus definire. Imò cadauer potius ostenditur à calamo, dum hic negando colores, eo priuat deco re, qui etiam Animæ pulchritudinem in Hominum vultu depingit, amoremque allicit oculorum.

Oblectabunt nihilominus quoquomodo expressæ, vt Lisipum monetæ, celeberrimum illum statuarie Artis peritum, solitum ex manipretio cuiusque statuæ denarios deponere aureos singulos; illum quidem, cum sexcenta, & decem opera, ab ipso facta memoriae subiçibant, nos verò, dum à singulis ingens similiem Testarum numerus à summo Opifice in amplio Oceano

Oceano dispersus publicabitur , de quibus melius , quam de Lissippi signis Plinius diceret tantæ omnia esse Artis, ut claritatem possent dare , vel singula , Sunt enim , vt facies Hominum de quibus loquens in Octauio Minutius Felix : *Eadem ait, figura omnibus, sed quedam vnicuique lineamenta deflexa ; sic, & similes vniuersi videmur , & inter se singuli dissimiles inuenimur .* In omnibus Turbinatis , vt de reliquis taceam , linea spiralis circumvolutiones videmus , non tamen in omnibus est totidem Orbibus producta , nec in omnibus æqualiter apparens , sed in aliquibus partim cælata , partim manifesta , in alijs supra firmam basim , quasi circa columnam conuoluta , in alijs vero sine vlo fulcro Cochleata , in his depresta , ac plana , in alijs intumescens , & sinuosa , in omnibus denique similis , & discriminatim apparens .

Describam igitur breviter in hac parte Cochleas in parte quarta calamo delineatas , vt colores præcipue , locus vbi generantur , & aliqua earum proprietas indicentur , relinquendo quidquid pro comperto non est . Erraret profectò , qui alieno vultu calamo , vel pennicillo repræsentaret Heroem . Si pulcher est fucis deturpatur , Nec Ars , sed fatuitas ad libidinem deppingit , cum loco Cyclopis deformis exprimit venustum Achillem .

Ad eas autem significandas vocibus necessariò utar multoties à Græcis mutuatis , nec culpabiliter à puritate Latini idiomatis receditur , cum aliter loqui non possumus . Aliquis enim proprium nomen non fuit ab antiquis Auctoriibus impostum , vel si tribuerunt , recognosci haud facile possunt , quia figuris non expressæ . Figurae enim descriptionibus magno adiumento sunt ; siquidem hac ratione ipse res velut in conspectum adductæ memoriae , & intelligentiae magnopere subueniunt ; Quapropter Marcellus Virgilius Latina lingua pariter , ac Græcae peritissimus in eruditis Commentarijs ab ipso editis supra Libros Dioscoridis , à tali laberintho recessit dicens , nihil difficultior esse in tota huiusmodi rerum *Commentatione* quam in *appellationibus his concordem Veterum historiam ostendere*. Subiicio igitur breues Cochlearum descriptiones , quæ Iconibus earumdem additæ respicientium oculis non minus oblectamentum afferent illo , quo Enea ab armis sibi à Venere donatis assiciebatur , dum

*Marsigliando alfin sopra lo fondo*

*Si ferma, e l'indicibil artifitio  
Ond'era in testo, e l'argomento esplora.*

## CLASSIS PRIMA.

## Continens Vniualua non Turbinata.

**V**NIUALUUM non Turbinatorum agmen ducat Nautilus. Talis dicitur à verbo Græco *Nautilus* quo Piscis, & Nau- ta significantur. Ab huius testa nauicula repræsentatur emi- nenti puppe in se ipsa aliquantulum reflexa. E fundo Maris per aquæ superficiem velificat, membranulam miræ tenuitatis tanquam velum exténdens, vespertilionum alis similem, quam duobus primis brachijs sustinet, & quatuor alijs subremigans media cauda vti gubernaculo sese regit. Triplicem Nautilorum speciem aliqui asserunt, una tamen earum à Cochleis, quæ Um- bilicatae dicuntur non differt, idèò duas tantum species diuer- fas agnoscimus. Qui in præsentia describitur ad secundam per- tinere dicitur ab Aristotele, sed quia è voluntate pendet hic or- do, illum, qui dicitur ad primam spectare numero 13. descri- bimus. Vterque eorum cùm per mare velificat solet aqua- testam implere, si quid pauoris interueniat, vt facilius demerga- tur, ad vitanda hoc modo pericula, ascendiitque rufus testam conuertens, quam humore exonerat industria admirabilior ea, qua Nauium sentinæ folidis aquis evacuantur. Quapropter Aresius Episcopus Dertontensis eleganter illum describens ait.

*Non hæ ferro, ò bitume, ò tela, ò traue*

*Ne mai del nauigar apprese l'arte*

*Vn Pesce in Mar, e pur Nocchiero, e Naue*

*E di se stesso, e in qualsinoglia parte,*

*Che il vento soffi, egli di nulla paue*

*Nè fuor di sè brama timone, ò sarte,*

Ab eodem Nauium fabricam, nauigandique artem desumptam, Oppianus affirmat. Pompilium illum esse ait Eustati⁹ fa- bulæ conuersum ab Apolline in Piscem, idèò Pompilum à La- tinis vocatum. Porcellanam eum dicunt Galli, quia hæc, vt diximus Capite XI. ex eius testa aliarumque Cochlearum ab Indis conficitur. Alij verò concham margaritiferam appella- runt,

runt, non ex fœcunditate qua Margaritas producat, vt falsò putauit Auctor Musei Septaliani, & Bellonius, ideo à Rondeletio redargutus, sed ex colore, quo Margaritis assimilatur. Videtur enim massa quædam è Margaritis compacta, habens in exteriori facie experimentum, aut castaneo colore circumteatum, aut albo, qui primum ametistinum induens, in ianthinum subnigrum degenerat in ea parte, quæ testæ aperturam versus reflectitur. Apud Iabadium Insulam, & in Mari Sinensi generatur, vbi Ars premium illi addit egregijs Florum, & Auium cælaturis, foliataque pictura.

**2** Sub hoc numero in altero latere eiusdem aperto interior fabrica patet, quæ in triginta, ac plures concamerationes diuiditur. Ex vna in aliam pro libito Animal transireare putarunt aliqui, per siphunculum quemdam, quo in omnibus aditus patet, vt in ingustiorem semper, & magnis intimam stationem secedens pericula tutius euitet. Hoc suauiter ad Arni ritas cecinit Strozza dicens,

*Gode egli solo un gran palagio altero  
Di gemmata, e mirabile struttura  
Ed ha quasi à nostr'onta, oue dimori  
E sale, e stanze, e ritirate, e fori.*

Verùm quia foramen illud vix subulæ exili aditum concedit, & Animal in latiori parte Testæ, vt ossibus caro, coniungitur, credendum hoc minimè est. Ad alium porrò vsum Natura eas construxit, ignotum tamen, nec vñquam ab Auctoriis Nautilum describentibus ad trutinam reuocatum. Ego quidem, vt meam sententiam feram, ad motum inferuire mihi suadeo, vt Animal facilius possit in aqua supernatare, cum

*Egli sol nave, & egli sol Nocchiero  
I perigli del Mar scanza più volte.*

Sed de his valdè dubijs fortasse alibi. Certa nunc perspiciamus Pars igitur externa induitur tunica quasi ossea castaneo colore, maculata. Interior verò vñionum apparentiam siue genimæ Opali variam ad varias luminis reflexiones exhibet, quam cum egregio Poeta Taso obseruans.

*----- hor azzurra, & hoc vermiglia  
Diresti, e si colora in guise mille,  
Sic'huom sempre diuersa à se la vede  
Qualunque volta à riguardar la ride.  
Così piuma tal'hor, che di gentile*

*Amorosa Colomba il collo cinge  
 Mai non si scorge à se stessa simile,  
 Ma in diversi colori al Sol si tinge.  
 Hor d'accesi rubin sembra un monile  
 Hor di verdi Smeraldi il lume finge  
 Hor insieme gli mesce, e varia, e vaga  
 In cento modi, i riguardanti appaga.*

**3** Concha , Patella dicta à Latinis , Lepas à Græcis , quasi squama faxorum , quibus semper adhæret . Multiplex illa est , sed omnes duabus classibus comprehendit . Scaliger . Altera earum illas continet quarum in medio videatur prominens centrum , vt in Clypeis Vmbo , sicuti appareat numero 4. in altera verò numerantur magis depresso , vt numero 5. 6. & 7. Differunt aliquæ notabiliter à cæteris foramine quodam , quod patet in summitate ad reiciendas partes inutiles nutritioni , vt in Echinis . Carent motu progressivo , mouentur tamen attollendo aliquantulum testam ad humorem facilius attrahendum , & si à saxo diuellantur vitam amittunt . Expressam sub hoc numero dicitur Cypria quia in Cyprio mari , vt plurimum generatur , habet rimas æqualiter difuisas , & à centro ad Circumferentiam rectè excusas . Colore est luteo in externa facie , in exteriori albo . Ipsa verò aertura suè basis non ad amissim rotundatur , sed paulo longius ex altera parte ferè procedit .

**4** Patella indica maior , colore Margaritæ sublucide in parte gibbosa , in cava liuido , sanguineis maculis bellè distincto .

**5** Patella candida vbique strijs multum eminentibus distincta , certo numero , & ordine , at in multis cædem striæ sunt minus notabiles .

**6** Patella reticulata , quasi retis foramina ostendens constanti proportione à circumferentia ad centrum diminuta , luteo colore , aut cinereo .

**7** Pulcherrima hæc est colorum varietate , quibus depingitur . Circa centrum aliquæ lineæ subnigræ in girum ductæ , album , quo tota tegitur exornant , vbique à punctis nigris , rubeis , flauisque distinctum .

Plures quæ delineari possent omittuntur , quia solum propter colores inter se diuersæ . In aliquibus pars concava videtur crux imbuta , in alijs purpureo , aut flavo , aliquæ faciem

faciem nigrā, vel cinereum, aut ad pullam accedentem ostendunt, in cuius summitate nota est violacea, quam multi vocant Oculum Hyrci.

**8** Tubuli, aut Siphunculi maris. Dividuntur ab Aldrouando in quaque species, inter quas duæ sunt præcipue. Hi mole maiores nomen trahunt à forma aliquantulum curva, ut dentes canis, vocanturque Dentales; sunt rotundi, & striati, albo colore aliquando labeculis pallidè rufescientibus maculato.

**9** Antales dicuntur alij eiusdem formæ, sed paruiores.

Falsò putant nonnulli è maxillis Piscis Dentalis cecidisse, quia sunt testæ, in quarum vacuitatibus viuit Vermis cum ipsis generatus: sunt rotundi, & expoliti. A Dentalibus distinguuntur paruitate molis, & colore, quem ut plurimum roseum habent, aliquando lineis pullis in basi commixtum.

**10** Auris marina, sic dicta à specie auris humanæ, quam habet. Dicitur à Bellonio Patella maior; quia Patellæ instar saxis adhæret. Ostendit in parte extrema principium lineæ spiralis, in qua patent foramina aliqua, quò magis ab origine distantia, eò maiora, & magis eminentia, per quæ Animal humorem exudit; Lutea est, ut plurimum externa facies rubiginosis notis maculata, siue ut fex sordide rufescens, colore pallidè viridi aspersa. Aspera est, & inæqualis ob quasdam strias, quarum etiam maximæ profundius sulcantur.

**11** Eiusdem auriculæ pars concava, in omnibus semper spectabilis, aliquando enim videtur Margaritæ orientalis decor, aliquando Æneus color argento mixtus, aliquæ verò diuersas Opali tinturas iuxta varias luminis irradiationes indicant.

**12** Patella optimè levigata inter omnes maxima, Vberis palliam exhibet, nunquam huius figuræ molem excedens. Inuenitur apud Canarias Insulas, quas Fortunatas appellamus, in qualibet parte lactis albedinem induit, perspicuo fuco circiectam.

**13** Nautilus siue Nauplius numero primo indicatus; vocatur etiam Italice *Polpo Moscardino*, aut *Moscarolo*. Nascitur in Adriatico Italico adiacenti, illunque inter Sepias Piscatores deprehendunt propè litorales scopulos, vbi frequenter pascitur. Testa illi est valde subtilis folioque papyraceo similis, pellucida, & fragilis, lacteo colore imbuta. Nauiculam

exprimit tribus partibus compacta , nempè lateribus binis , & carina , in qua striæ canaliculatim vbiique ductæ terminantur , illamque dentibus asperam reddunt , colore luteo , aut pullo distinctis .

**14** Exprimuntur sub hoc numero nomine generico Balanorum testæ , siue calices , qui ferè nunquam soli , sed multi coniunctim generantur supra saxa , ligna , aliorumque Ostreorum testas , vt plurimum cinereo colore , aut carneo , vel vinoſo .

**15** Hæc Balanorum testa à superiore in his differt , primum quòd huic angustior apertura , secundò Peponum instar incisionibus quibūsdam satis profundis ferè æqualiter in multis partes diuiditur . Color illi est ignauiter Rubidus . Inuenitur in scopulis .

**16** Echinus marinus , sic dictus à Græcis , eò quòd vas quodam ad hauriendam aquam adhibitum exprimat . Cordi valdè similis est aculeis admodum raris paruisque contento . Vocatur etiam Echinus Spatagus , colore terreo . In profundo mari pascitur , vnde diffciliter obtinetur .

**17** Echinus alio nomine dictus Carduus maris siue Calyx Echynatus castaneæ marinæ è colore castaneo , quo tegitur . Multi etiam colore fluido , multi subnigro , & rubeo inficiuntur , ideo Aurantia maris dicti . Eos in quinque species diuisit Rondeletius . Tres tantum exprimuntur à nobis . Hic differt à cæteris mole , & aculeis quibus armatur longissimis omnium . Quisque eorum globulo , siue manillæ adnectitur , vt patet in A. B. & facile in partem omnem eriguntur , vt Animal ipsis utens tanquam vecte moueatur .

**18** Idem Echynus colore luteo , aculeorum vestigia demonstrans .

**19** Echynus aculeis digitalem crassitiem æquantibus orbatus . Dicitur ab Aristotele Echynometra Pelagia , eò quòd cæteris mole antecellat , viuatque in abditissimis Pelagi cauernis . Color illi est Tophaceus , aut Oleacinus .

**20** Tubuli vermiculares , sic dicti à Vermibus quos continent . Adhærent saxis , cæterorumque Ostreorum , testis adnascentur , vt serpentes sine regula circumflectuntur , ideo Tarbinati dicendi non sunt . Innumeratos quos vidi ad quatuor species referendos duxi . A. B. C. D. indicantur illi , qui vt plurimum soli , & innumeris penè modis circumflexi gene-

generantur figura rotunda, & leuigata. In E. ostenditur massa quædam formata ab alijs, qui nunquam à cæteris separati nascuntur, suisque orbibus non quidem perfectè rotundis simul conueniunt. Pars interior rotunda est, externa vero fere triangularis. Colore sunt albo, cinereo, vel osseo, Sub F. sunt alij in longum non rectè producti. Figura pariter trium laterum, quorum angulos crista quadam dentata veluti serra mirifice exornat: colore badio, aut vinoſo, Aliquando inueniuntur rotundi, & quadam lanugine circumtecti. G. illos indicat, qui semper quasi viscerum massam constituunt, quare multi piscium viscera crediderunt humore aliquo lapidescente induata. Magnitudinem à figura expressam non excedunt, vt plurimum colore fusco, terreo, & liuido; sub luto scopolis immobiliter adhaerentes viuunt, teltamque habent minutissimis strijs asperam.

Hactenus de Testaceis Vnialuibus, quæ ex varijs Maris littoribus curiosa obtinuit Industria, nec ab omnibus rerum naturalium Historicis relata. Explicanda nunc est secunda Biualuum Classis copionior proculdubio, & pulchrior.

## CLASSIS SECVNDA.

### Continens Testacea Biualua.

**C**Oncha, Mater vniōnum dicta, aut Margaritifera, à Margaritis, quas gignit. Binis valuis componitur parum, & æqualiter excauatis, extrinsecus rugosa, & aspera, at non striata. Intus autem leuis, & albescens ex argenteo colore. Testa valida est, & ponderosa, pectinibus similis vnicam auriculam habet. Magnitudinem à figura expressam, vt plurimum non superat; at in quibusdam Indiarum locis diametro palmi longitudinem æquat, talem habet, quæ Bononiae in Museo Cospiano spectatur. Aliquando visam adeò capacem, vt Piscis inclusus septem supra quadraginta librarum ponderaret, Petrus Martir refert. De generatione autem Margaritarum inter Problemata aliquid prælibabimus. Hic testa tantum inspicienda, in qua nascitur Margaritum, quod falso dicitur Vnio à Latinis ab hoc, quod ab una nascitur Vnus, ut Marbo-

Marbodeus , & Albertus cum Solino opinati sunt : Ex qua-  
licet falsa opinione , verum intulit ingeniosus Auctōr , cum  
in Concha vñionem pinxit , vt indicaret Serenissimam Mariam  
Ioannam Bapt̄istam Sabaudiæ Ducem , Matrem esse , ac Tuti-  
cēm Victorij Amedei Secundi , apposita Epigraphe . *Ad Coro-*  
*nas educat Vnum . Vnionem dici , quasi Vnicum , quia nunquam*  
*duo totaliter similes inueniuntur , verius dixit Plinius . Satis*  
*enim comprobatum est plures , & quidem magnos aliquando*  
*simil generari , vt videntur in A. B. & in præclara Concha*  
*conseruata in Regia Villa Excellentis. Principis Pamphilij Ro-*  
*mæ , in qua tres Margaritæ non mediocris magnitudinis Testæ*  
*adnatæ videntur . Centum , & viginti Gaspar Morales coram*  
*suis militibus numerauit in alia . Americus Vespuccius in epi-*  
*stola ex Indico litore ad Hispaniarum Regem missa , Ostreolæ*  
*(inquit) nonnullas , in quibus nascuntur , Mercati suimus , ubi in*  
*quibusdam centum , & triginta vñiones , in aliquibus verò non toti-*  
*dæ reperiebantur . In Insula , quæ vocatur delle Perle in Mari*  
S. Michaelis dicto , adeò pro comperto hoc habent Incolæ , vt  
fecunditatem Concharum huiusmodi , & Gallinarum omnino  
similem dicant , qua sicuti ab ipsis Oua , sic ab ipsis Margaritæ  
successiue , & quasi statuto tempore maturaæ emittantur . Quæ  
nam autem magnitudo illis à Natura perscripta sit , affirmari  
non potuit . In diuersis Maris sinubus diuersæ generantur , vt  
in varijs Mundi plagis varix sunt Arbores , Flores , Fructus , &  
Animalia : Inter ea alterum alteri antecellit , & quod in aliqua  
Regione mininum apparet , alibi comparatum , videbitur si-  
cū inter Viburna cupressus , Petrus Martir multas refert  
Turturum ouis omnino similes . Celeberrimæ omnino sunt il-  
lx , quarum alteram Cleopatra aceto dissolutam propinavit .  
Antonio , vt experiretur in gloria palati quid saperent Margari-  
tæ , in qua vñico haustu opulentissimum Regnum deglutiebat ,  
alteram verò in binas partes dissectam nescio *Quis* Veneri sa-  
crauit , quarum singulæ centum sextertijs , videlicet bis centum ,  
& quinquaginta mille aureis scutis , vt Budeus affirmat , pen-  
debantur . Gonzales de Oviedo vñam obtinuit rotundam , &  
pondus viginti sex ceratiorum habentem . Aliam emit Petrus  
Arias de Auila in continenti Occidentalí Indica , Gubernator  
auno 1515. piri formam exprimentem , ac pondus triginta  
ceratiorum superantem ducentis aureis nummis . Romæ qua-  
draginta quatuor mille scutorum pretio alia nuci auellanæ  
sumi .

familis vendita fuit, & Maximilianus Transiluanus cum per Terrarum Orbem peragraret in epistola quadam retulit binas Margaritas cui anserini molem æquantes, quibus cuiusdam barbari Regis corona ditabatur.

In varijs autem maris partibus generantur Margaritæ. Sunt in Britannico, in Scotico, & Americano, verùm quia colorem lacteum ostendunt, nec nitidæ sunt, vt Orientales, parui habentur. In Provincia Caindù cui Tartarorum Rex dominatur, candidæ nascuntur, licet parum rotundæ, in quodam lacu cum salfedine maris misto. Apud Insulam Zipangu dictam rubicundas, magnas, satisque rotundas expiscantur Incolæ. Preciosissimæ verò sunt, quæ apud Indicas plagas obtinentur. Tres autem sunt sinus maris cæteris fœcundiores paruarum Margaritarum, quæ dicuntur *Algofre*. Primus nempè Sinatum, Regno propinquus *Ainao* dictus, secundus propè Armuziæ Regnum in Arabico mari, vbi Giulfan vocatur. Tertius inter caput Comorini, & Insulam Taprobanam, vbi Piscaria à Margaritarum piscatione dicitur tota illa terra plaga, quæ caput Comorini diuidit à sirtibus proximis Vrbi, cui nomen *Manar* vbi Incolæ dicti *Parani* indociles, & inermes Conchas Margaritiferas ad vitam alendam continuò expiscantur. Nec impari periculo, ac labore eas hoc modo sub aquis queritant. E nauiculis, quas ponderosis saxis veluti anchora firmant, ad ima maris ducentis ferè palmis profunda descendunt, alligato lapidi pedibus ne ob vindarum impetum hue illuc diuagentur, ibi Ostreas Unionum in sacculo, qui è collo pendet reponunt, deinde è saxo pedes liberant, vt facile Nauiculam repetant funis ductu, quo eadem firmatur saxonum beneficio, nouumque aerem attrahant ad respirationem per necessarium. Piscantur autem in tranquillo mari Sole nitente mensibus Aprilis, Maij, & Septembris, & quia Concharum carnibus Polipi, edaceisque Pisces audiè pascuntur, solent Sacerdotes Idolorum beneficis incantationibus eos colligare, ne offendantur Vrinatores, solvantque sub vesperam, vt Prædones Margaritarum audi, pertrefacti ab earum piscatione arceantur. Diuiditur deinde præda, cuins decima pars Regi offertur, vigesima autem donantur Sacerdotes.

**2** Tellinæ quæ dicuntur Pedatae à pedunculo quodam, quo è truncis putrefactis, tanquam fructus ex arbore, pendunt. Color illis est albidus, aut cinereus, ex binis valuis, & qua-

quatuor alijs testæ partibus constant ; Eadem figura representat Conchas , quæ Anatiferæ vocantur ab Autibus quas generant iuxta variorum opinionem . Eiusdem speciei (si quidem sunt) eas esse iudico , licet non omnes sint huiusmodi auium , fecundæ ; neque enim inauditum est in Creta Insula tantum , bacchiferam germinare saluiam , & Chiensi solo Lentiscum resinam gignere , quæ Mastiche cognominatur .

Prodigiosas hasce Conchas Petrus Pena , & Matthæus Lobelius in Plantarum observationibus describentes , aiunt generari apud Orcades , & Hebridas Insulas , in Tamesi celeberrimo Angliæ flumine , & in multis littoribus Scotia . Michael Megerus egens de Volucri arborea asserit à se multoties vias pullis foctas . Hecor Boetius in Historia rerum Scoticarum curiosè super huiusmodi Conchis inquirens , adhæret relationi Alexandri Galli , qua affirmat verè in eis Aues gigni , quæ *Bernacles* dictas ab Anglis , *Clachis* à Scottis . In eadem sententia est Bodinus in Theatro Naturæ . Aliquando huiusmodi Concham cum aue inclusa oblatam Francisco Regi retinet Scalliger . Fabius Columna in Historia Plantarum , Corradus Munsterus , in Scotiæ descriptione , Olaus Magnus , Aldrouandus , sexcentique alij negare non audent . Quamobrem dubitandum non esse videtur , ubi veritas tot insignium Vitorum testimonio roboratur . Cum tamen Præclarum hoc Naturæ prodigium , proprijs oculis intueri vehemens cupidus meum animum extimularet , à nobili Viro , cum quo summa mihi intercesserunt consuetudo Londini commorante , aliquam ex ijs obtinere curaui , sed Concharum loco huiusmodi epistolam dedit . Mittemus libentissimè Conchas à te expetas , in quibus Aues generantur , ut aīs , sub mari , quod Angliæ , & Scotiæ littora aluit ; At , ut verum fatear , huiusmodi prodigium nunquam audiui . Nascuntur quidem vermes aliqui sub aqua non in Conchis , sed in putrescentibus lignis , illisque immobiliter adhærescent , donec ad certam molem aucti papilionum formam acquirant , qui aquæ supernatantes paulatim in Aues abeunt . Difficillimum tamen est huiusmodi ligna inuenire , aequaliter tales raro , & mitioribus anni mensibus obtinentur . Falsum est , mihi crede , quod pro comperto tenes , verum autem quod admiratione risuque tuam epistolam exceperint omnes quotquot à me lectam auribus percepserunt ; vale .

Videat igitur , qui arcana Naturæ perscrutatur , quām  
firmi-

firmiter possit alienis narrationibus adhærere . dum adeò discordes sunt , longèque inter se diuagantur . Omnes quidem Aues Brittanicas , quæ Bernecles dicuntur , referunt , neque vix Historicus , aut Phisicus est , qui eorum mentionem non faciat , multi tamen è truncis , multi è folijs arborum putrefactis , ex mucore carinæ , vel ex visco scopolorum marinorum humore , alij nonnulli in Conchis Biualibus progenitas credunt . Eas è folijs fragmentisque lignorum putrescentibus gigni posse putat Fabri , eò quod certum sit è folijs hærbæ , scabiosæ dæ , papilioes multicolores generari , sicuti è Bouinis excrementis , differentes Apum species excludi experientia comprobatum esse affirmat Kircherius , quare Ouidius cecinit .

*Delectos mactatos obrue Tauros*

*(Cognita res vsu) de putri viscere passim*

*Florigera nascuntur Apes .*

Mund. Sub  
ter.lib. 12.  
fect. 2. c 2.  
Metam. 15.

Sicuti pariter è folijs fraxini formantur Cantarides , cùm enim , inquit idem Fabri Natura , semper tendat ad perfectiora , & puriora , separat purum ab impuro , & putredinem respuens , ad formandum Animal meliores partes conseruat . Huiusmodi generationem fortuitam esse docet Kircherius , eamque fieri beneficio semenis apti , loci , & materiæ ritè dispositæ . Seminis quidem non Concharum siue lignorum proprij , sed aliundè mutuati . Cùm itaque , inquit ille , Anates Anseresque in mari glaciali stabulantes eam ouorum in glacie copiam deponant , vt vniuersæ Europæ alendæ sufficere possent , & Sole Arietein Taurumque subeunte , disrupta glacie simul vniuersa illa ouorum congeries vna rupta , fluctibusque maris inuoluta , hinc inde quæ maris impetus patet ad obuias Insulas depellatur , accedit , vt vbiunque spermaticus humor conuenientem matrem inuenerit , ibi vel dispositione aeris , aut terreni , marisue conditione ambientis ex perfectæ volucris semine perfectam volucrem excludat . Cùm verò mari glaciali viciniores Insulæ non sint , quam Orcades , & Hebrides Scotiæ , vti & Hiberniæ , hinc patet quomodo in illarum littoribus istiusmodi Anseres ex tam differentibus subiectis nasci dicantur , in quibus , vel minima particula semenis recepta plastica virtute eiusdem fermentata paulatim in perfectissimam volucrem transformetur , & huiusmodi Conchas sibi donatas dicit à doctissimo P. Barilegio Ordinis Prædicatorum , & rerum naturalium indagatore studiosissimo ,

Mund.  
subt.lib. 12.  
c. 9.

**3** Concha Pe<sup>c</sup>ten dicta ob Strias, quibus Pe<sup>c</sup>tinis formam exhibet. Italicè dicitur *Cappa sancta*, siue *di S. Giacomo*. Multiplex est huiusmodi species. Hæc maximam repræsentat, quæ à summo cardine ad imam oram palmi longitudinem multoties implet, latitudo verò ad vncias ferè decem porrigitur. E testis altera modicè caua, altera plana est alterius veluti operculum, quo solo adhæret. Vtraque testæ qua parte auritæ strictiores sunt, & similiter striatæ; ipsæ autem striæ admodum crassæ, & eminentes à cardine incipiunt, & ad imam oram rectæ procedunt. Eædem maiores striæ alijs quoque strijs minutis exornantur, quas etiam minutas in ipsis auriculis, & in canaliculis obseruamus. In vtraque testa ad medium cardinem similis sinus amplius pyriformis est, ibi niger quidam neruus sinum occupat, ipsumque cardinem maxime obfirmat. Intus albet, extra ex albido, vel rufescit, vel heluaceum colorem ostentat maculis rubiginosis, aut cruentatis, & in girum dispositis in striarum partibus eminentioribus. In illis verò, quæ in Oceano generantur, testa hæc plana multis coloribus variè exornatur, albo videlicet, rubro, carneolo, rutilo, igneo, flavo, citrino, russo, subminio, ijsque omnibus miro ludentis Naturæ artificio diuersimodè dispositis.

**4** Pars eiusdem gibbosa in longum striata colore alba, aliquando nigra, perfectè ybique clauditur operculo exceptis auriculis, in quibus patent rimulæ, quarum altera Animal exigit humorem, quo nutritur, altera reiicit excrementa.

**5** Pe<sup>c</sup>ten strijs valdè minutis signatus. In vtraque testa æqualiter gibbosus, aliquando in uno, aliquando in vtroque latere auritus. In litore Aquitanico frequens, sub arena, vt tellina, pascitur. Multicolor appareat, omnesque colores calamo pingere impossibile est. Multos enim candidus colorin externa facie dealbat, multos vinosus tegit, insciuntque alios colores diuersi aqua quasi diluti, & pulcherrimè temperati, alij verò veste pulla, & rubiginosa teguntur, quam lineolæ, vndulæ, & puncta heluea, oleacina, vel furua mirè discriminant. Pars autem conicaua aliquando violaceum, aliquando mustelinum, & burrum ostendunt, veluti sandracca pelliculos.

**6** Pe<sup>c</sup>ten quasi planus, auriculas habens à cæteris differentes, vt plurimum luteo colore, inuenitur etiam albus, thalassinus, nigricans, & sanguineus.

Pe<sup>c</sup>ten

**7** Pecten in vna tantum parte auritus , habensque strias val-  
dè inter se distantes, colore assimilatur citro maturo , &  
rarò inuenitur .

**8** Pecten planoconexus parum dissimilis ab eo , quem  
num. 3. descripsimus : differt solum striarum disposi-  
tione . Maiores enim à cardine ad imam oram ductæ alijs  
minutissimis strijs intersecantur , vndarum seriem crispati ma-  
ris referentibus : albus vt plurimum, at circa cardinem vbi lineæ  
striarum concurrunt cerasinum , aut malacum colorem ostentat,  
paulatim oram versùs dilutum .

**9** Pecten quinque tantum strijs excavatus, amplior cæteris ,  
cum auriculis binis æqualibus , colore albido alium ter-  
reum tegente , qui circa oram minutissimis , & frequentibus ri-  
mulis signatus appetet .

**10** Singularis , & præclarus Pecten hic est . Videtur ex tri-  
bus valvis constare , vna alteri superimposita . Vnicam  
tamen habet, testam , operculo coniunctam , sed tribus in locis  
gibbosam . Color illi est æneus cum nitore .

**11** Pecten cum fascijs, subalbūm colorem habet circa cardi-  
nem cum flauo confusum in medio punctis nigris frequen-  
ter notatum .

**12** Pectunculus , in quo supra flauum colorem maculæ can-  
didæ , & cruentatæ serpent sine regula .

**13** Pectunculus minutissimis strijs à centro ad oram signatus ;  
supra colorem onichinum, quo tegitur, fascijs nigrican-  
tibus cingitur, vel punctis plumbeis roseisque aspersis .

**14** Striae huius Pectinis rugosæ sunt in partibus depresso-  
ribus , in eminentioribus verò levigatae . Colore liuido ,  
notulisque flauis, ac roseis signato .

**15** Pecten omnium longissimus, leuibus rugis striatus , co-  
lore , vt plurimum mustelino, aut subnigro, flauis notis  
maculato, in cardine autem balaustinum, aut igneum ostentat .  
Inuenitur etiam vnicolor, nempe croceus, sulphureus , sanguineus ,  
igneus, ruber, puniceus, cinereus, & auratio similis .

**16** Pecten roseo colore , quem quinque striae albidae , & inse-  
 quali distantia dispositæ diuidunt . Huius speciei alter  
depingi hoc in loco posset cum strijs liuidis , aspersus colore  
viridi, subflauo, lurido, & perraceo .

**17** Concha Persica è mari Persico, vbi nascitur, dicta . Cor-  
ticem habet asperum, & rugosum , luteo colore , intus

verò albescit, & lacteum nitorem Margaritarum Occidentalium representat.

**18** Concha Corallina, aliter Pictorum dicta, non quia ad usum Artis pictoriæ colorum pigmenta in ea reponantur, verum quia in minutissimum pulucrem redacta, purpureum, colorem, quo videtur imbuta pars anterior, olim Pictutæ subministrabat. In Egeo Mari propè Cariam viuit, referente Aristotele. Leuis, & nitida intrinsecus, extrinsecus verò tuberculis inæqualibus aspera.

**19** Concha ferè plana, & perfectè circinata, cæterarum eiusdem figuræ amplissima, albo colore, intrinsecus, extrinsecus castaneo, & furuo mixto. Dentatæ non sunt valuæ, quas ligamentum à cæteris valdè diuersum vnit.

**20** Spondylus, siue Ostrea. Gaideropode dicitur hæc Concha, quasi Afini pes, cum ab ea repræsentetur. Tarentini eam dicunt Scataponzolo. E scopulis nascitur imò pars eorundem propter saxeum substantiam videtur, nec nisi ferreis sarculis, & labore auelli potest. In medio cardine vinculum nervosum prædurum inseritur. Testa admodum inæqualis est, & sinuosa, inferior valdè scabra, & veluti saxeis squamis testa superiore cano superat, Superior verò bronchis canaliculatis, & spissis armatur.

**21** Gaideropoda valuas vñitas, & apertas ostendens, sunt ambae intus, vt lapis parius candidæ, foris pars inferior concolor est saxis è quibus formatur, in superiori verò bronchi, & tubercula sine vlo ordine disposita teguntur quasi laneo operimento pingui, & vntuoso rufo colore.

**22** Alia eodem nomine donata, sed coloribus diuersa. Candida enim inuenitur, aspersa coloribus roseis, & minio aqua diluto, distinguitur etiam à cæteris propter rostrum è cardine productum pedunculo simile, quo fructus arbori connectuntur.

**23** Concha nascens in Arena, aut in luto, multiplici nomine ab Auctoriibus significata. Pinnam vocarunt Latini à figura quam habet similem Pinnis murorum, vt docet Aldrovandus. Alij autem à nomine Græco Pinos, quo sordes significantur, deriuatum credunt, eò quòd ferè sordet luto in quo pascitur. Ab Olao Magno dicitur Nacherone, Nacre à Gallis, Parricella à Tarentinis, Astura ab Anconitanis, Concha Ægyptia ab Ermolao, ab alijs Lana Pinna, siue Pinna Lana pro-

propter laneum capillamentum, quod producit exhibitum in figura, quæ hic indicatur. Dicitur etiam *Perna* à parte Animalis hoc nomine expressa, aut *Pinna Magna*, quia cæteras mole superat aliquando tribus palmis longitudine correspondens. Exteriore faciem terrea glebae similem habet, multoque luto maculatam, si in luto ortum habuerit, interiore rubidam, siue heluam cum nitore, pars verò acuminata, vbi Animal adhæret margaritarum vulgarium, aut æris colorem ostentat. Si autem in arena radicem figat, foris est minus scabrosa, intus argento similis glasteo colore velato, Quasi planæ in parte ampliori sunt testæ, è quibus constat, aut vbi acuminantur quasi conum quadrilaterum effingunt.

**24** *Pinnam* hanc Aculeatam vocat Aldrouandus, at propter squamas, non quidem perfectè complanatas, sed aliquantum eminentes, & canaliculatas, squamosa videtur potius dicenda. In parte concava sub flavo pellucido nitentique argenteum colorem indicat, in gibbosa verò terreo, vel tophaceo deturpatur. In vtraque Concha cancellum semper commorari refert Ælianuſ, ac Pliniuſ, qui è summa ora testæ, quasi è specula vigilans, si ferrum, quo Piscatores solent è fundo Maris pinnam adimere, aut aliiquid simile admoueri animaduertat, pifceme pungendo conscient periculi facit, à quo mox binas valvas claudendo, & sibi, & comiti contra offensas tutamen paratur. Alij verò opinantur eundem auecupari pisciculos, & vermes, quos veluti pretium pro locata domo in alimentum pinnae foluant, sed falso; cùm enim *Pinna* more Plantarum nutritiatur, aqua, & luto; in eadem testa, sicut in multis alijs Conchis, cancellos fortuito commorari dicendum est. Producitur à carne Animalis neruofus quidam ramus in maioribus pinnis palmi fere longitudine extensus, veluti oloserico capillamento concinnatus, quæ lana à multis dicitur, ab alijs *Bissus marinus*, ut distinguant à terrestri lineo, & gossipino. Contra hyemis humiditatem valet, & in auribus positus surdos iuuat. Sunt qui putant eiusdem beneficio scopulis firmiū adhærere, cùm mare ventis validiū agitatur, multique sibi persuadent rete quoddam esse ad pisces capiendos aptissimum; at probabiliū credendum existimo destinatum à Natura, veluti radicem in Plantis ad sugendum humorem, quo Animal testa inclusum nutritiatur.

**25** *Balanus*, de quo abunde actum est cap. 5. dicitur etiam Phola-

Pholades à Græcis , quo nomine res abdita significatur . Frequens est iu litore Anconitano , & Narbonensi : latitudo digitum cum semisse æquat, longitudo ferè ad medium palmorum extenditur . Componitur duabus testis non perfectè in omni parte clausis, vertex altera quasi bifida clauditur . Albidus est in parte concava, cinereus in gibbosa , quæ reticulata quasi velle circumiecta valdè corrugata est , & quidem asperior ea parte, qua penetrat saxum, in quo viuit . Sapore palatum allicit, humoremque tanquam salivam emitit , qui noctu adeò resulget, vt characteres admoti commode distinguantur, sed de hoc fusiùs inter Problemata agendum .

- 26** Eiusdem Balani testæ diuersimodè collocatæ, & apparen-tes .
- 27** Saxy fragmentum, in quo Balanus generatur, cap. 5. partis primæ satis examinatum .
- 28** Dactilus, dictus à fructu Palmæ, cui assimilatur , tunica subtili circumtegitur colore castaneo . Pholades etiam vocatur à latendo quia , vt Balanus intra saxy viscera nascitur , sed non adeò duri . Frequens est in multis Italæ littoribus , binis testis subtilibus vna alteri coaptata constat, intus leuis colore albido, vel cinereo .
- 29** Dactilus non dissimilis colore, sed aliquantulum figura-, nascens in locis arenosis .
- 30** Musculus dicitur hæc Concha à Latinis , à figura , qua muris rictus exprimitur . Tarenti vbi copiosè supra ligna generatur, dicitur Cozza . Stabulatur etiam in cauerulis la-pidum , sedemque non mutat, siquidem villis siue setis quasi scopolis ligatus adnascitur . Huius Conchæ vtraque testa admodum tenuis , parte verò acutiore paulo crassior , & spissior est . Reliquo ambitu rotundo, multo tenuior, & fragilis . Ferè ita mensuratur, longitudine duos digitos, & dimidium explet , latitudine paulo supra vnum . At in aliquibus locis ad miram magnitudinem peruenit . Huic vnicum ligamentum ex aduerso cardini ad oram scilicet rotundiorem collocatum . Caro intus pallescit cruda, cocta vitellis ouorum similis est, in ambitu fimbriata . Testa foris ex cæruleo nigricat, intus ex cæruleo albescit, vtrinque verò leuis admodum . E litore tamen Drepanita- no , & Lusitanico multi ad me delati sunt , quorum aliqui par- tim viuido cinabaro, & sandichyno colore tecti, alij verò argen- teo, thalasino, Venetoque mirè pigmentati .

Con-

**31** Concha siue Conchites in Italia frequens rugosus rostro subtereti, & insigniter adunco donatus, describitur à Martino Lister tract. de lapidibus Biualibus cap. 2. Huic color ferè albido interdum subliquidus.

**32** Concha nauiculam exprimens, Romboides à nonnullis dicta, Musculus striatus à Mattiolo, ab alijs Mitulus: In profundo mari sub cæno stabulatur, in parte inferiori nauis carinæ simili aditus patet, quo Animal veluti Planta faxis adhæret, quamobrem piscem illum dices, quem Diodorus Siculus refert reperiri, cum in Ægypto Nili aquæ à campis recedunt, vel ranas illas ab Aliano vias Neapolim inter, & Puteolos media anteriori parte formatas; media posteriori luteas, & informes. Caro enim in testa inclusa paulatim in callosam substantiam degenerat, eò duriorem, quò magis falso propinquam. Luto tartaroque circumtextus terreo est colore, aut vbi explicatur subalbus apparet castaneis notis maculatus, habet latera sulcis striata, & minus profundis, quò magis ad punctum concursus siue centrum accedunt, Plana est pars superior, vbi binæ valvae minutatim denticulatæ vniuntur, lineisque signatur ita dispositis, vt lancearum acumina alterum alteri superpositum effingant.

**33** Concha quasi perfectè rotundata, in omnibus partibus leuis, & nitida; extremæ eius oræ ambitus minutissimis dentibus est asper, colore pullo; assē mole æquat, in Iberico litore copiosa, vbi testæ coniunguntur fulvus color, nigro paulatim dilutus interdum videtur.

**34** Conchula figuræ magnitudinem non excedens, sed pulcherrima visu, eburnea in parte connexa, in concava Margaritis, vel argento obrizo similis, in oris spissis denticulis crista, frequens est in Adriatici litoris arena.

**35** Tellina siue dentibus longitudine cæteris antecellens, param lata est, & adeò expolita, vt arte superadditus nitor videatur. Igne colore fulget, aut ex flauo in Balaustinum rubescit, interdum rosea est, & aliquibus zonis candidis circa cardinem dispositis decoratur.

**36** Tellina coloribus diuersimodè temperatis, & euanidis vidasque referentibus signata; formantur autem vndulæ colore baliolo chrisolitico, in quoque aqua diluto supra fundum vinoso tinctum, in ambitu est ferrata, & cum superiori pascitur in mari Lusitanico.

- 37** Tellina maris Italici extrinsecus' colore fuluo *cum terreo* porraceoque mixto, intrinsecus verò, vt plurimum ciano, interdum *cum lacteo confuso*.
- 38** Tellina vmbone omnium acutissima; testa, quæ coloribus diuersis quasi tessellato opere decoratur, admodum tenui.
- 39** Concha dicta ab Incolis maris Ionij, vbi abundat, Nux maris, cortice rugoso, colore terreo.
- 40** Solenis, hoc est Concha longa, à Tellinis sola longitudine diuersa, intus Margaritarum nitore pellucida, foris verò sub cortice furuo oleacinoque latet.
- 41** Concha Pictorum dicta, non è colore, quem Priscis supereditabat alia num. 18. descripta, sed ab vsu Pictorum, qui colores, argenti, aurique pigmenta, vt plurimum in ea reponunt. Hæc ad pictoriam artem cæteris est præstantior; generata enim, vt plurimum sub aquis fluuiatilibus caret spiritibus, & particulis salis, quibus multi colores inficiuntur, & deturpan-tur. Furuo porraceoque tegumento induitur, in parte verò Concava argento, vel Margaritis similis; aliquando ex argento rubescit, aliquando aqua cum glastino mixta quasi velatur. In huiusmodi Conchis quas Albulae aquæ Romam ferunt, paruulos uniones inueni.
- 42** Tellina semper in eodem situ distincta fasciola candida, quam color castaneus in vinosum abiens hinc inde terminat; E litore Germanico, & Britannico Romam missa.
- 43** Tellina, qua inare Neapolitanum satis abbundat, longè cæteris subtilior, & fragilis, subalba colore punctatum sub viridi asperso, & lineolis ostrinis dilutis, glastinis, cinereis, & heluaceis notato.
- 44** Tellina roseo colore zona candida diuiso, interdum inuenitur in Latino litore lactea, balaustinam notam habens in vmbone, sed nitidior, & pulchrior apud Maderam Lusitanici maris Insulam.
- 45** Tellina in eodem mari generata, in ambitu ferrata, diuera à cæteris propter figuram quam vides, minutissimis strigis rugosa, & lacteo colore.
- 46** Tellina alba lineis castaneis hic illuc sine via regula dis-currentibus signata, & punctis subflavis aspersa, in mari Drepitanano frequens.
- 47** Tellina frequentissima in litore Antij, flavo diluto tincta simul

aul, & furuo, vel cianeo, terreoque. Innumeros, quæ hic describi possent, ommittimus eò difficiliores, ut calamo describantur, quò pulchriores coloribus apparent. Aliquæ enim ex Oceano Occidentalí delatae, ita pellucidæ sunt, vt non è Testacea substantia videantur compositæ, sed ex velo albo duplicito quidem in' margine propter aliquam maiorem densitatem, qua magis albescunt. Nonnullæ melino, vel citreo colore circumiectæ, innumeræ niuis albedinem purissimam referunt.

**48** Concha, Leuis à Rondeletio appellata, cùm leuitate à cæteris differat. Significabimus hoc nomine generico eas omnes, quarum testæ admodum sunt expolitz, & uniformiter striatae. Sicuti Ostreum Conchas omnes asperas, & corrugatas indicat, Cochlea autem cætera Testacea turbinata. Ab aliquibus dicitur Cama leuis, quod nomen aptius alijs appetatur, vt inferiùs patebit. Huic color est cinereus circa oram rufescens, extra rugis asperatur. figura quodammodo rhomboide. Ipse vmbro exiguis acutusque est, proximè verò sub vmbone cardo constat ex duobus exiguis sinibus, & totidem, aut trinis denticulis.

**49** Concha relata à Martino Lister: cordis figuram aliquantulum depresso refert colore gipseo flauescente.

**50** Concha Tellina etiam dicta, sed non, vt cæteræ in longum producta. Extrinsecus albescit cum quidam rubore intrinsecus colore albo.

**51**) Conchæ quasi similes forma exteriori, interiori verò diffimiles propter dentes, & commissuras. Color ambarum subalbus, & in parte gibbosa vinosus zonis heluis fasciatus.

**53** Concha à colore corallij, quo externa facies aspersa illustratur corallina dicta; interna autem alba est, & leuis.

**54** Concha à Rondeletio rugata dicta à rugis, quibus facies externa crispatur. Colore terreo.

**55** Alia Concha rugata, intus leuis, ex parte verò gibba: aliquæ rugæ transuersim ducuntur, sed minus crispatae: ex altera parte ab vmbone ad rectam lineam procedit, ex altera aduersa rotundior est quam superior.

**56** Cama vocatur Concha hæc. Nomine autem Camæ aliqui significari putant eas omnes, quorum testæ valde subtile, adeoque minus quam cæteræ ponderant. Aldrouanus verò eas intelligit, quarum ora non perfectè vbique con-

iunguntur , sed aliquibi patet , vt in Balano satis obseruauimus num. 25. Huiusmodi est præsens , in cuius valuis patet aditus in A. ad attrahendum humorem à Natura fabricatus . Varietatem habet in figura . Nam ex his alia ad nodum concava , alia minime profunda , alia diuersimodè sinuosa , alia ad amissim ferè rotundatur , extrinsecus etiam in multis tubercolorum quorumdam non leuia vestigia tam bene dispersa , vt quandoque brassicam cucullatam , vel crispum Intubum dices . Intus cum argenteo quodam splendore aliquando virescit , aliquando rubet , vel flauescit , nonnullæ auripigmento cum nitore illustrantur , multæ Margaritarum albedinem purpurissâ velatam ostendunt , multæ æris rubiginem , flauedinem vitream multæ , & cupream rubedinem sub sandracca pellucida latitantem . Pulchriores inueniuntur in Dalmatico litore saxis adhærescentes , & alibi à marinis æstibus eructatae .

**57** Multiplici nomine exprimitur Concha hæc . *Solen* dicitur à Græcis hoc est fistula siue canalis , cui assimilatur , cum testæ ambæ quibus constat , coniunguntur , à Latinis *Vnguis* quem substantia , & colore imitatur . *Concham longam* eam dicunt Veneti , & alibi Italico verbo *Cannolicchio* , siue *Pesce cannella* . Viuit , vt Tellina sub arena . Hæc testa septem minimum digitos longa vix unum lata est . Huic summa cuticula siue membrana , qua tegitur subfuscæ est , vel tellinarum vulgarium coloribus pingitur , inter quos linea albidior in longum extenditur , vt plurimum , interdum aqueo cianeo undulata . Vtraque pars extrema retusa , & quasi prærupta , vtraque semper aperta , & naturaliter hians . Copiosè in litore Latino , & alibi colligitur .

**58** Binis valuis valde tenuibus componitur Concha hæc , & quidem sunt ferè planæ , vt pisces squamæ . Concha tenuis testæ videtur appellanda , extra scabra , & lutea , intra ex argenteo colore glauino velata , paulatim ad rufum cum nitore pellucidum transit . Abbundat in Drepanitano litore vbi ab Incolis dicitur *Sartaniello* .

**59** Cama , alio nomine *Glycimerydes magna* , hoc est Cama magna dulcis : falsedo enim minor quam cæteris illi ineft ; In Iberico mari adeò crescit , vt pedis longitudine commensuretur . Ponderosa est , & densa , figulino colore , maculis pullis deturpato , in parte externa , quæ multiplices tunicas alias alijs superimpositas ostendit .

- 60 Concha denticulata marmorea substantia , intus candida , foris maculis fuluis serpentibus mirificè exornata .
- 61 Concha pariter dentata , colore candido , quem lineaæ subflauæ vndas maris referentes belle distinguunt .
- 62 Aureus color est huic multis præstantiori . Circa cardinem candidæ notæ ita disponuntur , vt si binæ valvae coniungantur , formetur quasi stella sex radios habens . Hæc Concha cum duabus prioribus descriptis ex Vlyssiponensi litore fuit delata , nunquam aliundè ad me allata .
- 63 Concha è mari Gaditano habita , minutis dentibus in circuitu aspersa . Spectabilis illa est colorum causa , quibus veluti opere phrygio videtur ornata , & que calamo , ac penicillo difficilibus , vt exprimantur . Subflavum enim colore , quo tota tegitur , albus , rufus , viridis , fuluus glastinus diuersimodè confusi , & temperati distinguunt . Forma eiusdem exprimitur à figura .
- 64) Conchæ fasciatæ , non minus pulchrae ; quam cæteræ . Tales dicuntur à fascijs , quibus exornantur . Hæc enim castaneo colore in rubrum propendente , ac pellucido , ita disponuntur à cardine imam oram versus , & ex uno latere in alterum , vt multis in locis iutersectæ , alijsque alijs superimpositis maiori coloris densitate dupplicatum velum videantur . Notantur insuper maculis rubicundioribus veluti musicæ notis , aut musici operis fragmentis pellucida sandracca nitentibus , In parte concava leues , & candidæ , vt parius lapis ; Pulchriores Tarentino in mari generantur , quas Incolæ à cæteris inferioris notæ distinguunt vocantes patria voce *Canadie* .
- 66 Concha leuis , & fasciata , subtili teretique testa , in concava parte cianeæ , in convexa verò liuida , zonis castaneis , & subflauis cineta .
- 67 Concha leuis albida , in parte gibbosa lineaæ furuæ , & sanguineæ , ita serpunt , vt angulos acutos sapissimè efforment .
- 68 Alia ex leuibus Conchis flavedine quadam aqua dilutæ colorata , maculas insuper habet subuolturinas , & sanguineo colore punctatim , & diuersimodè notatur . His tribus Conchis Neapolitanum litus abundat .
- 69 Concha parum excavata , & quasi perfectè circino rotunda ; in utraque parte albescit , in externa minutissimæ striæ à centro ad marginem producuntur , alijs lineolis intraſ

uersum incisis corrugatae. Ab Oceano Occidentali in lucem edita, mirum Naturae artificium ostendit.

**70** Concha satis nota in canis, Ostrea Latinè dicta non Ostreum. Significantur enim hac voce, ut Bellonius notat, omnium Concharum Testæ, quæ scabrosæ sunt, & immobiliter terræ adhærescant. Huic admodum crassa, valida, & ponderosa testa est, figura subrotunda, & inæqualis ferè. Item valvae inæquales, & dissimiles, scilicet quarum altera plana, altera cava, vtraque verò extrinsecus rugosa, & alpera adinodum, at non striata. Intus autem leuis, & albescens cum argenteo quodam nitore, foris color ferè fuscus: ad semipalmarem longitudinem Conchæ diameter aliquando excrescit, at in Indico mari, Vasco Gama referente, quasi umbellæ magnitudinem implent.

**71** Concha Canaliculata, & squamis aspera, ad Drepanitanum litus maris æstuantis violentia ex Arcipelago delata Drepanitani marmoris albedinem æquat. Artificiosa quadam dispositione squamæ quædam in strijs eleuantur, sed aliquantulum plicatae, ut scobina scalpro elaborata videatur, nec facile à calamo exprimenda.

**72** Concha longis strigis canaliculata, in singulis quarum è cardine ad oram veluti crista eminent minutatim serrata, colore puniceo.

**73** Concha frequentissimè visa in litore Centumcellarum, & alijs adiacentibus Etruriæ. Pars conuexa strijs excavata; ex albo sulphureum colorem induit in uno latere, & ex eodem aliquantulum nigricat. Vbi testæ coniunguntur denticuli frequentes in linea recta dispositi.

**74** Concha Indica non dissimiliis à superiori, nisi solo labro in altera parte magis extenso, ut plurimum alba, interdum ex albo nigrescit.

**75** Concha rugata albo colore recta, quam subminius, citreus puniceus, & palearis color distinguunt. Pulchriores deferuntur à Lusitanico mari.

**76** Alia sulcis magis profundè excanata, luteo colore in mari Italiæ Mediterraneo abundè generata.

**77** Concha à Rondeletio Longadicta; verum quia longitudine alias multas, & quidem diuersas æquat, nomine, quod Plinius eidem imposuit à ceteris illam distinguemus vocando Camam Peloridem, Camam quidem, quia Camis affimatur

latur quarum testæ non perfectè clauduntur , vt num. 56. notan-  
nimus , Peloridem , quia propè Pelorum Siciliæ montem fre-  
quentissimè innenitur , aut quia , vt Athenæus afferit , Peloron  
rem magnam , & miram significat . Magnitudo tamen similis  
illi est , quam figura hic exhibet . Valde pulchra est visu , co-  
lore albo circa cardinem distincto fascijs roseis , quibus binæ  
notæ candidæ radiorum instar ab eodem cardine extensæ su-  
perimponuntur ; rugas , quibus in giruñ crispatur aliæ mi-  
nutorum ita transuersè discindunt , vt duppliciter corticosa vi-  
deatur .

78) Conchæ oblongæ , & angustæ . Italico sermone dicun-  
tur Cozze . Ambæ strijs leuiter rugosæ , colore ca-  
staneo , & albo , similiter notatae . Dissimiles tamen  
specie sunt . Indicata enim à num. 79. semper hispida , & pilosa  
cute superinduitur , frequens est in otis Siculis post maris spu-  
meas procellas .

80 Concha testa admodum crassa , & firma , in margine  
dentata . Prodigiosa est cute , qua tegitur oloferico  
villoso simili , adeò mirificè à Natura texto , vt eidem aptari  
possit , quod S. Hieronymus de Floribus dixit , nempè , reuera  
quod fericum , quæ Pictura textricum potest Floribus compa-  
rari ? Colore è rufo nigricat , at circa cardinem rubet , in con-  
cava parte ex albo nigrescit oram versus , in qua colorem lie-  
narem etiam ostendit . Ex mari Tarentino Piscatores deprehen-  
dunt , vocantque communi voce Nucem Pilosam .

81) Concha Indica in diuerso prospectu repræsentata , &  
82) quidem pulcherrima visu . Ponderosa propter sub-  
stantiam marmoream , qua formatur , nec à pario mar-  
more differt colore , supra quam notæ puniceæ , & roseæ sine  
vlo ordine varijs in locis flexuose excurrunt , à centro ad oram  
striæ admodum crassæ , & profundæ diriguntur .

83 Concha Imbricata ; in strijs enim veluti tectorum im-  
brices corio lapideo aliquantulum eleuato effingit , adeò  
mirificè dispositos , vt difficultius eos sermone exprimas , oculis  
verò usurpes iucundiùs . E Rubro mari defertur , interdum  
quindecim librarum pondera habens , colore autem est puniceo  
sive marmoris Tiburtini .

84 Concha alia imbricatum vndata non impari Naturæ ar-  
tificio , Venustatem illi addunt canaliculi in striarum  
depressionibus restâ è cardine excurrentes . Ex Orientalibus  
Indi-

Indici maris sinibus in Europam delata mirum ludentis Naturæ opus in Principum Pinacothecis, & Fontibus regijs sumptibus exornatis, sua forma ostentat.

**85** Concha Fasciata inter cæteras præstantior, & non vbi-que obuia. Testa leuissima, argentea veste superinduta, fasciolis oloferici nigri segmentata, in Gaditano litore accepta.

**86** Concha ferè perfectè rotundata, à cardine ad oram striata sulcis veluti ab aratro factis, nempè duo latera in angulo acuto definentia habentibus. Planum est interuallum, quod vnum ab altero separat, at aliquantulum rugosum sulcos eorumque sinus lineolæ castanei, vel crocei coloris sinuosè ita contexunt, vt opus segmentatum, & phrygium videatur, rarò inuenitur in litore Siracusano.

**87** Concha altera parte profundè quidem excauata, altera ferè plana, vt Peñen maximus. Striæ parum profundiæ quò magis à margine recedunt cardinem versus, eò minus apparent, & in planam testam abeunt. Intus colore candido, foris castaneo. In Mari Indico nascitur.

**88** Bucardia dicitur hæc Concha à forma, qua Bouis cor ex-primit. In profundissimis Adriatici maris partibus pro-pè Dalmatiæ stabulatur. Testa tenuis, & friabilis est, in parte concava eburnea, in conuexa cutem habet firmè adhærescen-tem colore subrufo, qui à cardine magis recedens, magis lu-teus, & rubiginosus euadit.

**89** Concha propter formam Piriformis dicenda canaliculis rotundis minutatim fulcata. Albo colore, & circa cen-trum citreo, & subviridi, tribus insuper vndis fuluis notata. Nascitur in mari Indico.

**90** Concha strigis semicircularibus fulcata, strijs verò perfedè planis, supra quas veluti veprium acumina ritè disposita eminent alba colore, frequens in litore Adriatici sinus.

**91** Concha Indica visu prodigiosa, sinuosis rugis aspera ma-ris vndas fauonio crispatas repræsentat, inter cæteras hoc singulare habet in crispis, quòd ita disponuntur, vt in me-dia testæ facie à cardine ad oram, in altera verò parte ex uno latere ad aliud excurrent, & si tunicæ quibus componitur dete-gantur; transuerlo, & miro opere contextæ videantur: maculis furui, vel castanei coloris Insularum instar in mari, sine ordinè, dispositis notatur.

Con-

- 92** Concha similis descriptæ num. 89. coloribus mirifico opificio depicta. Sulci parum, testa verò admodum excauata, diuersis coloribus simul mixta, ita aspergitur, & fucatur, ut opus acu pictum in lapide expressum videatur.
- 93** E litore maris Atlantici delata Concha hæc sulcos duplicitos, & veluti capillorum trices contextos ostendit, colore, ut plurimum subflavo, in strijs vero aliquantulum rufescenti. Cingitur insuper pulcherrimis zonis fuluis, heluaceis, & rubescentibus in limbo euanidis, multiplicique in loco paulatim decoloratis.
- 94** Concha striata vmbone rostrata vino colore terreis maculis distincto.
- 95** Concha, quæ à Latinis dici potest Echinata striata; suctatur enim rotundatis canaliculis, supra quas spissæ squamæ eminent altera alteri perfectè coaptata, ac superimposta. In mari Rubro, siue in sinu Perfico generatur. Plurimi ab omnibus habetur non formæ solitè eleganter, sed colore exuberanti rotarum, quo in parte concava videtur imbuta.
- 96** Etiam hæc alia in Massiliano litore inuenta, Echinata striata dicenda merito est. Strias enim magis inter se distantes armatas habet aculeis rotundis, & robustis ad vulnerandum aptissimis. Color illi est ex fulvo, & citreo, punctisque rubidis aspergitur.
- 97** Concha striata Echinata subrotunda, à superiori diuersa ob distantiam striarum maiorem, & aculeis non hispidè spinosis, sed plumarum instar leuiter crispatis, colore osseo, vel puniceo. Nascitur in Adriatico.
- 98** Nux maris dicitur Concha hic posita, Tarentino in mari, & alibi frequens. Striae valde spissæ, & rotundatae colore albo fuluis, vel rufis maculis notato.
- 99** Concha fasciata dicta à Tarentinis *Camadia de Luna*, quia in plenilunio impinguatur. Testa crassa, colore albo, furuis zonis cincta.
- 100** Nuces maris ab alijs diuersæ in parte concava candidæ, in conuexa ex albo flavescent: striae habent zonis diuersimodè flavescentibus, & castaneis fasciatas. Abbundant his litora Italiæ, sed pulchriores mare Africatum producit.
- Hactenus de Conchis Biualibus. Impossibile enim est omnes recensere, quas immensi Pelagi fecunditas calamo describendas suppeditaret. Centenas Species proposui, ut aliquas

nunquam ab Autoribus descriptas Indicarem , quasque curiosis Naturæ perscrutatoribus duxi fore non iniucundas . Classem igitur oculis subiijciamus Tertiam , qua non solum numero plures, sed visu delectabiliores complectuntur .

## CLASSIS TERTIA .

### Comprehendens Testacea Turbinata :

**1** **C**oncha potius quam Cochlea exprimitur in figura præsenti, in qua os testæ valde angustum videtur more Concharum . Turbinata tamen est in parte, qua labrum inflectitur, absconditque sub se spiras , quibus circumducitur. Cardo, circa quod Turbinatur, aliquantulum eminet, illumque tubera quædam aculeata coronant . Colore exprimit candidum marmor ; maculæ quædam castaneo , vel violaceo colore certo ordine, ac interuallo in girum dispositæ instar operis segmentati duabus Zonis eam cingunt in medio . Pars concava nitet , vt Porcellana Sinensis : ab aliquibus velum nauticum vocatur propter figuram , in qua nauium carbasus exprimitur , Latina vulgo diæta . In Persico mari colligitur .

**2** Cochlea eodem nomine significata, at à cæteris valde discrepans , in centro huius eminet quoddam tuberculum Balano simile . Colore, quem habet carneum , iquilliticam cepam refert in parte gibbosa, in concava verò è carneo albicat perfectè leuis, & nitida . In Indijs Orientalibus frequens , & apud Insulas quas dicunt Philippinas innuenitur trecentis libris ponderans , eaque in arte coquinaria ad carnes elixandas , & in Templis pro aqua lustrali seruanda Incolæ vtuntur .

**3** Cochlea quasi omnino in Concham vulgarem explana ta, intus liuida extra caltea : è litore Hollandico habui, binas verò alias huic additas ex Siracusano mari . Patet in earum centro foramen valde profundum, circa quod orbes occulti producuntur ; Mirificè pinguntur à Natura : vt plurimum colore leucophæto , aut violaceo diluto testæ coloribus luteis , rauis, castaneis, luridis, & roseis punctatim notantur , In parte interim liuidæ, vel cinereæ .

Rotun-

4 Rotundiores superioribus sunt istæ Cochleæ , quarum labrum in medio ore satis aperto infleßitur , multæ ex his colore vinato, aliquæ badio, multæ sanguineo, vel violaceo aspersæ . In parte externa albæ, testa admodum subtili .

5 A terrenis Cochleis hæc non differt, nisi colore , quo præ clara redditur . Binas è litore Ostiensi propè Romam Amicus ad me tulit post maris procellosi alluusionem , quarum altera sulphureo flauescit , & linea ostrina subnigra per medias spiras circumvoluta fasciatur , altera verò roseo dilucido pulchre purpurascit .

6 Exprimit testa hæc Cochleam num. 2. positam , at aliquanto magis abbreviatam , & rotundatam , magis etiam in cardine prominente instar glandis , exprimuntur orbium circumvolutiones . Huiusmodi alias habuimus è litore Iberico, colore varias ; alia enim albido pingitur, alia liuido, carneo, vel figulinio, maculis nigris notato .

7 Cochlea in Rubro mari generata, grauis pondere, colore eburnea , circa labrum quo finitur, plicas minutæ indicat veluti in tela Ollandica crispa ; Ex oris apertura magis longa quam lata dente quodam exerto quasi in duas partes diuiditur .

8 Leuem testam habet hæc Cochlea tribus orbium anfractibus finita : colore flavo siue citreo , in maiori orbe nigrant lineolæ flexuoso , in altero verò striæ parum excavatae sinuosè serpunt .

9 Oleariam dixerunt hanc Cochleam Veteres , eò quòd lucernæ loco , vel pro mensura olei eadem vterentur . Pponis magnitudinem æquantem Indiarum Incolæ explicantur . Cortice veluti marmoreo , & crasto tegitur , quo si denudetur pulcherimum margaritarum nitorem ostendit , vel vt gemma Eliotropium dicta multicolor appetet . Inter pretiosa vase aureosque calices supra Principum mensas ob eius venustatem reponitur .

10 Conchylium Rondeletij fortasse est Cochlea hæc, eo enim nomine, licet generico, videtur indicata cum dixit : *Conchylium ea parte latius qua in turbinem definit, sine aculeis, & tuberculis, foramen non rotundum, ut in Purpura, & Buccina, sed longum* . Ab eademi purpureum colorem produci Plinius assertit, at quia eodem nomine generico , & vniuersali , ideo de veritate historię dubitandum profecto est . Pro comperto tan-

tum habemus multiplices Testaceorum species ab eius pulchritudine superari: colorem enim album ostendit, maculis quibusdam ita notatum, ut vestem Attalicam auro, argento, & multicolori olo serico textam imitetur. Quare Galli in excogitandis Cochlearum aptis nominibus non minus ingeniosi, quam in Floribus significandis Belgæ, eam *Drap d'argent*, Hoc est argenteum textile, nominauerint.

**I 1** Cochlea Cælata automasticè dicta, èo quod operculum habeat inter cætera singulare. Omnium enim Cochlearum calci adnascitur operculum, inquit Aristoteles, *quod carnibet*, ut *vnguis noster*, & ab Animali intra testam ductum, illam perfectè claudit; quapropter idem Aristoteles docuit omnia Testacea dici possè Biualvia. Multis in locis frequenter reperitur, sed non in omnibus æque pulchra. Omnis quidem crasso scabrosoque cortice coloris lutei tegitur tanquam trilici ferreoque munimento loricata, in quo innumeri penè puluilli, strigæ, squamulæ, & filamenta crispata, adeò pulchro ordine disposita apparent, ut opus phrygium in rudi corio aeu pictum diceres. At si decorticetur margaritarum nitore decoratur, & tubercula supra orbium circumvolutiones spirali dispositione recurrentia, èo minora, quod magis ad mucronem accedunt, margarita bifaria diuisa videntur. Quamobrem Cochlea Perlata dicitur à nonnullis.

**I 2**) Aliæ eiusdem speciei sine cortice eodem margaritarum nitore præclaræ, sed in diuerso prospectu oculis repræsentatae.

**I 3**) Duplex operculum earum; In alterius superficie plana spiralis linea apparet, qua tota massa lapidea videtur in orbes circumflexa. Pellicula hæc tegitur colore fulvo, oleacino, cum tophino mixto, cæterum intus eburnea. Alterius verò facies illa est, qua Animali adhæret, aliquantulum labrosa, in margine depreßa circa centrum. Colore, ut plurimum igneo, vel arantiato, vel balaustino, aut carneolo, quem subuiridis cum terreo mixtus circa centrum deturpat. Vmbilicum marinum propter similitudinem cum vmbilico vocatur à multis, à quibusdam Belliculum, à nonnullis Lapis S. Margaritæ, & oculus S. Luciæ, fortasse propter virtutem astersiuam humoris oculis noxijs, aut quia contra venenatas oculorum fascinationes infantes iuuat, quorum è collo pendet tanquam pretiosum amuletum. Augustinus Scilla agens de corporibus in lapides conueris

in epistola, quam satis eruditè scripsit, oua pōtiūs Cochlearum esse sibi suadet, siue animalcula abbreviata, nondum perfecta, & ab eisdem Cochleis generata. At alibi examinandas est.

**15** Cochlea vno prospectu visa non dissimilis ab alia descripta num. 1. ex altera vero Piriformis apparet. Ex Indico mari defertur fragilem, & subtilem testam habens sub veste admodum eleganti, reticulato quodam opere distincta, colore vinoso siue carneo, cum maculis mustelinis sine ordine dispersis.

**16** Niuis candorem imitatur hæc Cochlea, è Papiracea substantia videtur compacta, at non plicatili. Semicircularibus canaliculis distinguitur, inter quos striæ ferè planæ maculis flavis tessellatae.

**17** Cochlea eodem modo canaliculatae similibusque notis distinctæ. Testam habent superiori crassiorem, os valde labrosum, & valvulis coronatum, in cuius extremitate foramen profundum patet; ex eodem cuticula quædam supra orbium maximum distenditur quasi glutine aptata. In Siculo mari collectas habui.

**18** Cochlea maris Mediterranei, dicta à Rondelito *Echinophora* à tuberculis, quibus spiræ frequenter gibbosæ tumescunt, & proportione seruata diminutis. Candida colore, sed rara.

**19** Echinophora frequentissimè ad victimum collecta, figura alteri similis, colore autem tophaceo, vel murino.

**20** Cochlea à nemine obseruata, & Vlyssipponensi in litore reperta, in parte concava colore candido, carneolo in, gibbosa. Hæc insuper transuersis lineis tanquam scalpro incisis rugata, punctisque fulvis aspersa. Ex binis oris labris alterum inflexum prominet, alterum vero supra maximum orbem, expansum crenulas abdit; Eadem ligula quædam adiacet, bifariam cingens testam, quatuor notis ex fulvo nigricantibus distincta.

**21** Proximè superiori in plerisque notis similis est Cochlea huius testa, at sine ligula, & maculis; Differt etiam labore turgescenti, & triplici plicatura glomerato.

**22** Cochlea ex novo Hispanæ Regno Americano ad celeberrimum præclarumque Virum missa. Marmoream substantiam suo pondere refert; rotundis strijs ubique crispata,

orbium anfractus, ita prosequentibus, vt vbique veluti funiculis cincta videatur. Os à cæteris diuersum illi est. Videtur enim, qua mucro orbibus finitur strictè strangulatum. Solet ab Indis Americanis foliata pictura argento auroque mixta decorari ad mensas, & Altaria exornanda.

**23** Lewis testæ Turbo in mari Adriatico frequens, subtilissimus crenis crispatus, colore lapidis Tiburtini, tribus supra decem orbibus, licet mole parvus, extenditur.

**24** Maior mole hic alter Turbo decem tantum orbibus finitur, valdè autem illi tumescunt omnino levigati, Color inest illi marmoreus subalbidus, & aliquantulum vetustate, flauescens.

**25** Conuenit hæc Cochlea cum altera num. 17. descripta, in strigis, & maculis. Basim autem planiorem habet: vbi striarum orbes finiuntur, Vmbilici forma apparet, quamobrem dici potest vmbilicata. In summitate oris plicaturæ omnes simul glomeratae quasi galericuli circum eleganter efformant, Colore vbique est candida, & adeò pellucida, vt notæ externæ ex rubigine rufescentes etiam in parte interna distinguantur. Ex Indijs Orientalibus habetur.

**26** Cochlea quasi funiculis spissis cincta, & in spirarum duætibus diminutis, colore terreo, & violaceo diluto bicolor apparet.

**27** Inter pulchriores recensenda est hæc Cochlea extero in mari Indianum progenita, & partium fabrica elegantissima. Cochleam depressam vocarunt Nonnulli sicuti cæteras, figura quasi planas, mirum Naturæ artificium in ea non distinguentes. Figura hic expressa eius faciem planam ostendit, in qua Cochlidij gradus, eò minores, & angustiores, quo magis ad anfractuum centrum descendant, Nituntur autem lateri veluti muro, ab ore vsque ad imum mucrone in turbinato, atque Cnchleatos anfractus à Cochlidio diuidente, illumque duæ lineæ candidis, & castaneis maculis alternatim tessellatae in vitroque limbo comitantur in parte exerena, vbi tessellati lineares orbes recurrent. Fimbria eius est eodem colore finuose disposita, alteraque testæ faciem exornante maculata.

**28** Ea est, quæ sub hoc numero ponitur parum eleuata quamuis gibba, lacteo colore imbuta; lineis partim furuis partim colore castaneo tessellatis exornatur.

29) Huius characteristica est quidam sinus cauus velut Vmbrylicus, vnde Cochlea vmbrylicata dicitur, ab aliquibus verò Tigris nominatur. supra tolorem eburneum, quo pars extima tegitur, atræ maculæ miro quodam ordine sunt dispositæ, si verò lapideo quasi cortice denudetur argenteum margaritarum candorem ostentat. In Malabarico sinu inuenitur.

30) Argenteam substantiam Conchæ margaritiferæ habet hæc alia Cochlea ex litore Ollandico habita, horrida æquè, ac venusta, inter cæteras non minoris pretij est. Corticem, enim habet loricatum, asperum, & tuberosum: frequenter raccemosa cornicula quedam glomerata, & canaliculata ex eodem ita eminent, vt licet ex lapidea substantia formata, ex molli cera videantur brassicam cucullatam ad viuum exprimere. Multicolor dæci potest, cum puniceo, terreo, viridi, violaceo, atro, sexcentisque alijs dilutis coloribus sit aspersa.

31 Ad aliud Cochlearum genus transeundum nobis est, quas Turbinis nomine significabimus. Turbo autem ille dicitur, qui ex ore lato paulatim productus in acutissimum mucronem desinit, quare magis longus est, quam latus, Cochleæ verò orbibus minus extensis magis latæ sunt quam longæ. Plurimæ inueniuntur Turbinum species, & omnes admidum pulchræ. Turbo indicatus ab hac figura non solum extenditur orbium circumvolutionibus, sed ipso ore, quod ori Purpurarum valdè simile est, beneficio canaliculi, quem ad finem utilem, licet nobis ignotum Natura fabricauit. Colore carneo, aut subflavo, multis in locis frequenter reperitur.

32 Turbo niuea albedine candidus, & leuigatus. In tribus Orbibus quibus finitur, ex albo nigricat, atro colore mucro induitur. Possent hoc loco depingi alijs figura similes coloribus flavis, rubeis, sanguineis, leonatis, tophaceis diuersimodè mixtis diuersi. Iuxta Syracusas, & Catacense litus copiosè habetur.

33 Turbo strigis semilunaribus, strijs autem planis rugosus, frequenter inuenitur albus, vel plumbeus, aliquando flavescens, & violaceo colore in æqua diluto tinctus, raro punctis fulvis, & rufescentibus aspersus.

34 Æquè spectabilis est hic alijs, vbique sinuosis lineis tam bene sulcatus, ac si essent scalpro incisæ. Osseum, colorem habet, & cum binis alijs superioribus in Adriatico generatur. Paruæ molis sunt. Horum tamen sicuti, & aliorum

tum huiusmodi magnitudinem Microscopij ope amplificatam, exhibebimus, vt clarus abdita partium structura in rebus licet minimis oculis patefiat.

**36** Turbo inter Cochleas potius numerandus, ore longo angusto, & denticulato, vt in Concha Venerea, colore albo, cum notis fuluis, vel rufis cum albo paulatim confusis. Sulcis striatur æquali spatio diuisis, & opere quasi tessellato, propter maculas nigricantes, decoratis.

**37** Turbo orizæ magnitudinem non superans; at si molus parvus, maximè quidem venustus, tribus coloribus, à quibus eleganter distinguitur; flavo enim tegitur, supra quem fasciola candida piceis maculis tessellata lineam spiralem format, orbisque teste inclusos indicat, & pellucida veluti sandracca superinducta vndique nitet.

**38** Turbo cinereus sinuosè productus cum strijs nigricantibus.

**39** Turbo albus, & leuis, in quo orbes videntur turgescerunt beneficio ligulae astrigatorix, quæ supra eosdem ab ore usque ad mucronem circumducitur.

**40** Turbo in Syracusano litore frequens, albo colore, fasciolis ex flavo nigricantibus segmentatus, & nitens. Interdum violaceo colore tintum mucronem habet.

**41** Turbo Leuis, pullus, cuius orbes è dextera in sinistram conuoluuntur, ore compressio, denis spiris fastigiatus, tenuis, ad magnitudinem aenæ grani factus vnciam dimidiadim longitudine implet. Eius basis paulò angustior est velut alter mucro, mediaque pars intumescit. Apertura angusta, & ad imam eius partem sinuosa, item eius oræ leuiter resuletur. Orbium anfractus linea nigricans comitatur, quam veluti filum tenue, & album testæ insertum punctatim signat.

**42** Turbo tredecim spiris conuolutus, quas puncta è colore castaneo, in duplice linea disposita pulchre exornant.

**43** Turbo, qui cum proximè sequenti propter figuram similem inter Buccinas numerari potest, de quibus suo loco inferius agenus, at quia molis paruitate ineptus est ad sonum, Buccina non dicitur. Frequens est in Adriatico mari, & levissimus testa, cui cortex referente, colore sigillino, vel vinoso.

**44** Turbo cuius maximus orbis ventricosus, ore prodigioso qua-

quatuor dentibus munito , quibus ferrei veluti claustris apertura effingitur ; Intus albicat, foris castaneo colore .

**45** Turbo aliquando ostrino diluto tinctus , aliquando vinoso colore , interdum ossibus similis . In singulis orbibus instar aurantij decorticati videtur in plures æquales partes dissectus , quas fasciola plana eleganter distinguit .

**46** Turbo colore flavius, testa admodum subtili , ornatur à quibusdam tuberculis supra orbes eminentibus , quos veluti filum spiraliter ductus arctissimè stringit . In Adriatico reperitur , & in Lusitanico mari frequenter , & pulchrior .

**47** Turbo furuo colore transuersis lineis profundè canaliculatus , quatuor orbium anfractibus finitus , testam habet valde crassam , & robustam .

**48** Turbo veluti malleo frequenter compressus , Pars interior albicat, circa oris aperturam inter labra reflexa alteram partem dentatam ostendit . Ex ipsa ligula quædam nascitur , orbemque ad mucronem usque connectit modò testæ inferata , modò apparens , sed alio in loco collocata .

**49** Turbo ex oleacino colore albicans , punctisque atris aspersus , & quasi sandracca pellucidus .

**50** Turbo figuram nuclei olinuarum referens , duabus fascijs altera candida , a te a picca cinctus .

**51** Turbo Pyriformis iquamvis plenus , colore cinereus , Hunc cum quatuor præcedentibus ex Indico mari habui .

**52** Quatuor subsequentibus figuris Turbines exprimuntur Buccinis similes , at quia mole paruos inter Turbines retulimus . Malleolo negligenter collisus videtur , hic primus quia inæqualiter compressus . In ora aperturæ labrum eleganter reflectitur , & animalis collo locum præbet cum ad motum exerit caput è testa .

**53** Turbo septem spirarum anfractibus finitus , ore valde longo , leuis ubique , colore lapidis Tiburtini , interdum ex helio subniger .

**54** Supra modum tenuis , ac tener est huius turbinis testa , adeoque admodum pellucida , & leuis est . Ei ingens apertura ovalis , color est ex flavo albescens , interdum vinosus . Intera tres spiras finitus , quarum duas inferiores ad mucronem admodum exiguae .

**55** Longior antecedenti Turbo , & leuissimus , colore atro cum nitore .

- 56** Turbo leuis fasciola tenui in orbium commissuris arcte ligatus caret mucrone acuto, sed veluti basi rotunda finitur, colore eburneo. Viuit in spongijs.
- 57** Turbo Indicus. Vocari potest Auenia marina propter figuram, qua exprimit arundinem palustrem, aut arboris folium glomeratum. Colorem habet vinosum, notulis, punetisque flavis, furvis, castaneis, & violaceis dilutis, ex nitore venustis.
- 58** Turbo colorem Margaritarum sub marmorea veste celans, videtur compositus duobus testæ segmentis, ita Cochleatis, vt giro efficiant angulo obtuso mucronatos, in quibus passim exeritur lingula quædam, eleganter illos exornans.
- 59** Turbo minutissimis sulcis asper in omnibus spiris, maxima excepta. Hæc corona pinnulis plena circumdatur, in qua velut in disco videntur aliæ minores subcidere. Propè oris aperturam si cernas, quatuor quasi crispis conuolutum dices, hæc autem pinnulæ albican in veste pulla, qua totus Turbo tegitur.
- 60** Alius sine coronæ ornatu, colore lindo, interdum albo.
- 61** Turbo tuberculis ubique distinctus, quæ supra colorem aureum mirificè albescunt.
- 62** Turbo vndosis anfractibus productus, crenulisque transuersis asper; vnde è linteo leuiter crispato videtur compositus. Multicolor plerumque, interdum albus, vel eburneus, vel nigricans, vel subuiridis.
- 63** Huius Turbinis præcipua distinctionis nota est, macularum candidarum, & sanguinearum dispositio. Modò enim colore fluido, & cianeo diluto, quo testa pingitur confunduntur, modò ab eo omnino distinctæ apparent. Ut plurimum in Neapolitano litore colligitur, colore osleo tectus cum candidis notis.
- 64)** Duo Turbines Indici maris, qui inter eos connumerandi censentur, Murices à Latinis dictos. Binis coloribus nempè albo, & pullo, quibus teguntur, penè innumeras colorum apparentias effingunt. Hic niuis superatur albedo, illic à nigredine penitus celatur, in quadam parte paulatim color pullus diluitur, & albus quodammodo detegitur, amboque semper ita miscentur, vt tertius quidam color ex albo nigrescens, vel albescens ex nigro videatur, Quibusdam lincolis

lis piceis, quasi calamò factis, & vndosis transuersè cinguntur, ac si fila essent acu testæ inserta: Sulcos in longum ductos habent, & circa oris foramen valdè productum, & angustum, testa frequentissimè crispatur. Differunt aliquantulum inter se dispositione partium, & colorum, qui tamen omnino similes sunt in ambobus.

66 Quinque fascijs cingitur hic alius cæteris elegantior. Altera colore subnigro est, altera purpurea, vel ad minium accedens, tertia fulua, viridis quarta, ultima ostrina; omnes ita à summo vertice mucronem usque ita circumvolvuntur, ut interualllo quodam distinctæ inter se, in eo videatur veluti album indusium, quo turbo tegitur. Valdè nitidus est, & leuigatus, & ab Indico mari cum cæteris octo superioribus habetur.

67 Turbo potius partium structura, quam pictura coloris in pretio habendus. Collare lineum canaliculatum nunquam Artificis manus crispauit, à quo exprinai posset huius oris aper-tuta. Nunquam obstetricis manus regium infatatem fasciolis artificiovis cinxit, quam Natura turbinato huic Animali marmoream massam miris circumvolutionum anfractibus Cochlearuit: sed hunc videre iuuabit, nam eius speciem verbis repræsentare haud ita expeditum. In mari Rubro nutritur, & non dissimilis in monte Etrusco, quem dicunt Peglia, sub glebis innenitur,

68 Turbo minutissimis rugis à cardine usque ad imum mucronem crispatus miro Naturæ artificio. Præcipuam distinctionis notam præstat os quasi perfectè circinatum, venustrum propter coronam quasi ex opere topiario compactam, cæfariatam, lacinijs plenam, & coloribus galearum cristas referentem. ex Indico mari habui.

69 Turbo Tuberosus dictus à tuberculis, quæ uberum instar ex orbibus spirarum ad tutamen pendent. Os habet cum labro admodum producto. In luto stabulatur, quo si expolietur multicoloribus succis videtur sine ordine aspersus. In eò viridis, furuus, & violaceus inter cæteros distinguuntur.

70 Duæ paruz Buccinæ, in quarum basi foramen satis profundum patet: ut parius lapis perfectè expolitus, sunt candidæ, & nitidæ rubro, vel castaneo colore tesselatae. In Indico mari inuentas Purpurati Principis manus cæteris hactenus descriptis addidit.

- 71** Turbo ex Indiarum litore habitus cum alijs ; qui in hac pagina describuntur , Figura quasi piriformis , minutissimis sulcis leuiter rugosus . Colore figurino , vel pumiceo .
- 72** Turbo ciano diluto tinctus , punctisque candidis , & pulchris notatus . Aliquando inuenitur albus cum maculis rufis .
- 73** Turbo , vt visu delectabilis , sic dictu non facile exprimendus . Huius Cochleati orbes simul connectuntur ligula quadam , quæ varijs in locis modò contexta , modò foris educata , veste quodammodo reticulata eos induit . Ea autem colore est furua , testa Cochleata ferruginea .
- 74** Color albus , & pullus diuersimodè confusi huius Turbinis cutem eleganter pingunt . Pars , in qua est oris apertura æquè producitur , ac alia , quæ plurimis orbibus finitnr . Ab hac conus exprimitur in æqualia tubera distinctus .
- 75** Turbo Muricatus , sic dictus à corniculis quibus Murices muniuntur , veste alba tegitur , quam plurimæ lineolæ rubræ , & flauæ sinuosè inflexæ reddunt indumento Persico similem .
- 76** Turbo pariter Muricatus , quasi ex fumo nigricans , & lineolis magis fuscis circumdatus , paruuus licet mole testa duritiem silicis æquat .
- 77** Oculus Cæsius antonomasticè dici potest hic Turbo . Exprimunt enim colorem cinereo pellem felis melitensis , ciusdemque oculos quibusdam tuberculis in spirarum ductibus pulchra dispositione aliquantulum eminentibus , in quibus cæsia veluti pupilla pellucet , colore ex leonato nigrescenti coronata . Alia etiam minora tubercula in spiras disposita , ostentat colore fuso , quo Cochlearæ venustas augetur . Rara est , & in Indico litore inuenta , & nunquam in vlo licet prædiuiti Museo visa .
- 78** Turbo vulgo Garagoo dictus à verbo Hispanico *scaragol* , multis in locis frequens multiplice colore tinctus , strijs crispatur instar retis dispositis , & in singulis nodis siue intersectionibus earundem veluti ferreo stilo contusus videtur ,
- 79** Turbo Tuberosus quasi subtili , & candida tela Ollandica indutus , quæ in multiplices plicaturas , & puluillos corrugatur : orbium anfractus obsecundantes , quidam veluti funi-

funiculus colore vinoſo, & rufo intermediaſt.

80 Turbo in Siracusano mari frequens, fulcis vndofis asper, at præclarus fabrica colorumque varietate. Singuli enim orbes ex duobus testæ fragmentis conſtagè videntur, quorum vnum candidum eſt, alterum ex fuluo purpurascit.

81 Niueus eſt hic alius, notulis ex sanguineis nigricantibus veluti calami ductibus signatus, atque in partes ferè æquales diſtinctus, vt Pepones.

82 Innumeris penè coloribus ſimilis miſtiſ huius Turbinis cutis pingitur: in parte interna, vt plurimum albo, circa oris aperturam violaceo, & nitido, in externa asper eſt, & luto deformatiſ, ſub quo ſtabulatur.

83 Turbo albus, in cuius orbibus labroſæ testæ particuliæ paſſim pendent mucronem versus, tanquam pinnulae, & la- ciniæ lapideæ, quibus formæ elegantia augetur, & magis qui- dem à punctis rubiginofis, quibus ſpirali linea diſpositis no- tatur.

84 Rarus admodum hic Turbo eſt ex Indijs habitus, colore ziziphino. Aureus, croceus, & candidus etiam inuenitur, & admodum nitidus. Circa ſpirarum commiſſuras foſſiculae æ quali interuallo interſe diſtantes apparent, alterum oris labrum falcatum prominent, & inſlectitur, vt in cane venatico.

85 Turbo, Pentidaſtilus, à verbo Græco dictus, hoc eſt quinque digitos ſiuè appendices habens. Quatuor muniunt aperturam oris, quintum à ſpiris in conum productis forma- tur. Intus colore albo pingitur, extra albo etiam flaueſcente. In adiacentibus Europæ littoribus frequenter col- ligitur.

86 Turbo albus, & leuigatus. Marmoream testam gerit, pre- ter primum orbem planum cæteri ſunt gutturoſi, & veluti tonsillis tumenibus pleni.

87 Turbo Pentidaſtilus alteri non abſimilis circumuolutio- num numero, & fabrica. Differt autem testa ſubtiliori, & aculeos minus productos habet, vespertilionis, ſiuè draconis alam imitantes. Niueus habetur colore ex litore Vlyſſipponensi.

88 Turbo, Magnus appellatus, quia omnium, quos haſtenus obſeruauimus, eſt maximus. Colore pumiceo, vel figu- lino, ore producto, crenulis transuersis crifpatus, ſupra orbem cæteris maiorem ceruicem veluti bouinam, & robustam,

ostentat. In mari Rubro frequens, & in monte Pelio Etruriæ inuenitur.

89 Piramidales Vrnas, quibus cadauerum cineres Prisci seruabant, Turbines sequentes exprimunt, Basim ampliorem, & planiorem, quam in superioribus hi habent, qua de causa etiam assimilantur Turbini lusorio, qui à Græcis Trochus dicitur, à Virgilio eleganti Carmine indicatus, cùm narrans Reginam illam furijs agitatam, dixit.

*Ceu quondam tarto volitans sub verbere Turbo,  
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum  
Intenti ludo exercent.*

Strombi nomine cum Plinio nos illos indicabimus, qui tamen tām varios, & miros, vel non agnouit, vel neglexit. Sub hoc numero descriptus durissimo sub cortice albo, & subuiridi Margaritarum nitorem, veluti crystallina pelle circumtectum celat. Ex mari Brittannico missus mirè oculis spectabilis.

90 Strombus Tuberosus spissis valuulis intumescens. ex argentea substantia videtur fabricatus, quam saxea cutis circumdat. In ora Piscariæ colligitur.

91 Strombus minimus in arena litoris Adriatici frequentissimus, sicut, & alibi. Colore vinoſo siue flauescenti, maculis rubricantibus, ac terreis notatus, vbi spirarum orbis coniunguntur subocularis albidior vna cum spiris circumflectitur.

92 Strombus admodum productus decorticatus, colore marginifero, transuersis sulcis corrugatus.

93 Margaritæ nitor eriam hunc alium condecorat, tegitur tamen à cuticula crocea, & nitida. Funiculo pariter cingitur in spirarum commissuris colore paleari, notulis vitellinis, aut lienaribus tessellato.

94 Strombus Auritus, ex parte enim, qua òris apertura est, prominet veluti labrum auriculæ Leonis simile. Inuenitur apud scopulos Syracusarum. Testa illi est subtilissima, & aspera, ex minutissimis filis, quæ setis equinis contortis similia difficultius sermone exprimi possunt, oculis verò usurpantur incundiūs. Colore tingitur terreo, aliquando puniceo. Pars autem interior argenteo cum glasteo mixta, vt in marinis Auriculis.

95 Eadem figura exprimitur à præsenti Strombo. Veste, attalica crispata cùndem indutum dices, si cingula, funiculos,

niculos, fila simul intorta, & eorum nodos mirabili quodam artificio dispositos obserues. Visu quidem esset delectabilior si verbis exprimi possent colores lacteus, subalbidus, violaceus, ametistinus, ac purpureus, quibus formæ elegantia augetur.

**96** Strombus Vmbilicatus in Indico litore cum antecedenti repertus. Hæc autem est huius nota charæteristica, habere in centro testæ sinum cauum veluti vmbilicum: margaritarum, & coralliorum lineis videtur ornatus.

**97)** Adriatico in mari generantur hi bini strombi, ciceris molem non excedentes. Concurrunt ad eorum ornatum colores terreus, subuiridis, fuscus, & rarus diuersimodè supra oleacinum dispersi. Aliquando in summo mucrone purpurascit.

**99** Strombus nitoré maximè pellucidus, & veluti sandracca illa tectus, qua Sinarum Artifices scrinia, baculos, & vasa mirè depingunt. Sanguineum colorem habet notulis lienaribus maculatum, argenteumque ostentat si cuticula exuatur.

**100** Strombus pariter Vmbilicatus, margaritarum candorem celans sub cortice marmoreo.

**101** Trecus antonomasticè Magnus, & Duplex appellandus. Superat enim cæteros magnitudine, & ex duplice Turbine in basi simul coeuntibus videtur compositus. Pulchra striarum transuersarum dispositione sulcatur. Qua spirarum turbines coaptantur, rotundæ striæ circumferuntur alterum ab altero discriminantes.

**102** Trocus Magnus, & Auritus, sic dicendus ab ampla auricula, quam in basi circa oris aperturam extendit. In parte interiori falget Unionum nitor, in exteriori cutis lapidea, & alba, fasciolis terreis segmentata. Vterque hic Trocus in Indico mari colligitur.

**103** Turbo instar Muricis tuberculis armatus. Ex diuersis tunicis corticosus appetet, alterum oris labrum ita crispatur, vt quamvis asperum, & rude elegantissimam formam ostenter.

**104** Turbo Angulosus, & transuersis lineis leuiter crista-  
tus, quasi collum in basi producitur, iuxta quod oris apertura valdè longa, & in centro spirarum foramen profundum patet.

**105** Turbo lapideis costis ita munitus, vt ipsi testæ superim-  
posi-

positæ videantur, ac firmatæ clauiculo, qui à basi ad mucronem usque in omnibus spiris appetet. Ex binis labris quæ amplum os circumdant, alterum testæ incumbit, alterum leuiter crispatur. Colore, ut plurimum cinereo, terreo, conchyliato diluto, vel calteo.

**106** Octo Turbines in hac lamina exprimuntur Obeliscis potius quam Pyramidibus similes. *Fischaroli* dicuntur à Tarentinis, cum eo nomine alios non dissimiles significant, quibus Pueri ad sibilum edendum utuntur, quem dicunt Italiè *Fischio*. Omnes partium dispositione elegantes in Oceano generantur, præter eos, qui à numero 108. & 111, indicantur, sunt enim hi in Adriatico mari frequentes. Qui describitur sub hac figura eius magnitudinem non excedit. Magnum tamen artificium parua mole comprehendit. Spirarum enim anfractus depresso, & striae in acutum mucronem desinentes opere attalico exornantur notulis croceis distincto.

**107** Turbo nitidus, & eburneus, in quo spirarum commissurae vix dignoscuntur, maculis rufis notatus,

**108** Turbo molem grani hordacei æquans, colore figulinus, vel tophaceo, spissis contusionibus æqualiter excauatus.

**109** Turbo Indicus niueus, & nitens, ex binis fasciolis Conchiliatis, quæ triticea folia suo acuminis exprimunt, ab utraque his cingitur, orbiumque commissuras leuiter signatus vix demonstrat. Rarus, & pulcher.

**110** Duplicatis spirarum anfractibus constare videtur hic Turbo; quarum singulæ frequentibus sulcis à basi usque ad mucronem ductis crispatur. Colore terreo, vel albo.

**111** Turbo in spongiarum cavitatibus viuens, frequens in mari Adriatico. Orbis habet mira arte compositos ex testa, quæ videtur primum rotundata, deinde in spiras circumtorta, & funiculis frequenter connexus, ut plurimum candido colore, funiculi autem liuidi punctis rubicundis, flavidis, & Conchyliatis distincti, aliquando impenitus aureus, vel roseus albis filis ligatus.

**112** Turbo albus, venulis rubris, aut rufis discriminatus. Spiræ habet instar helicis ferreae, quæ lignis inseritur.

**113** Turbo eburneus fulco admodum profundo excavatus, quem duo veluti cingula sunul unita comitantur, ut in

in basi columnæ corinthiæ ad ornatum componuntur ab Architectis.

**I 14** Tuba dicitur ob longitudinem hic turbo , colore of-  
seo . Distinguuntur in tres; veluti partes eius orbes à  
duplici suboculari , qui à basi usque ad mucronem spirarum  
ductus prosequitur . In Persico mari , sed raro inuenitur .

**I 15** Turbo eodem tubæ nomine pariter significatus , longi-  
tudine æqualis superiori , nec minus elegans . sexde-  
cim, & aliquando viginti spiris finit , mucronem habet mira  
proportione valde acuminatum , colore est eburneo , & Cochlea-  
tis crispis corrugatus .

**I 16** Strombus lacteus , & leuis , in quo ubi sunt orbium com-  
missuræ profundus canaliculus circumducitur .

**I 17** Turbo instar helicis ferreae , notulis rufis signatus ; duo-  
decim spiris productus . Dicitur ob longitudinem  
Fistula Musica .

**I 18** Eodem nomine significare hunc alium possumus , à non-  
nullis Ceruinum Cornu dictum . Cæteris præstat lon-  
gitudine , & notulis Conchyliatis , siue ex purpureo colore ni-  
gricantibus , quæ iuxta spirarum commissuras in girum dispo-  
site eburneum colorem , quo tingitur , pulcherrime discri-  
minant .

**I 19** Pulchrior antecedenti est præsens Turbo , quem Galli cum  
Ollandis Pontificiam Thiaram dixerunt . Triplici enim  
corona decoratus videtur , quam spiræ tuberculis eminentibus  
formant in cono . Minor cono , oris apertura est notulis arantia-  
tis , vel sandichinis aspergitur , & ob raritatem magni æstimatur .

**I 20** Pluris tamen habetur alias ab hac figura indicatus ,  
quam Galli appellantur Plumam à proportione qua-  
dam cum pluma strutiocameli . Eius pulchritudinem augent  
maculæ ignæ , ac rutilæ , supra lacteum colorem quo tingitur  
disseminatae .

**I 21** Turbo Ventricosus datus à primo Orbe , quo cæteros  
amplitudine superat . Præcipua nota illi est labrum den-  
ticulatum instar rotæ in horologio , & rostrum veluti nauale ,  
quo viam tentat dum mouetur , quare Turbo Rostratus dici  
etiam potest , vt ab alio ventricoso distinguitur .

**I 22** Cochleas in hac flamina figuratas Turbines nonnulli di-  
xere , Nos Cylindros appellabimus propter figuram ,  
qua Cylindris assimilantur ; perfectè enim levigati ita rotun-  
dantes

dantur, vt nullum spirarum signum appareat, nisi in basi, quæ plerumque est admodum plana, vel leuiter orbium commissaris intumescit. A Cylindro tamen recedunt propter mucronem, quo coni potius figuram induunt. In ipso oris apertura eadem ferè longitudine producta, & angusta. Cæteris Cochleis præstant colorum varietate, qua vnde, lineæ, fasciæ, meandri puncta, foliosum, & frigium opus in eorum testis adeò pulchrè formantur, vt maris portenta dicenda meritò sint. Positus sub hoc numero, in Indico mari repertus, nivœo tegitur candore, quadratis nntulis piceis ita tessellato, vt ex ebeno, & ebore compositus videatur.

**123** Cylindrus Indicus, & raro repertus, colore Conchyliato, qui candidis notis passim celatur aurea lineola circumdati, in basi perfectè complanatus.

**124** Turbo Cylindroides rufus, vel albus punctis fuluis, vel rubescensibus aspersus.

**125** Cylindrus indicatus in A. Tam mira colorum varietate pingitur, vt quamvis delectabilis, sic dictu non facile exprimendus. A viridi enim, à fluido, sanguineo, fusco, citrino, & oleacino videtur sine arte aspersus, alter autem positus in B. vinoſo tingitur, circa basim glandulis prominentibus decoratur, & vbi in mucrone decrescit eum cingunt quædam veluti fila frequenternodis implicata.

**126** Opere acu pīlo condecoratum dices cylindrum hic positum à quatuor coloribus, albo videlicet, liquido, ex viridi flauescente, & molochitico, siue albo, liquido, futuo, & terreo, mirabili quadam distributione simul confusis.

**127** Rauida veste tegitur hic alijs, fascia alba transuersim cinctus, & binis alijs fasciolis in longum segmentatus.

**128** Cylindroides perfœc̄ planus in basi, in qua internos orbium anfractus linea spiraliter contorta indicantur, colore fuluo, heluaceis notis nigricans.

**129** Cylindrus corona multiplici decoratus, quam format globulorum linea in spiris orbium supra basim eminentibus posita. Colore aureo notis albis artificioso distincto.

**130** Cylindrus fatis elegans colore albo, ciano, diluto, tyrio, & castaneo coloratus.

**131** Venuſtas huius Cylindri augetur à notis aurcis, & rufis, ordine artificio distributis, nitidus est, vt cæte-

cæteri, & perfectè leuigatus.

**132** Tegitur hic alius veste quasi bissinæ, in qua quadratæ notulæ sanguineæ, puncta crocea, & lineolæ rufæ, vel fuluæ opus quasi acu pictum efformant.

**133** Iaspidis fragmentum in Siculis montibus erutum hunc Cylindroidem dices ex multipli colorum mistura, qua tingitur, nec eam speciem verbis repræsentare est ita expeditum.

**134** Iaspidem etiam hic representat, at coloribus diuersum, tingitur enim albo, rufo, rubro, mustelino, terreo, modo exuberantibus modò decoloratis, & quasi velo teccis.

**135** Cylindrus turcicam vestem attalica manu pictam ostentans, quæm diffici liùs sermone exprimas, oculis verò vsurpes iucundiis sinuofas picturas, & meandros, quos aureus color cum albo, & sanguineo confusus efformat, Interdum inuenitur quasi squamis tectus, quæ ijsdem coloribus effinguntur.

**136** Cylindroides colore fuluo dilucido tintus, & squamis sanguineis decoratus.

**137** Mucronem versu cylindri huius furuo colore imbuti giros efficiunt quidam veluti funiculi candidi, & circa basim pinnulariæ corona est redimitus.

**138** Cylindrus candidus fasciculis piceis segmentatus.

**139** Cylindrus viridi aquato imbutus, albis fasciolis cinctus, quas notulæ anthracinæ distinguunt. Reperi tur etiam albus, roseus, luteus, nigricans, & Aurantio similis.

**140** Turbo leuis minutissimis sulcis corrugatus, colore cinereo, in medio ore dente armatus, qui valde prominet.

**141** Cochlea hæc Cylindroides melius vocatur, quam cæteræ hic usque descriptæ, æquali enim crassitie, vt Cylindrus in longum producitur. In basi verò ouï mucronem refert, in quo tres, vel quatuor spiræ, quibus finitur lineolis indicantur. Inuenitur aliquando breuior, oliuæ Hispanicæ frustum referens: optimè leuigatus, & quasi sandracca sinensi velatus nitet, vndosis meandris diuersorum colorum pingitur, vt clarius in figura sequenti appareat.

**142** Coloratur enim hic à candido, aureo, liuido, vinoso, subviridi, flavo, citrino, luteo, violaceo, sexcentisque alijs

coloribus, ita artificiosè simul confusis, & dispersis, vt acu pīetus viocatur. Invenitur in litore Brasiliano mole longè minor, quem Incolæ vocant Zimbo, cumque in puluerem redatum, cum potu miscent ad confringendos lapides in renibus, & vessica generatos.

**I 43** Turbo albus, & rarus, figuram exprimens cochlearum, quas multi ex natione Hilpanico dicunt *Garagoi*.

**I 44** Turbo sive Murex, specie eleganti singularis, Orbium enim alter magis eminent supra alterum, quam in cæteris, & singuli æquali divisione sunt striati. Conus, in quo oris est apertura, crispis ita corrugatur, ac si esset violenter inflexus, pars exterior colore carneo pingitur, interior roseo, labrum nigro, in roseum paulatim rubescente.

**I 45** Turbo non minus pictura, quam fabrica elegans, & dictu non facilè exprimentis, colore subflavo cum tuberculis albescentibus, fasciolis insuper transuersis cingitur ex colore rubro nigricantibus.

**I 46**) Turbines auriti. Labrum enim habent expansum, & auriculæ hominis similem. Conueniunt figura, diffe-

**I 47**) runt colore: alter enim osleo pingitur, alter filis aureis sinuosè inflexis signatur.

**I 48** Buccina parua, & leuis, os habens ori hirudinum simile, & dente valido armatum. Intus albicat, foris colore burro flauescit.

**I 49** Buccina sicut ebur expolita, niueum candorem habens, & basim ex multis membranis, altera alteri superimposta corticosam.

**I 50** Murices bini parui gibbosoi, leuiter crisspati, & rari, in parte orbis cæteris amplioris, ita intumescent, vt columbae pectus oua fouentis exprimant. Labrum circa os veluti alam expansam habent, coloribus fluidis supra album sine ordinne asperfis notantur.

**I 51** Turbo, quem auritum nominat Aldrouandus, albus, & nitidus, vt parius lapis. Circa eiusdem os labra prodigioso artificio, ita reflectuntur; vt admirationem pariter augeant, & venustatem.

**I 52** Turbo pariter Auritus cum labris dupli dentium ordine munitis, & nigris rotulis tessellatis, in reliquis partibus coloratas venas ostendit, vt gemma Gagates.

**I 53** Coloribus similibus pingitur hic aliis circinatus, & cra-

crassiori labro, quod notulae tiriæ distinguunt in plures partes, diuersus ab antecedenti. Orbium maximus multis in locis sine ordine leuiter intumescit.

**154** Turbo ab hoc numero indicatus antecedentibus præst macularum dispositione, & oris artificio; hoc enim à figura exprimitur, illæ autem quadruplicato ordine dispositæ, seruataque inter se distantia, aureo colore candidos orbes condecorant.

**155** Magnitudine omnibus antecellit Turbinis huius testa, pariter auriti, & tuberosi, labra eleganter ita reflectit, vt animalis collo locum aptet. Post maximum orbem valde tumescensem breui, & lato angulo finitur, tuberculos habet in girum dispositos, aliquosque eorum valde è testa prominentes, ac falcatos, vt canis venatici dentes. Alterum è labris est denticulatum, alcerum crenulis rugosum. Quem hic figura exprimit album cerneret, si oculis usurpare, tribus fasciolis croceis, & fulvo vndatis cinctum. Interdum inuenitur multicolor ex albo, vinoso, rufo, & ametisthyno confusis. In labro insuper prominente, & reflexo quinque notas habens, quibus pulcherri- mè decoratur.

**156** Turbo forma non dissimilis, è dupli prospectu deli- neatus. Ex uno sulcis in longum striatus appetet, & maculis croceis in forma crucis dispolitis, notatus, vt vestis Attalica aureis floribus intertexta, ex altero verò os angustum ostendit, & vtrumque labrum candidum denticulatum, quod à fusco colore partem internam deturpante mirè distinguitur: cingitur insuper à mucrone ad basim ligula alba, rufis lineolis transuersim diuisa. Vbiique autem videtur veste alba induitus cum filis aureis intertexta, quare à Gallis vocatur *Drappo d'ar- gente*.

**157** Pulchrior fascia cingitur hic Turbo, illa enim maximo orbi instar circuli marmorei perfectè coaptata, vbi minorem connectit rostrum falcatum exerit, & pari modo è minori ad minimum producitur. Eiusdem conus parum eleuatur; ex binis labris alterum crenis asperum, & nitidum, alterum ve- rò reflexum, & instar membranæ pellucidæ supra orbem ita extensum, vt ab eo non perfectè abscondatur reticulatum opus, quo testa veluti cœlo incisa rugatur. Colore, vt plurimum tingitur albo, plumbeo etiam infectum è Lusitanico litore, habui.

**158** Cochlea aurita cæteris rotundior tribus fascijs æqualibus segmentata; vrra ampliorem Orbem tribus alijs finitur. Colore calculo, burris maculis discriminato. Aliquando videtur sanguineis maculis cruentata. In labroso, & curuato ore pars dextera transuersis sulcis corrugatur, sinistra admodum leuis, & alba, sicuti altera violaceo liquore in limbo videatur infecta.

**159** Cochlea pariter aurita, & fasciata. Os habet orbium maximo æquale, & labrum valde crassum, ac validum, ita reflexum, ut canaliculum satis profundum efficiat. Colore tingitur rauo, vbiique crispatur sulcis transuersis, quos octo fasciæ albescentes comitantur, & binæ binæ in plures veluti classes diuidunt.

**160** Strigis miauis profundis sulcator hæc alia Cochlea aurita. Quinque orbium spiris conuoluitur, quorum quatuor in mucrone in minuuntur, medietati amplioris orbis æqualem. Colore pingitur terreo, in quo triplex sulcorum dispositio aliquantulum euanaida appetet.

**161** Turbo Auritus Muricatus. Finitur mucrone acuto, & breui. A Gallis vocatur Crumenæ, eo quod mueroni adnectatur Orbis instar inflatæ crumenæ maximè ventricosus cum ore longo, & angusto, quorum alterum labrum denticulatum, crenatum alterum. Ex uno prospectu visus, partes alias aliquantum turgescetas ostendit. Vbiique tamen expolitus, & leuis, excepta parte angustiori, leuiter rugosa, ac si subocularibus clauderetur. Colore est carneus rubro aureoque vermiculatus, notulæ autem, quibus labrum distinguitur, è subnigro in anthracinum degenerant.

**162** Oui figuram exprimit Cochlea hic describenda, in longum minutissimis strijs corrugata, veste Attalica aurea videtur induita à Natura, eaque colore purpureo vermiculata. labrum ori adnectitur nivolum, fascijs subuolturinis segmentatum.

**163** Ore, & labro conuenit cum antecedenti hæc Cochlea, differt verò maculis. Loco enim fasciarum notulis distinguitur quasi negligenter, & fortuito à pennicillo factis. In breui cono, quo finitur orbes omnes indicat sulcis parum excavatis secundum longitudinem inæquales, & orbium maximo perfectè coaptatos. In parte exteriori colore pingitur ex carneo rubescente, ab alijs coloribus distincto, vt in

vt in Iaspide ; cique succedit lacteus , quo pars interior albescit .

**I64** Cochlea pramnio colore lydium lapidem simulans , vi tra maiorem spiram vix duabus alijs paulum eminentibus finitur . Hæc cum cæteris in præsenti lamina delineatis in mari Indico sunt repertæ .

**I65** Cochlea in litore Drepanitano post maris procellas frequens, terrestribus Cochleis similis , quare in terra generari à nonnullis dicitur, simplicem quidem, & leuem testam habet, sed colore amethystino circa spirarum centrum albescente elegantissimam .

**I66** Cochlea Depressa, quæ dicitur Perlata , non ex margaritis, ab ipsa generatis, sed à margaritarum nucore, quo fulget decorticata cute lapidea , & rudi . Fascia colore puniceo aspersa cingitur qua insignis pulchritudinis nota illi augetur .

**I67** Perlata pariter ex eadem ratione dicenda est hæc alias cortice duro, & scabro induita . Quatuor orbium spiris clauditor, cum quibus funiculi, & veluti fila intorta circumducuntur : est in eis mirus Naturæ lusus, Sulcis breuibus , & moderatè profundis crispatur , & ad variam lucis reflexionem margaritæ nitorem cum multicolori specie confundit .

**I68** Cochlea in mari Mediterraneo Italiz non raro reperta . Perlata dicenda videtur à colore vñionis, sub cortice veluti ouï Struthiocamelii celato .

**I69** Cochlea, cuius testa crassa est. & ponderosa , colore carneo maculis rufis , & castaneis inuicem alternatis vinctata .

**I70** Cochlea Vimbylicata Perlata . Quinque orbium anfractibus clauditur, quorum declivitas instar propugnaculorum erismatis pendet in subiectam veluti semitam agere quedam marginatam . Albedine Margaritarum Occidentalium pelliculæ nudata cortice albo , quo tegitur , & vermiculato sinuosis lineis colore rubris, quem lacca exhibet . In litore maris Lusitanici reperitur .

**I71** Cochea Turbinis figuram habens, in nullo Europæ litore visa, & superiori coloribus similis .

**I72** Cochlea in mari Mediterraneo frequens, colore albo , vel plumbeo minutis fulcis corrugata, corticem habet maculis ostrinis linearibus , & subuolturinis distinctum , sub

sub qua margaritarum colorem celat.

**173** E marmorea substantia videtur formata Cochlea hæc, parua, sed valida, labro extenditur, ut Turbo Pentidestilus, sub quo oris apertura valde angusta; In maiori, & ferè vnico orbe, quo intumescit, parui puluilli prominent, tesselluæ quadratae dispersæ ex colore anthracino notabiles.

**174** Cochlea murici similis propter testæ validitatem, & tubercula, quibus in maximo orbe intumescit, os habet valde dilatum. Præcipua Charactheristica nota illi sunt binæ crustulæ subnigræ propè eius aperturam, quas crocea linea coronat. In parte interna albescit, in externa aut alba est, aut carnea.

**175** Murex albus, & paruuus testa valde dura cum labro extenso, sub quo præcipua pars Coni occultatur. Quatuor orbibus finitur, quorum singuli in partes æquales frequentibus contusionibus diuiduntur,

**176** In senis figuris, quæ subiiciuntur, sex Buccinæ indicant mole quidem paruæ, vt pomi citrini semina, at coloribus admodum floridæ, & macularum varietate speciosissimæ. Quam primo loco vides alba vestis induit, punctis purpureis aspersa, maculis amaracini notata, ac lineolis flammeis, & inflexis vermiculata.

**177** Color leonatus, roseus, & niueus in extremitate simul confusi formant veluti lamellas superimponentes tæla vinoso humore imbutæ ad ornatum huius Coelæ. Ex quatuor fascijs quibus basis vittata iacet, binæ alocant, alia purpureo colore saturantur.

**178** Vndas maris sinuosè inflexus exprimit color puniceus, quo pingitur hæc Cochlea lacteum candorem paßim ostendens multis in locis purpura aliquantulum rubescentem.

**179** Supra colorem vinosum punctis puniceis aspersa videtur hæc, vittata triplici serie macularum albescentium, quorum medietatem lienaris color circuit, paulatim in vinosum cuanescens,

**180** Cochlea sub hoc numero posita vix binis orbibus præter aliud maiorem, & ventricosum conuoluitur. Eadem picco colore deturpata punctis croceis frequenter aspergitur.

**181** Vestem phrygiam, & meandris intertextam huic Coelæ formant colores purpurei diuersimodè exuberantes, vel

vel remissi, partim enim in puncta rotundati, partim in lineas rectas, & sinuosas produeti, partim etiam vndosos anfractus imitantes eleganti pictura mirum Naturæ lusum oculis subiiciunt.

**182** *Cochlea*, cui Turbinis nomen aptari posse videtur, & quidem Tuberosi, propter frequentissimas glandulas, quibus testa leuiter passim intumescit. A cæteris præcipue dignoscitur propter orbis ex opposita parte aliquantulum depresso, ac figuram aliquorum Piscium exprimentes. Munitur etiam in utroque latere crista aliqua leuiter ferrata instar alarum Piscis. Colore subalbida, & quasi duobus filis simul contractis, altero albo rufo altero cincta.

**183** *Cochlea*, quæ à figura Galeæ, quam aliquo modo exprimit Galeiformis videtur appellanda, colore, ut plurimum heluaceo, eius fabricam oculis melius quam calamo tantum delineatam hoc loco subiicio, ne repetam, quæ in appendice de *Cochlea* pariter Galeiformi dicenda erunt.

**184** *Cochlea* albo, terreo, & fusco, colore simul mistis maculata, testa præualida, tonsillis, & puluillis passim turgescente.

**185** Hanc *Cochleam* videre iuuaret; nam verbis representare, haud ita expedictum. Sic enim eius pulchritudinem cerneret, sicuti imperitus ille mellis dulcedinem sibi suasit solo palati experimento. Mira partium fabrica, & pulcherrima colorum varietate æque redditur inter cæteras præclara. In ea orbiuum spiræ adeò testa continguntur, vt vix in breui muctone indicentur, adeòque concha potius quam *Cochlea* videtur appellanda. In parte concava valde leuigata est alba, vel liuida, vel carnea maculis rubidis cruentata. In Gibbosa tegitur veluti oloserico filis albis, rubeis, furuis, purpureis, alijsque sexcentis multicolori. Costæ insuper superiniecta in æquales partes eam diuidunt, multiplici colore valde notabiles. Illam obtinent in alto Mari Indici Piscatores.

**186** *Cochlea* fasciata inter Purpuras numeranda, de quibus suo loco agemus. Testa constat præualida aculeis complicatis horrida, quibus maximus orbis armatur in collum corrugatum densinens. Conus, licet breuis, tribus spiris conuolutus, insignitur ovalibus glandulis excavato canaliculo circumdatis. Colore pingitur flauido notulis vinosis sanguineis, & terreis intermixto. In duas partes etiam diuiditur fascijs alba-

&

& rubra, aut ianthina. In Oceano Orientali reperitur.

Hinc ad aliud Cochlearum genus progrediamur, quæ vocantur Buccinæ. Cætera Testacea Hæ superant magnitudinem. Buccinæ autem illæ sunt, quæ ore quidem lato, mucrone autem acuto clauduntur iuxta Ouidij carmen:

----- *Canna-Buccina sumitur illi*

*Tortilis in latum, quæ turbine crescit ab imo.*

Quamobrem sonum edunt si voce inflentur, & Tritonium originatas Pictores, & Poetæ representant, inter quos Ouidius Neptunum describens ait:

*Ceruleum Tritona vocat, Conchaque sonanti  
Inspirare iubet, fluctusque, & flumina signo  
Iam renocare dato -----*

Imò ab Antiquis Romanis loco Tubarum fuisse adhibitas affirmat Virgilius, canens;

*Euccina iam priscos cogebat ad arma Quirites.*

Septem igitur Buccinarum formas hic tibi subiicio, quas inter omnes elegantiores duxi.

**187** Omnim agimen ducat Buccina leuis, & nitida, è duplice fascia candida, qua primus orbis cingitur, dicitur Fasciata. In mucronem deinde acuminatur senis minoribus spiris, à quarta Cochlearæ parte commensuratum. Oris labrum parvulus veluti aciculae globulis distinguitur, in parte gibbosa notulæ furvae, & rauæ colorem vinorum frequenter decorant.

**188** Buccina Magna antonomasticè dicta ex magnitudinis mole novum anfractibus producitur proportione seruata diminutis, illique primi orbis longitudine commensurantur. Circa orbium commissuras veluti capillorum trices circumvolvuntur, & singulis eorum labrum quoddam adnectitur, quo veluti distinctus cortex indicatur. In parte interiori ex carneo colore albescit, exteriorum verò semicirculares maculae albae, rufæ, & castaneæ inuicem alternatae condecorant. Labrum, quod reflexum orbi propinquio adiacet, minutissimis crenulis corrugatur, quod verò expansum oris aperturam amplificat, vndosis sinibus crispatur. Inuenitur in mari Europæ adiacente, sed coloribus dilutis picta, labrisque crenatis, ac tuberosis.

**189** Buccina intrinsecus liuida, extrinsecus terrea. Ex binis labris alterum margine quodam rotundo prominet, alte-

alterum instar Galearum crista*e* inflectitur . Septem minimum spiras in integra testa numerare licet . Huic crebra*e*, & minutissim*e* stri*e* secund*um* spiras circumini*ciuntur* . Item ali*e* stri*e* crassa*e* ductu*vndato*, & transuerso eminent .

**190** Buccina senis orbibus finita, minutissim*e* filis transuers*e* ductis aspera, colore tophaceo in parte externa, interna ver*ò* albo . In mari Brittannico nascitur sicut, & antecedens .

**191** Buccina quatuor spirarum ductibus mira Natur*e* arte eleganter circumvoluta, intus liuido colore subalbida, foris reticulatis fasciolis superinduitur, inter quas roseus color rubescit .

**192** Buccina inter quinas circiter spiras mucronata, quarum prima admodum inflata; lacte videtur imbuta in parte interna, deinde velo ianthino velata . In externa ver*ò* sanguine*e* macul*e* partim supra albam testam dispers*e* iacent, veluti Insul*e* in mari A*geo*, quibus conuenire videtur quicquid de Fortunatis cecinit Ille :

*Tutte con ordin lungo eran dirette  
E che largo è frà lor quasi egualmente  
Quello spatio di mar, che si framette.*

Taf. cant.  
fig. 46.

Inuenitur etiam roseo colore, rubescens in parte interna, in externa furua, ut mali perfici cortex .

**193** Buccina foris rufa, intus candida . Inter cæteras præcipue distinguitur propter bina cingula rotunda, quibus singuli orbes inter se colligantur . Ac si esset malleo compressa, quadratæ valvula*e* in omnibus eius partibus, ita disponuntur, ut inter singulas veluti filum quoddam emineat reticulato opere connexum, & in notis albescens . Os ferè perfecte circinatum rotundo cingulo coronatur, & in rostrum canaliculatum desinit .

**194** Turbo marmoreus dictus ob testam albam, & ponderosam . Ventricosus dici etiam potest propter orbem, nimis intumescentem, vnde Galli illum appellarunt Crumenam . Habet longum, angustum, & triplici dente munitum, mucronem insuper rugosum, & maximum orbem lamellis quadratis, & subnigris tesiellatum . In mari Rubro pascitur .

Quinque sequentibus laminis triginta parvulæ Cochlear exprimuntur, ope Microscopij auctas, ut artificiosas earum partes prodigioso studio à Natura elaboratas oculus armatus facilius deprehenderet, calamoque clarus indicaret . Omnia autem

autem testæ adeò eleganti specie decorantur, vt quæ nám cæteris pulchritudine præstet haud facile definias. Neritarum nomine omnes significabimus, non quia, vt docet Plinius:  
**Lib. 9 c. 33.** *Sint ex Concharum genere, quæ per maria nauigant, præbentes concavam sibi partem, alteram vcrò flanti aure instar veli oppONENTES, sed eò quòd illi Cochleæ tale nomen conueniat, quæ, vt ait Elianus, magnitudine exigua, forma pulchritudine eximia spectatur.* Ut autem eiusdem nominis originem indicent non nulli, fabulam Hesiodi, & Homeri in scenam proferunt, quæ decem supra quadraginta filias ab Incolis maris Nero, & Doride progenitas dicunt, & Nereides appellatas. Alij verò à fabularum commentis non recedentes, illud nomen deducunt à filio eorundem parentum, cui nomen fuit Nerites Hominum, simul atque Deorum formosissimus, quem cùm Venus in Cœlum adducere vellet, recusasse aiunt, quòd inter parentes, & sorores viuere, quam Cœlo potiri maller. Quamobrem indigata Iouis Filia, illum in Cochleam eiusdem nominis conquerit, comitem verò, & ministrum illius loco Cupidinem, ipsam quoque iuuenem, & formosum sibi delegit, & alis, quas NERITES habuerat, eundem induit, remanente interimi præstantis formæ elegantia, qua cæteris Cochleis testa excelleret. De Nerite Cochlea loquens Bellonius sic ait. Nerite quoque turbinati generis conchula, testam in anfractum intortam habet, qua penitus inclusa nulla ex parte, præterquam capite conspicua est. Rondeletius autem illam esse afficitat cuius testa est leuis ampla, & rotunda. Verùm quia res tantummodo expressas tuto recognoscere non valemus nisi illæ lineis etiam exprimantur, ne tempus, & operam deperdamus, Auctorum sententias frustra perquirendo, Neritæ nomine eas Cochleas in præsentiarum significabimus, quæ inter omnes pulchriores iudicauimus.

**195** *Omnium agmen ducat, quæ in Sardiniae litore reperiatur fragæ magitudinem non excedens. Huius testa clauiculatim intorta innumeris globulis, secundum spirarum proportionem diminutis, adeò pulchrè exornatur, coloreque puniceo saturata purpurascit, vt è coralliorum substantia compacta videatur.*

**196** *Nerita depressa, & Vmbilicata, In parte, qua oris est apertura, ferè plana, in opposita aliquantulum gibba, in vtroque leviter rugata. In testæ centro sinus cauus, qui dici-*

dicitur Vmbrylicus, profundè pater, in cuius fundo angustum foramen aciculæ vix capax. Hac Cochlea, funiculo per foramen magis dilatatum inserto, multi uti solent orbicularum loco, quibus vestes connectuntur. Dunchercano in litore frequens reperitur colore viridi diluto, lacteaque misto tincta, ac punctis instar radiorum à centro sparsis purpurascens.

**197** Nerita binis tantummodo spiris absoluta, leui, ac tereti testa, in parte gibba coccineo humore videtur imbuta, quem lineolæ nigræ, & ex nigro albescentes decolorant, in plana verò idem color punctatim dispersus purpureum distinguit.

**198** Nerites colore oliuarum nigro, & albo ita depictus, ut linguas animalium extremas, alias alijs superiniectas effingat.

**199** Nerites, quem Turbinem meritò appellares propter mucronem acutum. Superatur partium structura, quibus constat, ab opere quo decoratur. Cingitur enim funiculis multicoloribus, albis scilicet, & pullis, aut albis, & rubris, aut vinosis, & rufis. Inter funiculos flexuosæ sunt maculæ, & colore rubicundo, vel conchyliato, vel nigro, quæ ab interecto colore albo siue argenteo clarius distinguuntur. Cortice nudata perlucrum nitore fulget, frequens reperitur in Adriatico, pulcherima in Ionio sub luto stabulans.

**200** Nerita habens testam veluti corium piscis siue serpentis squamosum; non tamen horridam, sed pellucidam, & nitidam. Colore pingitur oleacino, qui in singulis squamis, ut lac albescit. Ternis fascijs pullis cingitur, quas interruptæ squamæ maiores exornant. Inuenitur in mari Indico.

**201** Nerita frequens in Adriatico, extrinsecus alba, lineis, & tessellulis sandice Indica formatis notata, intrinsecus colore margaritarum argentea.

**202** Alia parum dissimilis à superiori, maculis sinuosis tessellata.

**203** Nerita inter cæteras mole minima, ternis fascijs albis, & zonis alijs rubeis vittata, quas puncta candida frequenter notant.

**204** Alia candida quidem colore imbuta, sed frequentissimis punctis subnigra, maculas habet ouales filo pullo circumseptas.

**205** Nerites squamis liuidis, & albidis discolor, quæ à coloribus

ribus anthracino, & subuolturino subiectis mirè distinguantur. Haec ultimæ tres in mari Indico reperiuntur, & veluti Sinensi gummi velatae.

**206** Ex Indijs etiam hæc alia mittitur sulcis canaliculata, qui acutum angulum efficiunt, Ut ebanum nigra, præterquam in centro, quod ut ebur albescit. Ex uno insuper latere sunt candidæ, & falcatae notulae, in quibus elegans Naturæ lufus.

**207** Nerita cuius testa veluti domorum tegula videtur imbricata. Colore tophaceo, & terreo vilis, at tessellulis quadratis iuxta orbium commissuras artificiosè dispositis præclara.

**208** Nerita depressa nitore quasi vitrea, colore roseo, supra quem notulae semilunares albæ, & plumbeæ lineam spiralem secundum orbium ductum efformant.

**209** Præsens alba est, maculis pullis, & puniceis notabilis, in cæteris cum superiori conuenit.

**210** Ita etiam hæc alia, colore carneo, & maculis albis plumbeis intermixtis tantummodo dissimilis.

**211** Nerita depressa vmbrylicata, colore cinerea, puniceo punctatim aspera.

**212** Carneo colore tingitur hæc, quasi filis olosericis rufis, & conchyliatis segmentata.

**213** Nerita depressa, sulcis cochleatis aspera, quos subulares intorti comitantur. Elegantia redditur prædicta à corona, quæ ovalibus tuberculis distincta eam representat, quam in columnarum capitellis Architeeti ad ornatum effingunt. Color illi est plumbeus lineis pullis signatus.

**214** Nerita cinereo colore subalbida, & rubris notulis hexuosa cruentata; os habet singulare dentibus diuersis armatum.

**215** Ternis dentibus munitur huius etiam os, & quidem, ut scalpis acutis. Eius pars interior albescit, externa cinereo, vel vino velatur colore, & minutissimis strigis crispatur.

**216** Nerites, cuius testam albam bicolores fasciæ plumbeæ scilicet, & picea cingunt. Ex duabus Cochleis constare illam dices, quatum una altera continet. Ex his minor nigerrima punctis vix apparentibus licet albis aspersa. Os falcatum habet, & cum cæteris in hac lamina signatis in Indico litore reperitur.

- 217 Neritæ huic vestem formant frequentes, & spissi funiculi flaudi ex colore purpurco adiecto magis visibles, & maculis atris notabiles.
- 218 Ebani nigredinem superat hæc alia mole minima, lacteo colore punctata.
- 219 Nerita cinerea, & vulgari cute testa, sed ut margarita Orientalis elegans si expoliatur.
- 220 Nerita magis aspera, & lamellis semilunariibus albis, & nigris alternatim distributis testellata.
- 221 Nerita ex quatuor coloribus albo, viridi, oleacino, & pullo multicolor.
- 222 Neritam hic figuratam descriptam inuenies cap. 8<sup>o</sup> par. 3. sed nunquam satis laudatam. Ad eius ornatum color albus, piceus, & balaustinus, siue corallinus concurrunt. Videtur enim quasi Coralliorum lineis supra orbium spiras circumvolutis, & proportione summa diminutis, ornata. Has albae lineæ ex globulis candidis videlicet, & piceis alternatimi variatis intermediate. Mare ubi generatur illud est, quo Brasiliiana littora aliquantur, ut mihi vir summa fide dignus retulit. Auctor tamen Musæi Cospiiani illam in Rubro mati reperiri ait, ubi Cochleam Pharaoniam Piscatores appellant.
- 223 Eiusdem Cochlea facies alia, oris aperturam ostendens, valde angustam, colore lacteam, & minutis crenulis rugosam.
- 224 Cochlea limacis nomine communiter appellata à forma, qua terrestribus limacibus omnimodè assimilatur. Colore tingitur rufo, & nitido, cereis punctis aspersa, & maculis notata, ex porraceo albescientibus.
- 225 Cochlea vmbrylicata, instar globi perfectè circinata, & leuis, colore onichino.
- 226 Alia similis, figura leuis, & nitida, aspersa coloribus subviridi, rufo, & croceo veluti multa aqua dilutis. In ea orbium commissuræ indicantur à fasciola alba clauiculatim intorta. In centro apparet quasi basis scapi, quo orbes fulciuntur.
- 227 Cochlea alba propter colores rubrum, & ostrinum, phrygio veluti opere picta.
- 228 Cochlea reperta in litore Siracusano aurea cute testa, quam color fulvus punctatim signat, & veluti velo glauco superinduta.
- 229 Cochlea muricata, cuius forma nimium spectabilis.

Vltra maiorem orbem quatuor alijs turbinatur mucro , quem  
valida , & acuminata cornicula instar dentium in girum disposita  
coronant . Intus albescit , foris carneo colore rubet .

**230** Cochlea, quæ Sarmatica dicitur à mare, in quo visam  
aliqui narrant . Eius testam delineauit haud ex prototypo  
acceptam (à nullo enim, sicuti nec à me inter cæteras pos-  
fideretur) vt fabulosam Cochleam in scenam adducerem . Ex in-  
sueta enim corporis mole, oculis , pedibusque cæteris Cochleis  
à Natura negatis Fictitiam omnino esse putavit Ionstorus Vir  
eruditissimus , à quo eiusmodi Cochleæ descriptionem desum-  
ptam hic subijcio . Sarmatica ( inquit ) dolium corporis mole  
æquat, cornibus arboreis ceruum . Extrema cornua in orbicu-  
lis rotundantur vñionum instar splendentes . Ceruice eius cras-  
fa , oculis accenſæ candelæ modò micantibus , naso obrotun-  
do , & pilis felium adinstar obuestito, riſtu oris magno , sub  
quo pendet , prominentque carnea moles aspectu subhorri-  
da . Quatuor nititur cruribus , totidem latis , & aduncis pal-  
mis . In Dania se vidisse forte mentitur Theuctus lib.20. Cosmog  
tom.2.

Cochleas hæc tenus visas sequitur agmen earum, quæ, licet  
turbanatæ, orbes sua met testa, ita occludunt , vt Conchas po-  
tiū dixerint Auctores , quam Cochleas . Quod, vt intelligas  
concupias animo concham simplicem per planum extensam, de-  
inde utramque in partem reduci , & complicari ad rotundam,  
sive ouatam concham efformandam duobus extremis, que prius  
in plano opposita iacebant , nunc inter se iunctis , & coherentibus,  
dempta rima , quæ denticulis asperiuscula est . Sed vt à  
ceteris conchis distinguamus nulla spirarum circumvolutione  
reflexis, Venreas cum eisdem Auctoriibus appellabimus . Un-  
dè autem huius nominis ethymologia deriuetur, non vna , &  
eadem est ipsorum opinio . Tales dici , ait Plinius , cò quod  
apud Gnidiorum Venerem celebantur . Illis enim narrat Mu-  
tianus inhærentibus plenam ventis stetisse nauem , portantem  
Nuncios à Periandro Corinthi Tiranno , vt castrarentur no-  
biles pueri , quia de causa Remoras idem Mutianus appellat .  
Porcellanas vero Cesnerus, quia ex illis porcellanica vasa con-  
ficiuntur præcipue in Prouincia Sinaruni Kiamſi . Aldrovandus  
autem tale nomen inpositum esse putat à pulchritudine , splen-  
dore , & levore , quæ dotes Veneris formosique corporis præ-  
cipua sunt . Variarum specierum Venreas Auctores in suis

paginis exprimunt. Nos multiplices, & nunquam ab alijs expressas, seu descriptas afferemus, & quidem singulas ex suo prototypo acceptas, sicuti omnes coloribus adeò pulchris variegatas, vt in eatum accurata descriptione verba calamo deliciant, & oculis essent usurpandas iucundius.

**231** Quæ primum locum obtinet, testam habet leuem, os quod per totam testæ longitudinem in omnibus extenditur, æqualibus crenulis asperum. In partibus extremis foramen est, alterum capessendi cibi gratia, non asperum non rotundum, sed parum prominens, non tamen in angulos procurrentes: alterum ad excrementa rei cienda. Iatus glastino, sed diluto colore tingitur, in labris, vt lac albescit.

**232** Parte autem in tumorem elata, paleari colore, supra quem dispersæ fulgent maculæ rotundæ vitellinæ, seu cereæ cum meile mistæ, circulis aureis circumseptæ. Huiusmodi conchis abundat mare Rubrum, ex quo Mercatores in Ægyptum transferunt, vbi in chartis, & pannis expoliendis usus est.

**233** Venerea parua leuis, & nitida, intus colore violaceo, foris, vt ebur alba, labris diuersimodè crenatis, eius dorsum inæqualius quam cæteris, & gibbosum, ita vt illi quoque testa incumbere possit, sed oblique. Idem per medium pallidum est, siue subluteum. Frequentissima in litore Insulæ Ioadæ cui Congianus Rex dominatur, ibique loco monetarum habetur, vt Solinus narrat, inquiens. In Regno Congiano nullus aliis præter Cochlearum maripearum loco pecuniae usus est, quas mulieres ad hoc conductæ colligunt. Nam mare aliquantulum ingressæ corbes arenis replent, quibus Cochleas, paruas, & utriusque sexus mistas reperiunt, abluiunt, separant fæmellæ enim masculis sunt pretiosiores, quia lucidiores, & vi sui iucundiores, & ita in regium thesaurum condunt. Et tales Cochleæ, quamvis in omnibus huius regni littoribus reperiuntur, non tamen aliæ præter has solas, quæ colore, qui ciacricius est, saltem ab alijs differunt, sunt in pretio, vnde maximus Regis census.

**234** Hanc triplices fasciæ æqualiter inter se distantes, & testellulis fuluis distinctæ cingunt, pars gibbosa ex ianthino colore albescit, supra quem stellulæ fulgent conchyliatae. Pars concava candida.

- 235** Venerea zizifino colore flauescens, binis fascijs albis vi-  
ctata, veluti labro excrescente alboque coronatur cum  
rubiginoso interpunkto.
- 236** Venerea lactea tribus fasciolis ostrinis segmentata, quas  
aureæ laciniæ exornant.
- 237** Violaceo succo imbuta videtur hæc alia cæteris longior,  
maculis insuper xerampelinis notatur, inter quas qua-  
tuor maiores, magisque exuberantes apparent. Ex labris albis  
alterum minutis incisuris est asperum, alterum dentibus mu-  
nitum.
- 238** Venerea alba fasciculis transuersis aureis vitata.
- 239** Venerea strigis rugosa, intus alba, foris ex violaceo car-  
neum colorem induit, aliquando anthracinum.
- 240** Liuida, & rufo colore pingitur hæc concha, in dorso  
binæ lineaæ flauent in oualem ferè speciem coniunctæ, &  
in earum medio subuiridis testa.
- 241** Venerea undeque alba, sed in parte gibbosa color  
ianthino præclara.
- 242** Huius testam filaris atticus dilutus tingit, & rufus varie-  
gato opere exornat. Labra autem melle flauescientia  
puncta sanguinea spectabilem reddunt.
- 243** Venerea cæteris gibbosior, & ex vtraque magis producta,  
ex cera cum melle mixta videtur formata, punctisque  
heluaceis aspersa.
- 244** Ex flano albescit huius testa, quam liuidæ maculae yeluti  
albo velo subsidentes distinguunt.
- 245** Venerea minima, & lactea, Calculus vteri dicta, siue  
etiam Belliculus marinus, circa littora maris inue-  
nitur.
- 246** Venerea Pyriformis liuida, notulis tyrijs, & quasi velo al-  
bo tectis tessellata.
- 247** Venerea stellata inter omnes speciosissima. Loco pecu-  
nia habetur in quadam ex Insulis Philippinis. Pars in-  
terior, qua comprensa est, & plana, videtur rufa, & ex rufo ca-  
stanea. Vbi autem in dorsum eleuatur, partim violaceo, par-  
tim liuido tintata, intus stellulis lacteis, & aureis decorata.
- 248** Stellata dicenda etiam hæc est, è notulis rotundis, & ca-  
staneis notabilis, cæterum cinereo colore vulgaris. Om-  
nes ex Indiarum littoribus habentur levitate mita præclara.

- 249 Eburneam dices ex albedine hanc Cochleam, ore angusto, & labris exactè expolitis, circa partem qua saxis adhæret veluti cingulum eminet, ex eius testa formatum.
- 250 Venerea testudini similis. Eius dorsum bifariam secat sulcus secundum longitudinem teste productus, à quo aliæ rimulæ transuersæ costas sub cute animalis apparentes simulant. Colore terreo, aut xerampelino.
- 251 Venerea in mari Siculo, & Tarentino frequens, ubi vulgo vocatur Porcelletta. Lapidem Bezaar dictum colore lurido repræsentat, interdum minùs, aliquando magis exuberante, binas fascias quibus transuersè cinguntur, vix indicat. In partibus oppositis, ubi foramina duo, colore carneo in subminium propendente rubescit, in cuius medio binæ maculæ nigerrimæ hinc inde dispositæ. Circa oris aperturam color dorsi paulatim evanescens in album mutatur, quo crenulæ labrorum albescunt, intus vero violaceo pallescit.
- 252 Venerea quæ oui gallinacei figuram referens ex mira albedine Lætea dicitur. Præter candoris elegantiam, notæ illi præcipue sunt oris apertura non recta, sed circularis, extremitates magis productæ, quam in cæteris, insuper ex labris alterum tantummodo minutis rimulis rugosum. Intus flauda, aut albescens,
- 253 Venerea labris siueis, & ubique incisuris frequenter crenata. Eius color ex albo vinosus appetet cum carneo mixtus. Stellæ siue maculæ partis gibbæ lenticularum ferè magnitudine, quedam dimidia atræ, in medio ambitu rufæ, & ianthinæ, dorsi latus secundum longitudinem, teste alba linea secat. Partem internam ianthinus color tingit, in mari Mediterraneo reperitur, at in Oceano subuiridi colore, & furuo aspersa.
- 254 Venerea ore albo, & crenato vulgaris, at plurimi habita, & admodum rara propter colorem, eo enim pellem canis Britannici exprimit, cinereis notulis distinctam, & pellucido nitore præclaram.
- 255 Pari pretio estimantur quatuor aliæ sequentes. Quam hic cernis in opposita dorso facie plana ferè est, & alba, deinde ligneum siue heluum colorem induit, supra quem dorsi summitas amethystino fulget.
- 256 Hui sanguineæ notulae cerussatam cutem cruentant.

- 257** Venerea oui gallinacei figuram exprimens colore rara, quo fuluam Leonis cæsariem imitatur eius testam rotundis lamellis cinereis tessellatam fascia eiusdem coloris bifariam signat. Oris margines xerampelinis denticulis rubiginosis armantur.
- 258** Venerea testudinis instar gibbosa, lacteo colore tincta, in parte dorso opposita, eiusdem latera partim liuida, partim heluacea, dorsum autem rufum albis stellulis notabile.
- 259** Venerea longitudine maior, quam cæteræ extensa. Dorsum in summo varium est carneis, pallidis, fuluis, & glaucis maculis. Vtrinque per latera subminium appetet. Pars, vbi oris apertura, denticulis albis aspera. In mari Siculo reperitur interdum transfueris fasciolis segmentata.
- 260** Indica, & rara est, quæ sub hoc numero describitur: ferè undeaque ex liido albescit, & frequentibus lineis fuluis, non in longum productis, sed minutatim concisis signatur, ita vt spatiola ferè rotunda cinerea interiaceant, & aliquando veluti caræteres Arabici, siue notæ arbitriæ effingantur. Latera stellulæ ianthinæ exornant, quas plumbeus color, aut flavius offuscatur. Oris labra veluti carnea dentibus rubiginosis corrugata. In vna extremitate trium, aut quatuor testæ circumvolutiones linea spirali indicantur cæterum perfectissimè leuigata.
- 261** In huius pariter superficie orbium inclusorum rudimentum appetet. E sinu Persico copiosè collecta, non vili pretio est, propter leuorem, & miram colorum varietatem. Eius testa admodum valida, & ponderosa, intus albescit, vt porcellana, ore minimum patet, dentibus rubiginosis hinc indè rugoso. Foris qua parte saxis adhæret; vt filex subnigra, qua verò eleuantur in dorsum, innumeris coloribus ita variegata, vt Testudinum marinaram cortices expolitos referat, iucundiùs usurpan-  
dos oculis, quām verbis facilè exprimendos.
- 262** Venerea cuius longitudine latitudinem superat, intus amethystino colore, foris liuida, & aureis signis notabilis.
- 263** Venerea cæterarum pretiosissima, & admodum rara. Figura, vt vides, à cæteris omnino differt, colore ex paleari undeaque albescit, rotundatis yeluti annulis aureis, aut croceis, & inæqualibus condecorata.

Vene-

**264** Venerea in ore Mosambiquani maris frequens , testa du-  
rissima , & ponderosa . Antonomasticè Tigris appell-  
anda videtur propter maculas , quibus pingitur , Inexplicabilis  
autem est Naturæ , aut labor , aut lusus , quo eius cortici venu-  
statem addidit . Vinoſo , vt plurimum humore imbuta , & san-  
guinea fascia vittata maculas habet fuluas , conchyliatas , atras ,  
ostrinas alias alijs superimpositas , variaque ratione , & mixtura  
multicolorem . In ore autem , & parte interna lacteum candorem  
ostentat .

**265** Concha eadem in duas partes diflecta , internas orbium  
circumuolutiones demonstrans .

**266** Venerea leui , & fragili testa : Fasciata , dicitur à quatuor  
fascijs dorsum transuersè secantibus , quarum omnes  
colores sanguineus , rufus , & citrinus diuersimodè confusi pin-  
gunt . Cæterum vndequaque cinerea , præter rubiginosos den-  
tes , quibus ori labra rugatur : in extrema testæ parte lineola co-  
chleata internæ spiræ indicantur .

**267** Subtili fragilique testa componitur hæc alia omnium  
longissima , innumeris penè coloribus passim aspersa  
oculis subiicitur , atro præcipue , rubiginoso , fuluo , terreo , &  
heluaceo . Fascijs infuper violaceis in longum ductis , & alijs  
melleis transuersè superimpositis decoratur . Huic frequentes  
oris incisuræ amaracinae colore badio distinguuntur .

Cochleas , quas diximus Venereas aliud Cocklearum ag-  
men comitatur , quæ vocantur Purpuræ , apud Veteres propter  
purpureum succum magnopere expeditæ . Vna quippe libra  
huiusmodi coloris , siue oloterici eodem infecti , tanti quidem  
pretij erat , vt equali argento penderetur , centum videlicet au-  
reis nummis , vt Cornelius Augusti nepos refert apud Plinium .  
Quamobrem Poetæ , vt significanter sauciatae Palladis vulnus  
fascia Deam decente alligatum , Purpuream dixerat , hoc est pre-  
tiosissimam . Purpurea pariter veste apud Romanos induebantur  
Consules , purpuream milites , Reges , ac Fœminæ ad luxum osten-  
tabant . Quamobrem apud Martialem conquerentes de purpu-  
rario Vrinatore aiunt Purpuræ .

*Sanguine de nostro tintas ingrate lacernas*

*Induis , & non est hoc satis , esca sumus .*

De Zenone itidem referunt Historiæ , antequam in Zenophontis  
gymnasio Philosophiæ morali operam daret , Purpurarum mer-  
caturam exercuisse , quas ingenti quidem lucro Athenis vendi-

Theopon;  
apod At-  
heneum .  
Plin. lib. 9.  
c. 19.

Lib. 13.  
epis. 87.

tasset, nisi cùm naui, Purpuris onusta Tyro Athenas redeuntes, & à repentina Ventorum procella in firthes collisa, spem suam, & patrimonium misero in naufragio perdidisset. Zenone autem feliciores alij multi, qui Romæ vestigium oneribus non gravabantur, dummodò essent Purpurarij Mercatores. Tyrii pariter in celeberrima Pheniciæ Insula Tyro, vbi Purpurarum flos pretiosissimus, postquam Alexander Macedo continenti addidit, (*Magnam vim saxonum Tyro vetere præbente*) libertate donati fuerunt, vt Namiotæ Purpuras expiscarentur.

At si olim ex aquis pretiosissimus earum color, etiam vitæ discriminè expetebatur, nunc à tellure copiosè obtinetur. In America nascitur in Coccî fruticis fructu breue animaculum, quod statim, ac in aerem fructu iam maturo est emissum volat, ita ut culici simile videatur, priusquam autem perficiatur, animalculum, fructum cocci colligunt, & sanguine insecti lanas tingunt. In Gallia Narbonensi Anthyllon, vel Antycellion, herba duorum generum est, vna folijs, & ramis lenticulæ similis, palmi altitudine fabulosis apricis nascens, subsalsa gustanti; altera Chamæpitui similis, breuis, & hirsutior, purpurei floris, odore grauis, in saxis nascens, inquit Plinius, ex qua descriptione putat Volateranus hoc forte intelligi à Plinio, quod nostri Fullones cremisinum vocant. Chermes verò ex radicibus herbarum sumitur, ait Brafaoulus, cum granula circa radices colliguntur, quæ breui tempore in vermiculum transeunt, apereunt enim granula, & parua quadam formica alata exit; In multis etiam Germaniæ partibus colligitur, excellentior verò in Polonia circa Cracouiam, à quo *Vermiculæ* veste nominantur, siue *Chermisinae* à Chermi veteri Sardiniae Vrbi, vbi tali colore fuerunt lanæ, & oloserica flamina primum infecta.

Verum ne à Mari discedamus, *Aquarum* est, cum D. Ambrosio loquar, de Purpuris differente, *quod in Regibus adoratur, aquarum est species illa, quæ fulget*. Purpurea clamide ante omnes primum induitum incessisse in Asia, Phenicem in regia dignitate constitutum, ex Cedreni, & Suidæ historia acceperimus, dono sibi impertita ab Hercule Tyrio philosopho tunc temporis celeberrimo, postquam Vertagus eius canis Purpuram ex vndis extrahens purpureo rictu ignotum florem Domino indicauit, vnde Herculeam Purpuram nominauit Politianus. At nec Afriæ Africa, nec Africæ inuidet Europa. In multis enim

maris Sinibus Purpuræ producuntur. Inveniuntur in Cyprio, in Sardico, in Tarentino, & antiquitus celerabantur in Adriatico mari generatae quare Salius Poeta.

*Nec Sydone vilius Ancon, murice, nec Lybico.*

Fert Laconicum mare Conchilia, ex quibus ad infecturam vestium Purpura comparatur, nobilitate solis ijs, quæ in Rubro mari capiuntur inferiora. Ab omnibus autem color omnino similis haud exprimitur; Pro Solis enim propinquitate colorem habet, & puniceum quidem procreat Africa, id est quasi violaceum, colorem, Tyrus autem rubrum. Partes item Aquilonares nigrum, Austrinæ rubrum magna ex parte ferunt; Orientales verò violaceum, quo etiam Purpura Tarentina commendatur. Nec ab uno Conchyliorum genere producitur; fertur enim à Muricibus, & Buccinis. E Cochlea Echiophora sub num. 18. & 19. posita ianthynus pulcher effluxit sùm viuam Antio ad me missam in partes dissecui, & violaceum accepit Fabius Columna ab alia propè littora Vessuuij reperta. Hinc Muricatæ, & Conchyliatae vestes dicuntur, sicuti purpureus color Ostium ab animali testato, quod Ostreum appellant Græci.

Qua nam autem industria è Purpuratum testis pretiosus eius liquor eruatur, multiplicem illam esse ex historijs acceptimus. Ab eis euomi, si feriantur, affirmat Imperatus: sponte emitti ait Columna: alij verò in mortuis inueniri volant. Phænices, vt narrat Gillius ex onomastico Pollucis quarto, Purpuratum captarum testas confringunt, & carnes ad tinturam condunt, & aqua dilutas, & fordibus expurgatas succensis ignibus in lebete coquunt: earum sanguis, vt ab igne incalescit, fluit, & efflorescit, partimque flauescit, partim cyaneo colore fit, partim in aliud colorem convertitur, ac iam quicquid imposueris in illius colorem commutatur. Qui plura desiderat adeat Plinium, Rondeletium, & Aldrouandum. Ego interim, ne fusas aliorum narrationes repetendo, quo nihil facilius, absurdius nihil, meas paginas verbis impleam, Purpuratum testas, earumque fabricam à nullo fortassis adeò luculenter, & accuratè expressas, recognoscam.

268 Primo loco posita oculis subiicitur, quam in mari Rubro generatam accepi, Alba illa est, siue potius osleo colore aliquantulum flauescit; in parte interna nitida, & levigata. In externa tuberosa, notulisque roseis, flavis, & furvis, & rubicundis sparsim depicta. In ea distinctionis nota precipua est

est canaliculus admodum longus, rectus, & paulatim ab ore, ex quo nascitur diminutus, cuius extremitas scalprum canaliculum effingit. *Purpuram pasci perforando reliqua Conchylia putauit Plinius, exerta videlicet lingua sub operculo, qua digito longior est* (ait Aristoteles) *qua tum Conchulas, tum sui generis testam perforare potest*; vnde *Purpura voracior* ad helluonem significandum inter adagia dicitur. Hanc autem linguam osseam spinam potius dicendam affirmat Kircherius.

Attamen quam longè à veritate aberrant hi Auctores Rondeletio, & mihi experimentis satis est comprobatum. Diligenti enim anatome inter incisa Purpuraruin membra nulla pars ossea inueniri vñquam potui, sed ad summum callosa, quæ in canaliculum inserta durissimas testas etiam calibi obnientes terebrare haud potest, sed solum Cochlearum humorem, quem appetunt audiissimè exugere.

**269** *Purpura aculeata*, quam melius Istricem marinam dices, *Sconciglio spinoso* vocatur Neapoli ob aculeatas veluti vepres, quibus munitur, rostro longior, quam antecedens, mole autem minor, supra quatuor spirarum circumvolutiones, quibus finitur, eminent spiræ, quibus etiam in formam crucis dispositis rostrum armatur. Color extra terreus, intus albescens.

**270** *Purpura* ob substantiam solidam, & ponderosam Marmorea dicta: colore, neque à marmore differt. Os illi angustum, & longum, ut in murice. E superficie externa fulcis rugata, cornicula aliqua exeruntur, crispa, & circumflexa munimento pariter, & decori. Fertur ex Indijs.

**271** *Purpura* in Neapolitanō litore frequens, ibique vulgo dicta *Carosa*, hoc est spinis detonsa, fuscō, ut plurimum colore, siue liuido; aliquando, sed raro albescens, cum maculis rufis fascijsque Conchiliatis, aut croceis cincta.

**272** *Purpura* ex Tarantino siuē accepta. Pars eius extrinseca coloribus atris, & oleaginis inficitur, intrinseca violaceo, siue ianthino cum albo mixto saturatur. Aculeis caret, sed tuberculis aspera instar coronæ distributis, tunicis pluribus in longum superpositis videtur corticosa, & fulcis minutissimis secundūm spirarum ductum circumvolutis rugatur.

**273** *Purpura* eodem in mari frequens, intus albo, vñichino foris, ut à ceteris distinguatur *Crispatam* dicimus; cutem enim habet instar pomi passi spissis rugis asperam.

**274** Purpura Echinophora siue Echinata , sic dicta à validis aculeis in prima circumuolutione eminentibus . Appellatur etiam marmorea è testa ponderosa , & dura . Ut plurimum albescit in parte exteriori , quæ partim videtur malleo contusa , partim in puluillos tumet , oris autem labrum spissis strijs asperum mirè multis in locis circumPLICatur . In Adriatico frequens .

**275** Triangularem hanc Purpuram dices , si oculis usurparés ; triplex enim in spatium diuiditur à triplici serie , veluti foliorum , quibus est laciniata , ut crispatæ lactucæ cistus , siue brassica cucullata , ac si lapidea materia non constaret . Ex Persico sinu habita inter alias magis spectabilis , & rara . Colore flauescit , lineisque transuersis ferrugineis distinguuntur crispa , quibus undequaque rugatur , excepto ore admodum leui , & roseo ad amethystinum propendente , colorato .

**276** Purpura pariter triangularis , sed colore terreo ab antecedente diuersa , non tamen pretio vilior , eiusdem laciniarum extrema Anthracina nigredine saturata . Os ferè rotundum , labrum cartilagineum supra maiorem orbem aliquantum extenditur .

**277** Purpura , qua Mare Rubrum abundat , ultra transuersas crispas , quibus rugatur , plurimos veluti cortices alios alijs superimpositos ostendit .

Hic non iniucundum fore arbitror , quod Aristoteles , & Plinius de Purpuris narrauerunt ; earum videlicet vitam septem annorum spatio protrahi , eamque patere per *orbēs* quibus totidem , quot annos habent testa , intorta cuniculatum in crepidinem definit . At Aristotelis sententiæ Fabius Columna auersatur . Hic enim in breui de Purpura Traetatu notauit , Purpuræ vitam pluribus annis finiri quam orbium spiris testam . Alij non ex orbibus arguendam putant , sed ex corticibus , cum singulis annis eas nouo superindui credant . Verum meo quidem iudicio vtrorumque opinionem magistra omnium experientia refellit . Egō enim inter innumerās penè Purpurarum testas in diuersis maris sinubus diuersoque in litore repertas nullam obseruare , vnquam potui , quæ ultra quinque orbium circumuolutiones excresceret , vnica excepta , quam num. 276. delineatam posuimus . Illa enim prototipo omnino æqualis septem orbibus finitur , septemque pariter comprehenditur altera , quam apud me habeo omnino similem , licet mole triplo minorem , utraque verò

verò triplici corio in lacinias excrescente corticosa; Quam hic describimus, si inquiras, siue paruulam, siue magnam, una vltra quatuor spiras semper conuolutam videbis. Eiusdem color est furuus, aliquantum albescens in orbium commissuris. Inter cæteras vnam seruo coloribus æque præclararum, ac calamo non facile exprimenda. Rubro enim, tubuiridi, citrino, sulphureo, vitreoque in externa facie decoratur, in interna autem ex candido purpurascit.

**278** Adriatici maris Purpura, quatuor spiris intorta, quas faxea, & subrotunda vincula necunt. Hæc alba sunt, illæ, aut vinosæ, aut subflavæ, vtraque verò fascijs Conchyliatis, vel coracinis vinctata.

**279** Purpura Gibbosa à Gibbis, quæ in singulorum orbium latere intumescunt. Gibbæ insuper, sicut, & cæteræ orbium partes tuberculis, & tonsillis plenæ sunt, sed sine ordine dispositis; Quapropter longè omnium elegantissima habetur, & nulla quamvis solertia videatur à Natura elaborata, oculos tamen deformitas ipsa delectat. Oris apertura valde angusta, à cæteris diuersa, & anfractibus sinuosa, undequaque videtur late æqualiter saturata, præterquam in dorso, quod crocea pura apparet variegatum. Hac meuen Cochlearium mare Indicum exornavit.

**280** Eiusdem purpuræ facies, in qua oris patet foramen.

**281** Africano in litore inuentam hanc Purpuram Ventricosam appellauit. Orbe enim primo maximè tumet, at quatuor alijs, quibus finitur, vix ad semidigitalem latitudinem extenditur: validis brevibusque mucronibus armatur, qui transversis crispis corrugantur. Osseus color illi est, interdum in mari Hispanico Occidentali pulla inuenitur, & raro ex glastino nigrescens.

**282** Purpura Echinata siue Clauata, aculeis enim clavorum instar acuminatis redditur notabilis. Labrosa insuper est, labrisque longum, & canaliculatum mucronem effingit. Colore externo candida, interno flauida, & in mari Sardico stabulatur, quæ verò in Tarentino, subuiridis, & lutea.

**283** Quam hic ultimo loco vides ex Africano mare delatam, Ventricosior cæteris est, & mucronibus aduncis munita. Illos diuersi orbium cortices, quibus videntur compacti, efformant, cum singuli à cæteris subiectis elati complicantur, &

reflectuntur; idcirco non clauorum instar, sed veluti Bouis cornua, minus tamen acuminati. Pars interna roseo fulget, externa verò, vel albo est vnicolor, vel flavo, tyrio, ac luteo multicolor.

284 Post Purpurarum testas Murices sunt describendi, quorum pariter purpureo succo lanæ, & oloserica saturantur. Significantur autem voce *Murex*, qua Latini faxorum aspera intelligunt. Vnde Poetarum Princeps Maro:

*Conusca cautes, & acuto in Murice remi  
Obnixi crepere.*

Eadem pariter voce exprimitur Bellica Clava, ferreis aculeis horrida, cuius erat apud Barbaros præcipue frequentissimus usus, truculento marte cum hostibus dimicantes. Muricem ergo, quem primo loco posuimus Marmoreum dicimus. Eius enim Testa crassa admodum est, & grauis, talique structura efformata, ut si ei manubrium addatur, clavam dices tuberculis asperam, non Cochleam, in qua angustissimi oris detegitur rimula. Ex imo Oceani fundo accipitur candido colore, sed rubris maculis cruentatus.

285 Murex figura præclarus. Ventricosus dici potest à maiori orbe, quo solum tumet, cæteris in breui tantum mucrone indicatis. Vbique longi aculei eminent. Os quasi perfècè circinatum labra reflectit, ex quorum altero binæ tunicæ propendent, & licet marmoreæ, telæ instar plicatilis reflectuntur. Intus albo, foris puniceo colore imbuitur.

286 Murex cinereus, & liuidus, cuius testam in pyramidem efformant decem spirarum circumvolutiones, supra quas aculei proportione artificiose disponuntur, acutiores tamen, qui basim coronant. Ex ea oris apertura nascitur, æque longa, ac omnium orbium structura; eadem lacteo nitore sicuti pars externa albescit veluti sandracca velato.

287 Murex dupli fasciola in spiram contorta, à basi ad mucronem vittatus. Vestem Persarum propriam huius testa effingit, cuius color flavidus, fasciolæ verò castaneæ, aut ex rubro nigricantes. Fructus est maris Persici, & non vili pretio ductus.

288 Pluris autem habetur, qui ab hoc numero indicatur. Coronatus dici potest ob coronam veluti regiam, quæ singulis orbibus adnectitur. Colorem habet similem paleæ, supra quem aureæ, & vndatim ductæ lineolæ maris vndas leviter

crispatas effingunt; apud Indos fuit inuentus.

289 Murex in Orientali Indiarum mari natus, qui Fasciatus dici potest è fascijs in æqualia spatia distributis. Hæ Concolores sunt testæ ex castaneo rufescenti, sed ab ipsa testa adeò eleuantur, vt potius circuli ipsi superadditi videantur. Quinque orbium spiris comprehenditur; ex duobus oris labris alterum leuiter crispatur, alterum valuulis, & strigis eleganter exornatur, quæ in aduersa facie instar tuberculorum tumescunt, indicantque mirum Naturæ opificium.

290 Murex Triangularis, costis marmoreis etiam cinctus.

Hæ autem in orbibus aptantur, vt plurimis tuberculis, & nodis inæquales ex pluribus testæ partibus formatæ videantur. In labro desinunt, vt figura repræsentat, incundiùs inspi cienda, quam describenda. Pars ciui interna, vt lac albescit, extera verò tophacea est, vel flauida.

291 Murex Icuis, ac fragilis testæ. Ex tonsillis, quibus orbes decorantur est spectabilis, licet colore albo vulgaris, aliquando terreo etiam colore aspersus.

292 Pulchritudo huius desumitur à cute instar Oloserici vndati, & bicoloris depicta. Aliquando squamosa serpentum pellem miris coloribus simulat, interdum palcare colore flavidus, notulis furuis signatur, vel ex oleacino subuiridis, lurdas maculas ostentat. Ex Oceani littoribus habetur.

293 Murex, qui Cochlea Hebreæ à nonnullis vocatur. Insignis est ex maculis, vel sanguineis, vel terreis, quæ tanquam arbitriæ notæ supra colorem album aureo mistum dispersæ. Hæbreorum characteres multoties exprimunt. Hæ autem non absimili modò, quo crescunt incisuræ in corticibus arborum factæ paulatim cum testa augentur, nec formam mutant. Muricem etiam mucronatum dicere quis posset ex mucronibus in primo, & maiori orbe exuberantibus, quibus mira eius venu stas augetur. In oris apertura pars sinuosa alba est, & nitens labrumque crenatum detegitur.

294 Murex Rostratus meritò appellandus. Mucrones enim, quibus munitur, vt Corui Rostrum curuantur. Coloribus antecedenti omnino similis.

295 Murex mucronibus breibus, & sine ordine dispositis, aculeatus, fascijs insuper albis cinctus, cæterum colore tyrio in nigrum propendente.

296 Murex nisi fallor, cæteris præstantior, aut saltem nulli pul-

pulchritudine secundus à Cochleas huiusmodi Musicas Galli  
meritò appellarunt . Illi enim musicis notis lineisque Naturæ  
signauit, ne forte marinæ nymphæ figuratis defraudarentur can-  
tilenis, Neptunusque Iouis non inuidaret delicijs , aut si com-  
mento non assentiris , vt spectantium saltem oculis suis numeris  
absolutam harmoniam efficerent . Hæ quidem non fortuita co-  
lorum combinatione pinguntur, vt gemma Acates in annulo Pir-  
ri Regis, in qua Apollo cum Musis cernebatur, ita discurrentibus  
maculis, vt Musis quoque singulis sua redderentur insignia , sed  
constantí Naturæ opificio, accuratoque studio in omnibus hujus  
speciei Cochleis notulae musicæ lineis , licet non certo semper  
loco, superadditæ videantur . Colores iucundiùs oculis usurpan-  
tur, quam calamo referuntur ; sunt enim lineæ aureo fulgore,  
notabiles, notulae sanguineæ, puncta ex flavo rubescientia, testa  
autem subiecta, vel vinosæ, vel onichyna .

**297** Altera eiusdem speciei pulchritudine etiam eximia .

**298** Murex pariter ex musicis notis conspicuus ; ab antece-  
denti aliquantulum differt . Habet enim testam magis  
æqualem parvulis tantum tonsillis in rostro eminentibus . Om-  
nino autem variat colores , quorum albus , aureus , subniger ,  
flavidus, oleacius, & croceus diuersimodè misti turcicam tibi  
referunt papyrum . Intus verò niveo nitote pellucet .

**299** Murex elegantibus mucronibus tuberosus . Hi enim, ac  
si detonsi fuissent , aculeo carent , & foraminula ostendentes,  
arundinea potius fragmenta testæ superaddita videntur .  
color illi aureus, vel albus in externa facie, interna verò nivus ,  
roseo, vel flamineo rutilans .

**300** Eodem colore intus rubescit hic alias, corticé tuberoso,  
& alpero, in quo oris labrum admodum tumescens vn-  
dosis sinubus arcuatur, & sub eo mucronis circumvolutiones  
ferè totæ delitescunt . In parte externa sanguineæ, & rubiginosæ  
maculæ marmoreum colorē contegunt .

**301** Murex auritus, quem color albus , rubeus , conchyliatus  
viridis, & furvus diuersimodè cōfusa elegantiissime signat .

**302** Oris apertura à cæteris diuersa , vt in figura exprimitur  
internam partem recludit lacteo candore nitentem ,  
cui circa labrum flammœus color copulatur .

**303** Murex pyramidalis figuræ , quam similitate septem or-  
bium spiræ , minutis inciluris striatæ, & lentiginosæ

notulis signatae, ut plurimum colore lacteo, interdum vndeque que vinoſo.

**304** Murex, quem aliqui nominant Auritum ob labrum instar auriculae exertum. Eius mucro turbinatus ferè diuidiam partem primi orbis adæquat, & corniculis, & puluillis frequentibus est inæqualis, foris, vel albus, vel subflavus, intus roseus, & sandracca velatus. In mari Hispaniæ Americanæ generatur, & ad bipalmarem longitudinem augetur.

**305** Quæ hactenus descriptæ sunt Purpurarum, & Muricum Testæ, omnes quidem aculeis, & mucronibus armavit Natura, vel ad pretiosi succi munimen, vel potius ea sicut floribus spiras addidit, ut dixit D. Ambrosius, quasi quædam amazoria illeſtamenta, ut stimulis illis agrè contattum admittentibus, ad maius desideriorum colligentes prouocare. Verùm abditas rerum causas è profundis ignorantie latebris eruere quis potest? Vnum pro certo habendum est, Cochleas nempè omnes, informes licet habeantur, & horridæ, suam venustatem præferre, qua eruditos oculos capiant oblectamento. Huiusmodi etiam censendè, quas infra subijciemus, licet coloribus non èquè insignes, partium tamen fabrica preclaras. Quæ sub hoc numero ponitur clarius ex figura patebit, quam descriptione, liuido colore, supra quem luteæ, vel oleagineæ lineæ serpunt.

**306** Murex alter auritus, cuius testa ponderosa. In parte externa colorem sulphureum, aut vinosum rufæ maculæ distinguunt, at iuxta orbium commissuras roseus rubor. Interna autem ex albo purpurascit, & circa oris aperturam aureo pingitur. In mari Americano reperitur.

**307** Murex magis auritus, quam precedens, labroque magis crasto, eius dorsum transuersis sulcis rugatum duobus aculcis munitur, pars verò dorso opposita, vbi oris foramen nitida est, ut in conchis Venereis, ex albo, oleagino, liuidoque colore multicolor appetat, cruentis insuper guttis, & punctulis pulchrè notatur.

**308** Altera eiusdem Muricis facies, quæ oris aperturam exhibet aureo colore donatam, qui paulatim in subflavum evanescit. Eiusdem oris cuitas adeò angusta, ut carcer potius quam domus Animalis videatur.

**309** Hic proximè superiori forma par est, vndeque canidus, notulis sanguineis signatus, & transuersè sulcatus: at paulo subtilior testa, & cum aculeis breuioribus.

Eius

Eius præcipua distinctionis nota est labrum, quod in figura exhibetur, vel ad tutamen, vel ad decorum valde productum.

**310** Eadem Cochlea, cuius labrum canaliculatum, & oris rimula detegitur.

**311** Murex à Græcis Pentidactylus appellatus ex appendicibus circa labrum additis. Ut plurimum quinarium numerum non excedunt, & præclaro artificio concinnati, instar branchiarum extenduntur. Qui hoc loco ponitur ultra quinque sex alijs decoratur, ideo rarus. Strigis crispatur, colore est rufo, & fulvo exuberanti notatus, vel sanguineo, intus autem ex flavo albescit maxime expolitus.

**312)** Licit mole superioribus minor, elegantia quidem non inferior est hic Murex. Appendicibus solidis, & curvatis, quos figura exhibet, scorpionem ferè simulat, foris subalbidus est, intus croceus, & oris aperturam minutissimis incisuris rugatam habet. Illum in mari Indico fortuitò repertum in meo Cochleario tanquam Naturæ portentum asseruari voluit Eminentiss. Cardinalis Vrbinus.

**314)** Murex senis appendicibus canaliculatis decorus, colore albus, ore angustissimo, sulcis signatus, quos tubercula castanea condecorant. Interdum rufo colore undeque imbutus reperitur.

**316** Cochlea, cuius testa turbinatum Bouis cornu colore representat. Vnibilicus marinus vocari potest ex figura. Ita autem turbinatur, ut vtrinque cava sit in centro anfractuum, quod tameu minus est in parte superiore quam in inferiore, & orbes in sinistram partem conuoluuntur.

**317** Turbo, & quidem elegantissimus, quem dixerunt Galli Telescopium. Duplicatis orbium spiris videtur Cochleatus, in quarum altera testellulis conchyliatis pulchrè discriminatur color albus, quo undeque tegitur.

**318** Cochlea, quam Galli Tulipam vocant, pulchritudinis singularis, vulgo *Pantu Madama*. Eius maculæ, quæ album discriminant aureo colore fulgent.

**319** Geographicam Tabulam representat hæc inter omnes ultima loco non venustate. In eius enim testa alba, ita disponuntur maculæ, & lineolæ furuæ, ut Provinciæ, & Regiones in Tabula geographica indicantur.

Claudebat hæc triplex Testarum agmen, nempè Vnialium, Biualium, & Turbinatorum, quæ in prima libri huius edi-

editione Italicō sermone vulgata anno 1681. descripsi, laborem quidem non modicum aggressus, at æque iucundum; nec minori fore cæteris Naturæ studiosis oblectamento mihi persuasi, si publicis in paginis eorum oculis palam subijcerem, quæ Diuinæ opificij argumenta inter priuatos parietes in ipsis prototipis contemplabas. Quamobrem sicuti aliquando ingeniosus Amor ex Mulcibre fecit Apellem, sic ignara manus laminis cupreis admota ad imagines efformandas, miro animi studio eam impellente, Cœlo incisas vidi, nescio an dicam ob rudem mineruam, ad deturpanda Dei opera, siue potius eadem enarranda. Vnum scio, me inopem tunc copia factum, & labore fessum destitisse ab incepto. Tanta enim est Specierum varietas in Conchyljjs, ut singula prosequi si quis vellet, vasti maris diuitias in angustum redigere auderet. E nobilioribus igitur nonnulla selegisse contentus, mentem, & calatum ab huiusmodi studio subduxì. Verum par est animi, ac oculorum cupiditas, nunquam in hoc vasto rerum sciendarum theatro satis explenda, nec è maximis dumtaxat è creaturis sapientia, Potentia, & Diuinitas Creatoris eluiscit, sed etiam è minimis quamquam contemptissimis. Imò tam lucida, copiosa, & locupletia in Exquis Maiestatis Diuinæ extant documenta, quam in magnis, & maxima Naturæ miracula in animalculis minimis maximè sunt conspicua, illaque Deum glorificandi nobis ansam præbent, præcipue ob varietatem, qua in aliquo rerum genere; ita conuenire inter se individua subiecta videmus, ut nullum alteri simile dici penitus possit, & penè infinita variaque rerum soboles non sine maximo oculorum, & animorum oblectamento excrescere videatur.

Hinc ergo opus hoc, quod patro Italoque idiomate olim scripsi, denuò Latinè scribere aggressus sum, ut si forte ad exteris Nationes excurreret, qua posset eas alloqui lingua non caret, possitque miras Naturæ opes Testaceas sub vndis absconditas omnibus indicare; Eaque de causa plurimas inter cæteras haud infimas Cochlearum testas rursus animaduertens, & quidem observatione dignissimas, placuit eas è prototipis delineatas iam exhibitis addere, nouumque curioso rerum naturalium indagatori argumentum præbere, quo simul Oculum recreare possit, & Animum.

Contulit ad hoc exequendum Amicorum sollicita benevolentia, contulit Virorum insignium fauor, quibus aliquas, vel colote, vel forma elegantissimas in meo Cochleario reponere libuit,

libuit, ut cæteris Cochleis decorem adderent, volumini huic perfectionem, & amoris erga me ipsum singulare monumentum: Contulit mare præcipue, quod oras Brasilianas alluit, illud etiam, quod nouæ Hispanæ Regnum circumdat, & quod in Orientalibus Indijs arenas madefacit Mosambiquanas. Inter omnes verò, quas tanquam liberalitatis, siue Vndarum, siue Honinum notas iure meritò magni facio, cæterarum præclarissimæ proculdubio sunt, quas Serenissimi Etruriz Ducis Beneficentia elargita est, atque non minoris dixerim menti Admirationis, quam oculo Recreationis materiam.

En tuis curiosè Lecto oculis illas subijcio, quas ab alijs specie differre mihi suasi, non quidem ordinata generum Vnialium, Biualium, & Turbinatorum serie dispositas, sed gregatim expressas, prout manibus ab oculo dispiciente oblate sunt, quæ magis notatu dignæ indicabantur.

**320** Inter cæteras prima illa est, quæ in mari Orientali Indianarum nascitur. Videtur è lapide pario compacta, alba in parte exteriori, sed viridi pellucido obuelata, non æquilateriter distributo. Quam hoc numero indicamus cæteris addidit sua, qua pollet singulari liberalitate Eminentiss. Cardinalis Ghisius, ut viridis Cochlea inter Testacea Animalia difficilis invenitu non deesset. Supra talem verò colorem maculæ terrei coloris transuersum discriminant lineolas, quibus spiraliter ductis, orbis onines signantur.

**321** Murex, quem Piscatores in tranquillo mari prædantur: descendentes ad ima in portu Cartaginensi Americano. Eius magnitudo aliquando palni longitudinem excedit; In parte interna apparet, vel albus, vel roseus è sandracca valde pellucidus, in externa verò flavidus, & inæ qualiter rugosus. Instar quercus ramorum contorquentur murices, quibus primi orbis basis armatur, in quo os valde longum patet, sed angustum.

**322** Turbo iconis magnitudinem non excedens unde quaque nitidus, & leuis, extra colore carneus, & fuscus, intus verò in albedinem propendet. Eius nota distinctionis est quatuor dentium series in ore apparentium, & spirarum ductum in parte interna comitantium.

**323** Cochlea Indica ventricosa, & adeò leuiter turbinata, ut ex unico orbe constare videatur. Ex ore, quod firmis dentibus armatur, labrum leuiter rugosum exeritur, plicaturque su-

Supra maximum orbem tali modo , vt à basi ad mucronem , totam circumpleteatur . Dorsum illi est lineolis parum signatum , Color verò multiplex . Carnicus enim flauus , albus , & liquidus simul confusi vndatim illud signant . Quod inter cæteras spectabilem eam reddit , est series sex macularum è colore violaceo ad nigrum vergente , quæ in crassiori oris labro sub-sident .

**324** Turbo nitidus , & pellucidus carneo fusco tinctus . Singulas orbium spiras series alborum punctorum pulchro ordine distributorum comitatur , & vbique vndatim signat cruentus rubor .

**325** Venerea mole parua , at magni facienda ob leuem testam qua componitur , & dissimilatur à cæteris , vt plurimum crassa , & ponderosa substantia compactis : Ab eis differt præcipue ob lineam spiralem , quæ in vna extremitate dilucidè apparet , internorum orbium circumvolutiones indicat . Color illi est osseus , quem fascia albidior in dorso cingit ; apud Brasiliam nascitur .

**326** Castaneo tegitur colore hic aliis Turbo , etiam è Brasilia habitus , testa valdè leuis , & non parui aestimandus ob colorem .

**327** Turbo æque longus , ac figura , qua indicatur . Tophino , vel ligneo colore induitur , sed ob partium structuram mirificè spectabilis redditur . Eum subcululis , & monilibus ornatum dices , inter quæ binæ striarum fossæ secundum spirarum ductum circumvolvuntur . Ex India in italicam Hollandicus mercator illum detulit .

**328** Murex egregius , quem binis alijs iam descriptis , nec omnino similibus , munere addidit D. Pellegrinus Zanoni Filius non degener Iacobi Zanonis celebris inter Botanicos periti in Bononiensi Palestra . Galeiformis hic dicitur ex forma , qua galeam exprimit non solùm crassio labro circum-septam , sed brevibus , & robustis muricibus quibus armatur contra Clavarium iecus . Valde ponderosus est propter crassam substantiam , qua componitur , & mole palmarem globum aliquando superat . Fulvo colore in parte externa pingitur .

**329** In altera autem facie , quam hic delineatam vides , os patet angustum , sed longum , per quod color idem in auctor , aut rubrum propendens spectatur , labrumque habet crassis Dentibus munitum .

- 330** Huius Cochlea structura præclara est, & rara, in altera enim parte aliquantulum tumescente globi segmentum simulat, quod perfectè leuigatum abditorum orbium circumvolutiones indicat fascia quædam è colore calteo, quæ supra album in spiram circumducitur. In altera verò os patet mediocriter apertum, quod labrum molliter inflexum, & quatuor crassis dentibus munitum coronat.
- 331** In opposita autem facie, vt in figura exprimitur, intestini fragmentum in se conuolutum simulat sive spirarum ductibus. Colore cinerea est, quem maculæ sive ordine distributæ ex aureo condecorant.
- 332** Turbo è litore Brasiliensi acceptus, sive circumvolutionum apparentia. Os valde patens illi est, & substantia ponderosa constat, in dorso leuigatus, & pellucidus, at vbi circa os circumficitur binos canaliculos habet, qui in parte interna abundunt, hæc lacteo colore saturatur, externa verò cinereo cum tyro mixto propè basim.
- 333** Cochlea à terrestribus parum dissimilis, sed aliquantulum magis complanata. In binis partibus spiralem Zonam ostrinam habet, quæ in interiori oris meatu etiam apparet quasi tub velo iacens, cæterum vbiique lacteam albedinem ostentat.
- 334** Ridiculariam personam, quam vocabulo *Zanni* exprimunt Itali, inter Cochleas imitatur, quæ hic subiectur. Vestem enim illius simulat tribus coloribus, quibus pingitur, nempe igneo siue sandichino, conchyliato, & flavescente iucundioribus visui, quam calamo faciliter describendis.
- 335** Præclara etiam habenda est hæc alia inter Cochleas non vulgaris, eius maximum orbem subocularis albus, & leuis bifariam diuidit, & cum ipso circumvolitus in secundi orbis commissura deperditur. Cæteræ testæ partes leuiter sulcantur, coloreque bicolori, cinereo nempe, ac plumbeo cingitur, quorum postremus circa os in ostrinum vertitur.
- 336** Cochlea in parte externa aspera ob cristas, quæ in singulis sulcis, quibus signatur, eminent, Plumbeo colore, & Brasiliano in litore inuenta.
- 337** Quem hic vides Turbo cylindricus è D. Zanonis museo habui, non quidem figura mirè spectabilem, sed macularum distributione. Supra colorem plumbeum multiplices taliæ apparent candidis, & conchiliatis notulis æqualiter distri-

butis tessellatae, & tali ordine, ut post angustam latior, & post latiorem angusta collocetur.

**338** Purpura è mari Brasiliensi habita. Si albetinem obserues è pulchro lapide pario, siue alabastrite formatam, putabis; superficies illi est aspera, & rugosa, ut in cætetis Purpuris, sed valde leuigata, & pellucida, licet non æqualiter ubique complanata, sed sulcata semitrotundis canalibus, oris apertura rotundo labro cingitur, quod tonsilla leniter tumentes exornant.

**339** Venerea in litore Brasiliensi frequens, molem huius iconis non excedens, videretur crassissimæ subcirculari circumdata, ore longo, & angusto, ubique leuigata, osseum colore flatescens.

**340** Buccina quinque spiris absoluta, quarum maxima oris aperturam, & quidem complanatam ostendit. Ex duabus labris alterum crenatum est, alterum dentè unico minutum. Colorem habet cinereum, & molem, quæ in hac pagina exprimitur.

**341** Nerita in litoribus Brasiliæ abundans, è globulis albis, & sandichinis videtur composita, tali artificio, ut in tali linea spirali distributi, dum orbis conficiunt simul connectantur, & quasi in duas Classes alteram rubrorum, alborum alteram vicissim variatas diuidantur miro Naturæ lusu, magnum artificium in parua mole ostentantis.

**342** Murex valde labiosus, ex diuersis dilutis coloribus variegatus, nempe aureo, badio, & sanguineo. Intus verò lacteus. Eius nota insignis est tessellula quædam quadrata ex conchyliata nigricans, quæ propè os subsidens, otiosus videretur Naturæ lusu, nisi in tota specie constanter formaretur.

**343** Turbo, quem quinque orbium anfractus circumscribunt: crispis ita rugatur, ut æqualiter inter se distantes recurrant. Has binæ fasciæ fuluæ circumdant, quarum singulas aliæ binæ lineæ aureæ intermedianæ, omnesque supra lacteum colorem conspicuæ redduntur.

**344** Turbo ad digitalem longitudinem extensus mucrone, valde acuto, cuius linea spiralis indicatur à laciniarum, seu pinnularum serie, basim versus propendentium, in qua os ferè rotundum labrum delicatum ostendit.

**345** Tellina in litore Brasiliæ abbundans ferè rotunda, & lineis, quibus leuiter corrugatur, valde spectabilis. In binis

binis partibus laterum oppositis totidem complanatas depresso-  
nes ostendit, quarum angustior cordis formam exprimit. Diuer-  
simodè pinguntur à violaceo colore, reliquæ autem partes ful-  
vo tinguntur circa centrum paulatim albescente.

346 Turbo mucronibus asper, qui binos circulos in maximo  
orbe effingunt. Cæteri spiratum ductus breuem conum  
formant, circa os valdè producitur labro æque crassò, & aper-  
to. Carneo colore facies interna pingitur, heluaceo externa.

347 Purpura ex Lusitano litore habita, lacteum candorem  
æmulans. Orbium spiras cingula rotunda comitantur,  
vbique leuigata superficies appetet, vt in statuis marmoreis per-  
fectè expolitis.

348 Tellina in Europæ litoribus, vel nunquam, vel raro vi-  
sa. In Brasiliensibus verò frequens; reticulato opere  
illam dices circumtextam, colore autem plumbea est, sed vt plu-  
rimùm fulvo maculata.

349 Tellina, quam pariter Brasiliense litus producit, antece-  
denti leuior, & subtilior, lacteo candore albicans: multi-  
plici tunica videtur composita ob lineolas, quibus signatur, su-  
pra quas aliæ lineæ transuersum ducuntur eo modo, quo hic ex-  
preslas vides.

350 Turbo quorundam arium cor exprimens aliquantulum  
complanatum. Bina eius latera duobus labris exornan-  
tur, quorum alterum oris aperturam coronat. Parvuli, ac dimi-  
diati globuli frequenter in eius superficie eminent, quam succus  
carneus, vel terreus colorat.

351 Coucha Brasiliensis niueam albedinem ostendens, è cen-  
tro circumferentiam verius ita dilatatur, vt elipticam  
figuram potius imitetur non circularem. Sulcis profundis si-  
gnatur, quorum partes eminentes imbricum dispositionem  
simulant, cortice leui, ac fragili, ideoque raro integra ob-  
tinetur.

352 Tellina è mari Brasiliensi habita magnitudine aliquando  
ferè semipalmarem longitudinem æquans. Eius co-  
lor ad ceruleum inclinat, supra quem fascia vinosa, & carnea ex-  
tenditur, vbique autem valdè pellucida est, & nitida.

353 Tellina alia in eodem mari frequens digitalem crassitatem,  
& longitudinem æquans, vbique candida.

Hactenus descriptis alias addimus usque ad numerum  
septuagesimum quintum indicatas, quas inter cæteras præstan-

tiores habemus non solum, quia partium structura, & colorum varietate oculos mirè delectant; verùm quia magni Ducis Etruriae Beneficentiam indicant, quæ liberali munere nouos Naturæ partus oculis subijcens oblationem attulit, ac Testaceorum, historiæ non mediocre additamentum, ut olim Regia Alexandri Macedonis liberalitas Aristoteli, libros Animalium prescribenti, vberem materiam suppeditabat.

**354** Primum inter omnes sibi meretur locum Concha, quam subijcimus, nunquam inter tot diuersas species visa, quas è multiplici maris sinu industrius labor obtinuit. In Pectinum genere videtur enumeranda, quibus sua forma assimilatur. Binis constat valuis ferè omnino complanatis, vbiique nitida est, & pellucida. Pars vtriusque intima lactea est, & nitida, inferior externam habet faciem candidam, superior Zizifino colore rubescit. In hac lineæ apparent rubræ in nigrum vergentes, quæ à centro ad circumferentiam ductæ illam in partes ferè æquales diuidunt, sicuti circa centrum alix lineæ sunt inguali interuallo positæ. Vtraque autem facies interna lineas habet à circumferentia in centro coeuntes, & in superficie eminentes, ac si fila glutine aliquo illi addita essem, quæ nota peculiaris distinctionis est, cum in cæteris Pectinibus internæ facies perfectè leuigatae appareant, striatae verò externe.

**355** Nerita, parua licet mole, magno artificio depicta à Natura colore purpureo, qui vndosis meatibus candidam cutem opere veluti phrigio exornat. Valde nitida est, ac si gumi Sinensi obuelata esset.

**356** Antecedenti similis hæc alia Nerita est, colore tantum discrepans vinoso, quo tegitur. Binas vndarum series habet è colore purpureo, & candido alternatim recurrentibus propè orbium commissuras.

**357** Furam Aethiopis pellem colore simulat hæc Cochlea, binis fascijs cincta, quarum altera duplo latior est, ambæque secundum orbium spiras circumducuntur spatio semper coarctato, prout septem orbes, quibus absoluitur, decrescentes, in longum mucronem desinunt. Turbinum genere comprehenditur, osque haber valde angustum, quamvis in longum productum, à Basi ad cacumen in longum crispatur, & transuersim minutissime sulcatur.

**358** Cochlea valde nitida, & leuigata. Praeclera illa est è maculis badijs supra lacteum candorem positis, qui-

quibus in plures veluti partes diuiditur.

**359** Venerea mole parua, sed omnibus huius generis antecellens pretioque habenda. Aureo fulgore tegitur, notulis rotundis heluaceis signato, quarum centra punctis nigerrimis indicantur.

**360** Turbo ubique crispatus, ore longissimo, & angustissimo; Candor, quo tegitur aureo colore in externa facie leuiter notatur.

**361** Cylindrus liuido colore, binis fascijs albis cinctus, notulis cruentatis, & in girum dispositis tessellatus, eius basis alba est, & sanguineis maculis æqualiter distributis notata.

**362** Cylindrus, qui è maculis Gagates dicitur, huic enim lapidi assimilatur. Eius nota præcipua linea spiralis in basi apparet pinnulis ornata, quæ à maculis cruentis frequenter notantur.

**363** Pardus vocatur autonomastice Cilinder hic ob maculas magno in pretio habitus. Ille enim quasi tessellulæ sanguineæ eiusdem ferè magnitudinis omnes spatio æuali inter se distantes disponuntur supra lacteum colorem, quem præterea tres aureæ Zonæ circumsepiunt. In basi omnino complanata linea spiralis veluti canalis profunda circumflectitur.

**364** Cylindrus candidus, vt nix, trahentes strigulas habens, notasque aureas fine vlo ordine dispositas ostentans.

**365** Lacteus color circumtegit hunc alium Cilindrum. At propè basim in pinnulas desinente candida superficies apparet, intus autem violacea.

**366**) Cochlea depressa in mari Indico generata, rustico veluti amictu induita, & terreo colore, quo argenteus nitor celatur.

**367**) Illi non mediocre addit pretium series quædam pinnularum, quibus linea spiralis bellè laciniatur.

**368** Cochlea colore cinereo. in dorso tonsillas nigricantes gestiens. Os habet valde expansum, & apertum, labra carnea apparent, pars intima cinerea, fascijs violaceis signata.

**369** Turbo ex litore Brasiliensi acceptus Icui, & nitida superficie. Decorem illi augent binæ Zonæ mustellinæ, transuersim ductæ supra colorem cinereum cum albo mistum.

**370** Cochlea alba, & leuigata, vt Porcellana. Vbi orbes spirarum conne&tuntur, profunditas apparet, quæ illos simili intextos demonstrat. E maculis heluaceis, quibus notantur, magni ducitur.

**371** Cochlea leui, & subtili materie constans; ob formam Buc-  
cina appellanda videtur. Eius insignis nota est candi-  
da Zona, qua cingitur maximus spirarum orbis. Os habet ferè  
rotundum, ex quo patet candor internæ superficiei. Externa  
autem est aurea.

**372** Cochlea vmbilicata rotunda, & nitida; Quatuor cingi-  
tur fascijs albis, quæ notulis sanguineis, & heluaceis  
vndatim signatur. Cæteræ partes indicam atundinem colore,  
simulant; ore albicante.

**373** Turbo non dissimilis aliquibus Purpuris, ferè albus, cum  
notulis dispersis sine ordine castaneis, & cruentis. In  
spiris tubercula habet molliter circumflexa, ac si è cera con-  
starent.

**374** Concha duabus valuis constans leuiter imbricatis. Di-  
citur cor Veneris eò quod cordis figuram habeat cum  
clausæ, & simul connexæ videntur. Ea summo pretio ducitur,  
quia raro inuenitur.

**375** Concha pariter imbricata, quæ inter Testacea biualvia,  
non insimo in loco ponenda est. Parum differt ab ante-  
cedenti ob formam, sed mole illam superat, & pondere. Co-  
lor illi est, candidus, quem Tubercula cruentata distinguunt.

**376** Tellina Indica, & rara, sicuti sunt aliæ duæ proximè hic  
describendæ. Videtur ex ebure formata ob albedinem,  
& leuorem. Supra dorsum binarum valuarum lineola ex fulvo  
ad nigrum inclinans sine inflexionum ordine serpit.

**377** Cum antecedenti conuenit huius forma, sed gibbositate  
aliquantulum magis tumescenti diuersa. Eodem colo-  
re albo tegitur, quem maculæ flammularum formam exprimen-  
tes inæquali intervallo inter se distantes discriminant, reddun-  
que in genere Biualium æquè pretio habendas, ac visu spe-  
ciosas.

**378** Pellem Cameli asperam sua cute imitatur, quam hic  
vides, inter omnes fortasse huius generis pietiosissi-  
mam. Ampliori circumferentia quam cæteræ, quasi perfectè  
rotundatur, magisque explanatas habet valvas. Color illi est  
subalbus, quem circa centrum dispositæ ternæ fasciolæ fluidæ  
diuidunt in partes æquales, maculæque aureæ signant sine ordi-  
ne dispositæ.

**379** Turbo nitidus, & leuigatus, cuius orbes vix in facie  
externa indicantur. A vertice usque ad cardinem  
imum

imum teret fasciolæ in spiram contortæ pluries cingunt, quærum prima fulua est, violacea secunda, tertia aurea.

**380** Concha Brasiliano in litore generata. Tiburtinum lapidem colore imitatur, leuigata est in parte interna, in externa verò sulcis parùm profundis corrugatur.

**381** Echinophoram iure dices Cochleam hic positam obtusillas, seu puluillos, quibus intumescit. Cæterum globi asperi imitatur figuram: Colore terro cum osco mixto pingitur, qui in partibus depressoibus magis albescit.

**382** Cama leuiter rugata, colore carneo, qui circa centrum ad roseum, seu pùrpureum inclinat, & ab eodem oram versus tres lienares radij sparguntur.

**383** Cochlea quatuor orbium spiris composita, quorum maximum valde tumescit in dorso, cæteræ autem labro quodam crasso oris cæteroqñ angustissimi quasi omnino abundantur. Color ori inest carneus, intus albescit, foris plumbea est, & flauda.

**384** Tellina Brasiliano in litore frequens, minutissimis crenulis signata: Intus purpureo saturatur, foris ex carneo albescit prope circumferentiam.

**385** Cochlea in mari Indico generata, & leuissima. Orbis habet instar Turbinis, at Concham duarum partium simul coeantibus dices, quibus amygdali fructus ferè exprimitur. Colore fulua est. Interna autem facies videtur alba ea in parte, in qua oris est apertura valde prodigiosa propter dentum aliquorum dispositionem, quibus manitur.

**386** Cum superiori certat de pulchritudine hæc alia pariter dentata in vtraque oris parte, alba, & ponderosa est æquè ac parius lapis. Vbi oris patet foramen, aliquantulum complanatur; cæterum quasi omnino rotunda, vt globus, veluti subocularibus albis compactus.

**387** Buccinula quatuor spiris contorta, in omni parte perfectè leuigata, lauri baccam & quæ magnitudine. Vbi orbium commissuræ sunt, albæ notulæ iacent, quas intermedix terres ad viridem propendentes distinguunt: eodem colore tota ferè testa saturatur, maculis furuis etiam tessellata.

**388** Quinque, quæ subiiciuntur supra positis, ex Neritarum genere sunt, in sinu Pernambuci generatae. Nuci auellanæ parvulae sua mole omnino similes quasi perfectè rotundæ, vndique nitidæ, & leues, ita ut vix viuis orbis interni vestigium

gium appareat. At si forma vulgares, elegantissimæ sunt propter colorum dispositionem, & varietatem, qua à Natura pinguntur facilius oculis inspiciendam, quam exprimendam calam. Quam hic vides primo loco positam, malaco colore saturatam, quinque fascijs albis à centro ad circumferentiam ductis dividitur, quarum lateri lineola anthracina adiacet.

**389** Ex ebure compacta videtur hæc alia aliquantulum flavescenti, supra quam lineolæ nigerrimæ sine vlo ordine flexuose discurrent.

**390** Dividitur hæc alia colore alba in partes æquales, fascijs, seu radijs coracinis, à centro ortum habentibus, magis amplificatis, quò magis oram versus extenduntur.

**391** Nerita pariter in plures partes divisa radijs, non recte, sed sinuose sparsis, & numero paucioribus, quam in superiori, vt in Icone appetat. Liuido colore hi sunt, lineolis piceis coniuncti supra colorem osleum, quo tota Nerita induitur.

**392** Radij, quibus hæc alia in plures partes dividitur, æqua- lia inter se spatia seruant, colore autem sunt albi, reliqua testæ facies cerasino, vel puniceo colore saturatur eoque lineolæ nigerrima intermedian.

**393** Globi figura ferè exprimitur ab hac Cochlea ternis orbibus rotunda, & veluti pluribus subocularibus compacta. Colore albescit, porraceis, & luridis maculis tessellata. Linea verò, qui orbium commissuras indicat, à notulis luridis in partes æquales distributa comitatatur.

**394** Cochlea æquè ob colorum, & partiuni venustatem pre- tio non vili ducenda; pingitur enim albo, roseo, & vi- ridi cum flauedine mixto, & sine vla regula distributis. Quatuor in orbis pyramidis instar excrescit supra basim valde amplam, quorum singuli binis subocularibus, veluti è filis pluribus compactis, cinguntur. Circa basis crepidinem veluti corona adiacet frequentissimis pinnulis laciniata. Supra orbium testam unde- quaque rugosam, & crispam, interualli proportione seruata; imbricamenta quædam eminent, quibus Animali munimento sunt, & decori.

**395** Concha binis valuis compacta, in ora Brasiliæ fre- quens, nunquam in littoribus Europæ adiacentibus visa, licet in illis multæ figura similes copiosè producantur. Eius præcipua nota distinctionis est sulcorum habere summi- tatem

tatem non semirotundam , vt cæteræ eiusdem generis , sed planam , & transuersim minutissimè crenatam .

**396** Quam hoc in loco positam cernis in litore Pernambuci repertam , paruitatem molis artificiosa partium compositione superat . Minor est nuce auellana ; tali autem arte ternos in Turbines excrescit , vt turicum , & elegantem Cidaram exprimat . Singuli orbes in plures veluti tonsillas turgescunt , & distribuuntur , proportione diminutionis seruata in spirali circumvolutione , omnesque videntur quasi cingulo obstricti , quod comitatur aliud veluti filum globulorum , albi videlicet , & rubescentis , alternatim dispositorum , Reliquas verò teste partes carneus rubor albo aspersus circumtegit .

**397** Concha Biualuis , cuius testæ coniunctæ optimè leuigatæ sunt , & pellucidæ . Maculantur in externis , & oppositis faciebus , infectis aureo diluto , aliquibus maculis fuluis ad sanguineum inclinantibus . Alterum ex duobus lateribus aliquantulum explanatum cordis figuram simulat , in quo lineolæ coloris ex viridi , & rubro simul confusis serpunt . Reperiuntur in oris Brasiliæ .

**398** Non absimilis forma est hæc alia inter arenas pariter Brasilianas generata , sed mole antecedenti præstat . Ex binis valvis , quibus constat , altera hic subiicitur , in qua representantur maculæ vndas maris simulantes , sine inflexionum certa distributione . Colore aureo illæ formantur , qui supra osseum , seu album , quo tota Concha inficitur , optimè nitent , nec æquali coloris intensione formantur , sed varia , paulatim circa extrema , ita suanescente , vt olosericum opus perfectè imitetur , quod vulgo dicitur *Punta Francese* . Eius circumferentiam fascia non parum lata comitatur coloris flauidi , in qua lineolæ fuluae transuersim ductæ , in partes inæquales distinguunt . Intus candida est , & vbique pellucida gummi velata .

**399** Quatuor , quas hic subiicimus ex eo genere Neritarum sunt , ac illæ , quas post numerum 387. descripsimus , è mari Pernabuci allatas . Quamvis partium structura omnino cum illis conueniant , colorum tamen varietate , in omnibus constanti semper artificio disposita , discriminantur . Quæ primum locum obtinet diuiditur à tribus radijs à centro emanantibus eò magis latis , quò magis ab eo recedunt . At ubi medium Cochleam cinxerint , transuersim quasi dimidiati non progrediuntur . Eandem insuper Cochleam bifariam fecat fascia quædam mean-

dris contexta, colore, quem lacca exhibet, nitidissimo, sicuti etiam codem radij pinguntur: lineola insuper picea omnium latera comitante, quæ supra albam Cochleę testam optimè distinguitur.

**400** Malaco succo videtur imbuta hæc alia, seu vinolo, asperfa deinde liquore lacteo in guttas diuiso, quarum medietatem circulus ater circumdat. Dividitur etiam bifariant à fascia alba, & ramulosa, cuius lateri lineola anthracina adiacet.

**401** Nerita, vt Ebenus & quæ nigra, eius medietatem lacte alpersam dices, & lactea Zona in æquales partes diuisam, sicuti circa os eadem lactis albedine saturatur.

**402** Alia parùm dissimilis labello quodam, quo circa os tumescit, candida vt nix, duabus Zonis cinereis, & atris vittata, quæ pisces cutem squamosam simulat; inter eas alia interiacet eiusdem coloris, minutissimis linearum particulis composita, præbetque illi singularem distinctionis notam.

**403** Testaceum fragmentum, non Concha integra, hic appositum cernitur, in litore Perambuci inuentum, vel vndarum senientium impetu, vel casu alio hoc acciderit, utrumque sanè deplorandum, quod integrum Naturæ opus, inter cætera Biualvia primum proculdubio locum obtinens, spectare non liceat. Pretiosum illud meritò, dices non tantum eò quod in remotissimis ab Europa litoribus obtinetur, verùm quia partium compositione, & coloris præstantia, in Testaceis rarissimi, elegantissimum est. E particula hic subiecta, Lector cariose, totius integræ Conchæ structuram tibi propones, tanquam ab vngue leonem, vel ab ingenti colossi membro eius magnitudinem, sicuti in angusta Timantis tabula Poliphemi vastam molem agnoscebant, qui Satyros, ipsius membra longa arundine dimetientes, intuebantur, aut sine fabula Solis simulacri propè Rodum terræmotu prostrati ingentem mollem, cum pauci pollicem eius amplectentur: Quare hoc, inquam, Conchæ frustulm, vt de illo ait Plinius, *Iaceus quoque miraculo est*. In Peccinum genere numerandam opinor: Verum partem illam, quæ in cæteris ferè plana est, vel in radios à centro ductos diuisa, sulcis habet profundè excavatam quorum summitates rotundatæ, & in plures puluillos efformatæ, minutissimis insuper strigis signantur, ita vt non è Testacea materia, sed lineo velo molliter complicato efformatæ videantur. Balaustino, vel Sandychino saturatur colore, pars verò interna candida tegitur sandracta,

**404** Murex, quem Piscatores in mari tranquillo Americano propè Vrbem Carthaginem expiscantur, inter Testacea Animalia fortassè maximus mole, & pondere. Duos pedes aliquando æquat longitudine. Itali patria voce illum vocant *Garago Cornuto*, sed aptius alij *Muricem Alatum*; labro enim ori apposito adeò extenditur, vt illo veluti ala formetur, seu, vt verius loquar, marmoreus Thorax ad defensionem pugnantis aptissimus. Post maximum orbem ubique crispatum tuberculisque tumescerentem, veluti coronam robustorum muricum ostentat, quorum singuli trium digitorum crassitatem æquant longitudine, crispati, & in se ipsos conuoluti ramorum instar quercus, diuturna aeris inclemencia obdurata. Quò autem magis mueronis cacumini proximi sunt, eò magis breviores protuberant. Substantia valdè ponderosa, dura, & crassa formatur; quamobrem difficile creditu est, Animal longè sua mole minus testa, qua tegitur, adeò ponderosam domum valeat circumferre. Colore saturatur simili marmori Tiburtino, quem cutis crassa, aurea, & terrea in parte externa circumtegit.

**405** Pars verò interna, quæ hic exprimitur nitida veluti sandraca velatur sinensi porcellana non absimili. Ei color subest roseus, raro in testis Cochlearum generatus, quò decor illi additur, & pretium.


**406** Cochlea Indica, magnitudine, & forma omnino par illi, quam Oleariam diximus num. 9. Classis tertiae. E Margaritis compacta videtur ob argenteum nitorem, quò ubique pellucet. Cute insuper circumtegitur colore mustelino saturata, & valdè nitida. Notam distinctionis peculiarem habet in quibusdam tuberculis linea spirali supra orbes dispositis, quæ cute exuta vñiones illos dices, quos Timpana ob figuram semirotundam Artifices vocant, non quidem à Natura, sed ab Arte superadditos. Vnicam huiusmodi Cochleam oculis usurpauit inter pretiosas Excellentiss. Principis Pamphilij gemmas colligatam.

**407** Testaceorum Calycibus post numerum 320. positis in hac secunda libri huius Latina editione, Icones aliquas addimus, quibus, non quidem Naturæ noua opera representantur, sed Artis. Larvae enim sunt varijs Conchyliorum testis miro studio compactæ ad oculos æquè oblectandos, ac animum Sapientis erudiendum, qui è singulis, licet vilibus Naturæ rebus, argumenta deducit, vt earam Conditorem laudibus effterat, &

prosequatur amore. In regia crypta Versaliana spectantur, in qua signum Solis sculptrix manus simulauit, apud Thetidem, orbe peragrato, diueriantis, additis ex musuo opere ornamenti, quorum materiem Vndarum fecunditas in Conchylijs subministravit. Hæc delibasse sufficiat, dum finem hic Conchyliorum Descriptioni facimus, non Admirationi. Hæc enim continua debetur miris Naturæ operibus, in quibus etiam minimis Architectonicam artis suæ excellentiam depingit. Debetur inquam Naturæ, vt Plinius ait, *lascivienti præsertim, & in magno gaudio fertilatis tam variè ludenti.* In quingentis, & quinquaginta ferè Cochlearum Iconibus descriptis satis illa comprobatur, qua luteam massam tantummodo circumvoluendo, ita semper in spiras aptauit, vt eadem licet, diuersa tamen in singulis appareret. Quod si pari distinctione abditissimos maris thesauros altis vndis consepultos in scenam dare fas esset, tunc certè miraremur magis, & inopem nos copia faceret, & innumeris ferè admirabilioribus portentis facundia ipsa obruta remaneret.

Illis igitur ex omnibus detibatis, aliorum Narrationes equè diffusas, & obscuras propter Iconum inopiam elucidandas spero, Icones enim descriptionibus magno adiumento sunt, vt eas perlustrando summi Conditoris manus recognoscamus, ac laudemus, vt fecit Augustinus, oculis subiiciens statuam argillaceam, quam sculptor effingit, intus ligna, & paleas, foris membrorum proportionem, & elegantiam, ita concinuando,

*ut nescias, utrum in ea condenda maior sit  
UTILITATIS habita ratio, quam DECORIS;*



# PARS TERTIA.

Continens varia Problemata, Menti proposita  
In Observatione Testaceorum.

**A**ristoteles octo supra triginta Sectionibus, Problemata plusquam mille compræhendendo, nihil aliud præstitit, quam totidem Questiones proponere, circa res tam certas apud omnes, & quoad esse suum cognitas, quam incognitas humanis mentibus, & incertas. Quamobrem rationi curam demandauit earum causas perscrutandi. Vis intelligendi in homine, quæ Brutorum phantasiam longè excellit, non solum immoratur oblectamenta percipiendo ex ipsa rerum cognitione, quæ oculis obuersantur; sed rei cognitæ causam inquirit; Neque opinandi libertatem intelligentiae relinquens, onus illi imponit, intimas rei causas in medium afferendi, quadam quasi Anatome, ipsas rei fibras, & viscera perscrutando.

Iam verò quod per varia rerum genera excurrendo præsttit Aristoteles; Nos vni inhærendo, Testaceorum contemplationi præstabimus. Neque illorum irrisione timemus, qui apud antiquos irridentes nonnullis minus aptis ad magna Reipublicæ negocia administranda, dixerunt ex vulgato adagio: Omnes rerum agendarum peritiam in eis circa illud versari, ut scirent Concham diuidere; Quandoquidem earum partes rimari, fabricam examinare, originem, & causas indagare Opus est intelligentiæ associatæ sensui illas perspicienti, sed ita in eorum indagine occupatæ, ut sine sudoribus Opus expedire non possit, dum interim sensus facili negotio, aliquas eorum in partes discindit. Hinc est quod magnus Testaceorum aceruus datus aliquando in conspectum hominum, ingenio, & philosophandi arte peritissimorum, qui per imaginaria spatia volatum soliti fuerant facilime explicare abstrusis penè illationibus, illos ita non semel admiratione perstrinxit, ut Orbem nouum ingressos dixeris, & Agelastos omnes ex improuiso euasiſſe credideris, cum eorum confueta vocabula magnificis phaleris brætata ijs rebus aptari nullo pacto potuerint; obtendentes interim ignauias suæ assuetum illud velamen, quod salua conteme-

platricis Philosophiae maiestate, non debeant sese ad tam insigniā Naturae demittere, cum tamen Natura in Minimis tota sit. Qui verò veritatis fulgore afflatus perspecta rei alicuius, vel causa, vel origine, existimat se, quicquid admiratione dignum vasto Naturae sinu complectitur, depræhendisse; eamdem ipse cætenam meretur, quæ vanissimo illi Xersi debebatur, qui construxit super Hellespontum Nauali Ponte, ut ex Asia in Europam traiiceret, aureos in illum compedes iniecit, quasi in tam exiguo fredo totum sibi Oceanum subegisset.

Igitur quemadmodum nullus omnino intellectus contemplando intimè res prospicere, ita nec omni responsione indagando potest acquiescere, neque exigui luminis splendor satis est, ut clare ostendatur Quid, Cui, Quantum, Quomodo, & Quicquid aliud rei cuilibet minimæ quasi, velandæ, & obtegendiæ superfunditur. Quamuis tam Illustris in toto Mundi Theatro sit Solis fax, quid ultra in rebus, quam illarum superficiem ostendit? Occultatis interim earum fodinis, earumque visceribus. Et quamuis hæc, exhumatiæ quasi terræ visceribus, effterantur in lucem, nil aliud, quam noua rerum superficies explicatur, quæ rebus intimè latentibus velamen obtendit. Non ergo mirum, si tam exiguum lumen intelligentiæ in disquirendis causis in ipsa interminabili Mentis formatrixis abysso tenebrescat. Nullus inquam veras indaginiæ secretorum miraculorumque Naturæ pœnitus deprehendet, fortunato magis euentu, quam Nislenus ille ingeniorum Eminentissimus, qui ad hæc Naturæ miracula caligare fatetur. Hic vna cum Basilio Magno Fratre, & Sorore Macrina, doctrina non minus, quam sanctitate illustri, propositis ad admirandum potius, quam ad discutendum, huiusmodi Questionibus, quasi nodis inextricabilibus, pronunciauit: *Et hæc quidam omnia admirabilia sunt, sed quo patet fiant, nobis ignotum est.* Nihilominus sicuti temeritatis notam non effugit, qui sibi omnia scire ad blanditur, ita indignitatis incurrit, qui sibi de omnibus dubitandum adsciscit: *Quamobrem Petrarcha, utriusque vitium praestringendo, dixit.*

*Vid Ippia il Vecchiarel, che già fu oso*

*Dir: i sò tutto, e poi di nulla certo*

*Ma d'ogni cosa Archesilao dubbiozo.*

Hinc est, quod Congruentiam aliquam afferendo in ipsius causa perscrutatione, cui si Artifex opus suum conformaret, non fortuitò ipsi quasi è manibus opus excideret, est; exiguum quidem,

Orat. 3. de  
Resurrect.

Triunfo  
della Fa-  
ma c.3.

dem, sed tamen veram rei causam afferre: quandoquidem Dei sapientia, nomine Operatricis Naturæ indigitata, ad Normam exactissimæ prudentiæ omne opus examinat, omnes illos fines attentè respiciens, qui rationem omnem possunt, in ipsum opus refundere. Et cum opera omnia in eum omnino finem collimare dignoscuntur, quem sibi præscriberet Artifex sapientissimus, infertur: Mundum, & creata omnia, non ex Athonis fortuito combinatis compacta, ut volebat Democritus, sed omnia, & singula unum esse Opus intelligentiæ, ut Anaxagoras enunciauit. Quemadmodum ergò; non potero pro merito derideri, ita neque pro æquitate damnari. Si in hac euagatione simul, ac studio, varia Problemata proponendo circa Testacea, non omnia penitus, penitusque explanabo. Mihi sat erit, eas pro ratione causas dare, quæ menti occurrent, vel alijs melius ponderandas, Aristotelem imitatus, qui diuinæ quasi intelligentiæ admirationem sibi conciliat, dum in libris de Animantibus fines inuestigauit, propter quos membra singula huius, vel alterius structuræ fuerint à Natura efformata in hoc, vel illo Animali; quamvis ipsius discursus non semper è ratione, & veritate procedat, qua de causa in multis rejecitur à Galeno, præcipue in opere illo excellearissimè elaborato ad eundem Aristotelis finem, quod inscribitur de *Vsi partium*. Imò non minùs celebre nomen obtigit Aristoteli ex libro Problematum, in quo tamen negligens responsiones datas obfirmare, tales foliū adnotauit, quales sibi contempanti occurrerunt, ut eas postea ad lancem accuratiùs exigeret, quod morte preuentus præstare non potuit; quapropter vni eidemque Problemati, non semel proposito, solutiones diuersæ contradicunt.

Neque debet unquam sibi aliquis suadere inter ea, quæ, vel menti se obijciunt, vel lingua excidunt tantam consonantiam proportionis intetcedere, quanta in Musicis numeris. Consonantiam hanc sibi depositum studium ad lucernam Cleautis adlaborans in secreto cubiculi sui silentio, non animi Recreatio iuxta Maris littora euagantis. Eset hoc: mentem fatigare, non relaxare, facto tantisper à grauioribus curis diuortio. Proponendo igitur, & scribendo, Coronas quasi intexam ex floribus collectitijs, quibus pulchritudo maior, ex ipsa maiori varietate accedit; totumque earum structuræ artificium in eò situm est, ut negligenter collocati non ex arte intertexti flores apparent, & omne artificium ementiantur. Erit hoc:

**Estatat.** Illa ipsa Testacea imitari macularum varietatibus interstincta, ut marmora, Africanum antiquum referentia. His incondite sparsa macularum varietas maiorem pulchritudinem adferit, quam si fuissent illæ ex ordine distributæ: *Tale hoc præsens opus velo*, sicuti de opere suo Vetus ille Scriptor pronunciauit, qui septem libris collecta retulit, quæcumque nullo prorsus ordine enunciata, effuderat Amicorum Turba, quæ ad animum recreandum conuenerat, nempe suis in Saturnalibus Macrobius, talesque recensentur Athenæi, Cœnæ, & Plutarci Symposia.

Recreatur animus, nunc loquendo, nunc audiendo; & de suo promens, & de alieno recitans, quod ab intermisis colloquijs non aberrat; & quemadmodum in Musicis numeris, inquit Macrobius, fit concentus ex dissonis; ita ex diuersis, hinc inde iactis, & exceptis super Quæstione proposita responsis, mira oritur oblectatio, imò propter hoc, semper reliqua, responsum aliquod præ omnibus oblectat, non secus, ac palato gratior accedit unus præ alijs sapor. Hec igitur problemata in medium afferre, erit, non vana animum recreatione adsperrgere, esponendo, quæ ex paucis temporis interuallis, mens potuit negotiosa inuestigare, & quicquid ei arridet magis, in Quæstione proposita: exhibita sic alijs tacentibus opportunitate loquendi, ea proferendo, quæ in melius excogitata eorum intelligentia depromet.

## PROBLEMA I.

### De Generatione vnionum quæritur in qua Concha fiat.

**Oratione:** **Cap. 5.** **V**NIO, quamuis à Tertulliano dictus fuerit Maris electamentum, Vitium non ornamentum Concharum, totius tamen Orbis terrarum amorem vendicat sibi, atque, ut Ioannes Rhò in Examerone suo adnotauit: *quantunque col variarsi li Secoli, sian cangiati in essa i Costumi, non è mancata però della Perla la stima, à tutte le genti comune; imperoche ha non sò qual gratia, che con parole spiegar non si può, e con tacita eloquenza à gli occhi d'ogn'uno persuade: esser un bellissimo parto della Natura, e degno ornamento dell'Autore di essa.* Propter incom-

para-

## PROBLEMA I.

177

parabilem Vnustatem eligi meruit , ad Cœli Valvas , pulchritudine sua adumbrandas , quod heroica planè Gratiani Comitis Musa insimulans , cum de Conchis Genetricibus vnionum loqueretur ait :

*Hor voi del Ricco Mar Conche pregiate ,  
Che à i tesori del Ciel crescite il Vanto .*

Colof. fac.  
sext. 14.

Imò electus vnio in Symbolum illius Ciuitatis , quæ in se colligit quicquid bonitatis , & pulchritudinis potest appetere cor , inexplebilis capacitatis , potest nobis longiorum sermonum argumentum suppeditare . Alienum tamen est ab instituto meo , hic recensere , quan̄ multa multi de Vnionibus scriferint , vel per ingeniosa emblemata illorum prærogativas exprimendo , vel virtutes medicas detegendo , vel valorem ponderando , exat̄is simul ad trutinam , alijs gemmis , quæ Regum Coronis insertæ præfulgent . Contentus ego , ad litus Maris , vna cum alijs Testaceis confusè collectis vniōnem excerpere , dubium illud in examen voco , quod sibi proposuit Ambroſius à se ipso exquirens : *Vnde nam Ostreis pretiosissimam Margaritam Natura in fixerit ? Quomodo illam maris aqua in tam molli carne solidae rit ?* Et curiosus noscendi responsum , quod ipse noluit indagare contentus admiratione , profundo , deuotoque silentio Divinae Sapientis opera venerante ; mirabile illud Magisterium inquiram , quo tam venusti partus pulchritudinem effingit Natura . Atque , vt id melius exequar , Notandum est id , quod omnibus pro comperto est , atque id à quo multi discordes abscedunt , dum Originem vniōnum perquirunt . Vnanimi omnes consensione conspirant : illos esse Maris partus , quapropter Isidorus notat à Latinis *Margaritam* dici , hoc est *Maris genitam* . Verū non omnes concordant in assignanda Coneha , à qua producitur . Olaus Magnus Auctor est in Freto Orottingano multas Conchas gigni , quibus nomen inditum : *Naccheroni* . Hisque Incolas vti ad terram euoluendam , tanquam instrumentis Agriculturæ ; atque in ijs Conchis rotundos vniōnes reperiri , quamvis colore subfuscō oliuam referente . Huiusmodi Conchæ figura consimiles sunt Pinnis inter Dalmatiæ scopulos propè Corsicam Insulam , & alibi solitis procreari , & fortasse non dissimiles specie ; quandoquidem in his etiam Vniones visuntur . Prope Roeschildiam in Noruegia nascuntur intra illa Biualvia Testacea ex duabus Testis siue Conchis composita quæ Mituli à Latinis dicuntur : quemadmodum etiam in Te-

Esam. c. II,

Arod Ma  
iol. Coll.

18.

Vol. 3. p.  
368.

staceis vnica testa testis Maris Anibus nuncupatis , quòd Auriū figuram referant , aptante ijs Natura quasi per iocam , ingeniosum ornamentum illud , cuius pompam facere in auribus fœminarum luxas consueuit . Verum , hi similes que vniones , minimo sunt in pretio , cum eas in se dotes non referant , quæ in omnium existimatione , pretiosam reddunt Margaritam .

Dicuntur Margaritiferæ illæ Conchæ , quæ generant vniōnem , & quāuis nomen Conchæ Margaritiferæ ijs solūm Testaceis accommodetur , quæ ex colore , vt magnus , adnotauit Albertus , *aliquid habent de Natura Margarita* ; ex his tamen aliquæ tantum sunt Genitrices vniōnum non omnes . Colorem habet pulcherrimum Margaritiferæ Concha illa , quæ *Olearia* dicitur ex antiqua consuetudine , vtente ijs pro lucerna , & in Indiarum Orientalium Maribus nascitur numero nono descripta . Habet etiam vniōnis colorem ea Cochlea extima sui parte nigro , & albo colore vestita num. 29. & 30. expressa . Habent , & aliæ multæ , habet Nautilus speciei secundæ , sed nulla ex his fœcunda est Margaritis ; qua propter fallitur Auctor Septaliani Musæi ; cum Nautilum describens ex multis , qui in eo asseruabantur : *Vi si mira* , inquit , *una Perla ritonda , che in atto di vscirsene dalla propria Matrice , oue si generano , curiosamente si raffigura* . Debuisset potius illum , quem vniōnem dixit , existimare callum , ac tuberculum , ex abbundantia humoris genitum in interna superficie Testæ , atque hoc ex eo infertur , præter rationem , quæ se ostendet quando Nautilus describetur ex varijs vniōnum piscatibus in Maribus utriusque Emispherij fieri consuetis , vbi ex oculatis testibus , nunquam in gratiam vniōnum . Incolæ Nautilos expiscantur , imò propè Insulam , quam Iabadium appellant , è Regione prospicientem magnam Bornæi Insulam , vix notum est Vniōnis nomen ; quāuis Mare illud , fœcunda sit Nautilorum fodina . Piscatu quidem omnes inhiant cuidam Biualium speciei , quam Auctores non pauci Ostream appellant , aptato illi generali nomine Ostreorum , per quod totum id nomen accipit , quod intra asperam ex humo testam viuere consuevit ; propriè tamen sunt quædam leuiores Conchæ , figuram quasi planam , & circularem imitantes , vt videntur num. 1. Clasfe 2. & à Brasilianis exprimuntur proprio nomine illis imposito . *Etripebas* , quod sonat *Ostrem planum* . à Persis , & à Piscariæ Incolis . *Cheripo* dicuntur , Teste Boetio ,

Class. 3.

Paolo Maria Tersa  
go c. II.

& fi-

Num. 15  
Clas. 2

& fidem vocabuli mihi astruit ex ijs vnuſ , qui apud Iapones Apostolicarum Missionum munus exercent , quo vocabulo distinguuntur Ostreæ ab alia specie non absimili figura , & colore , sed Vniones nunquam generante , quam Chanquo appellant . Atque hoc abundè sit de Matre , Vniones generante . De loco , & quasi solo eorundem natali satis dictum vbi eorum linea- menta delineauimus .

## PROBLEMA II.

An Materia, ex qua Vniones formantur,  
sit Ros .

**P**er omnium fermè ora decurrit , & multiplice Emblemate expresa cernitur , antiqua opinio , quæ putat , Vnionem nihil aliud esse nisi purissimam defecati Roris stillam , sereno Cœlo , in Sinu Conchæ Matris exceptam tunc temporis , quando extremam aquam vix lambens , imò super litus egressa neglecto mari vastissimo , sibi potum præbente , orc aperto inhiat , roris guttis forbendis , quibus pretium facit , cum in Vnionem effor mat . Hinc in Emblematum stemmate dicitur : *Cœlestis filia Roris* , quemadmodum Conchæ margaritiferæ reputantur Rose puro fæcundæ .

Contendunt hoc inter Recentiores non pauci , & ante omnes Plinius vulgi opinionem sequutus , de illis scripsit : *Has ubi genitalis anni stimulauit hora , pandentes sese quadam oscitatione impleri roscido conceptu tradunt : grauidas postea eniti , partumque Concharum esse Margaritas , pro qualitate Roris accepti ; si purus influxerit , candorem conspicit , si verò turbidus , & fatum sordescere , eumdem pallere , Cœlo minante , conceptum ex eo quippe constare , Cœlique eis maiorem Societatem esse , quam Maris : inde nubilum trahi colorem , aut pro claritate matutina sere num , si tempestiuſ patientur , grandescere , & partus , si fulguret compri mi Conchas , ac pro ieiuniij modo minui . Verum ex tam multis , quæ in Curiosa hac narratione effundit , nihil nobis certi innotesceret , nisi eam ex maiore sui parte , mendacio suffultam experientia ostendisset . A veritate primò alienum est : Conchas extiniam vnuquam lambere Maris superficiem , & è maris egredi-*

Apud Phi  
lip Picci-  
nelli in  
mund simb  
lib. 6. c. 16.  
Lib. 9 c 35

sas in litus confitare . Norunt hoc Piscatores tot Maribus se-  
se immersentes , qua depresso qua eminentius profundum  
maris scrutantes, & quali tamen semper vitæ discriminé, vndarum  
flagellis expositæ, anhelitu non eructante in angustias reda-  
ctæ, voraci simorum piscium insidijs eictæ , & aquarum fri-  
gore penè constrictæ . Norunt iij præcipue , qui propè Insu-  
lam, quam dicunt Taraquil , In Occidentalibus Indijs tran-  
quillo se mari prorsus infundunt , imminente illorum capiti  
Oceano, usque ad hominis staturam , decies exactam , exiguis  
Sarcinis è collo pendentibus ad eas seruandas, funiculis duobus  
lumbos præcincti totidem faxis pendentibus ad violentiam  
vndarum, immoto corpore retinendam, ne illos loco moueat,  
dum vehementiore nisu debent incumbere , euellendis ijs à sco-  
pulis , quibus non semei altius infiguntur . Conchæ Margari-  
tiferæ non discriminantur ab Oltreis , alijsque similibus Binal-  
uibus , quibus Natura , quamvis motum partium indulserit ,  
motum tamen totius corporis progressuum interdixit, vt aduer-  
tit Scaliger à Cardano dissentiens .

Ifid Ch-  
racen de  
reb Pacific  
1.3. c. 2. a.  
pud. the  
nrum.

De subtil.  
ezere 159.

Solin c. 56  
pag. 200.

Lib. 54. c. 8.

Ex Solino, in Musæo Moscardo citato , optimè noui Con-  
chas Margaritiferas turmatim natare , prævio Duce , vt Apes ,  
quo à Piscatoribus capto , reliquæ omnes facili negotio ca-  
piuntur . Hoc ipsum ab Æliano traditur dicente : *Gregatim*  
*natant, & quemadmodum examina Duces, sic h.e Regem habent,*  
*tum forma tum pulchritudine tum magnitudine præstantem . Sum-*  
*ma autem contentione Vrinatores , certant ad capiendum*  
*gregis Ducem, quod, eo capto cunctum gregem, Rectore orbatum,*  
*non loco se mouentem affequuntur . Verum qua id ratione po-*  
*test falciri, si Conchæ oculis captæ , semper degunt in tenebris?*  
Tradunt alij propè Insulam Coromandel , ac Taprobanicam  
annuo duorum monsium pescatu , nempe Aprili , & Maio men-  
sibus, capi Conchas, quo tempore expleto , nullæ amplius in  
eo Maris fundo depræhenduntur , sed in alio plusquam trecentis  
milliaribus distito, Autumnante Septembri , inde arguentes , ex  
vno in aliud mare Conchas adnauigare . Fallax omnino argumentum;  
nempè fieri posset pescatus, toto eo Maris tractu , in-  
sequendo Retium insidijs turmas illas natantes, dum ita dicam,  
versus Regionem illam mouentut quasi in aciem dispositæ, cum  
tamen illarum capture omnem eludat industria . Rursus si  
centum dierum intercedepine vnum ab altero piseatum abrum-  
pente , transfretantes Conchæ tercentorum milliariorum iter

con-

conficerent, tria singulis diebus assignanda forent millaria, quæ in passus distributa sex supra centum viginti horis singulis attribuerent, quibus absoluendis piger illæ Cochleæ raptus impar omnino est, quamuis neque faxis abrumperetur, neque luto, in Maris imo subsidente, tardaretur. Poscent fortasse tam longum iter emetiri natando. Verum vbi necessaria ad hoc instrumenta? Videntia omnia in hoc Elemento natantia, vel Pennas habent à Natura aptatas, vt pisces, vel brachia adrepentia, vt Polipi, vel Crura, vt Crustati, vel corpore toto in longum producta, vt Anguillæ, & Murena se contorquentes, & arcuatis partium motibus se sustentantes, simulque iter emientes. Adnotauit hoc Scaliger cum contradixit Cardano in uniuersum afferenti, degere in mari videntia motus expertia. Exept. 212  
 Hac tu eruditione subtilis nomen in mari adoptus essem, inquit ille, si Cardane notasses fieri totius corporis motum, ingressus Canceris, reptione Conchis, natatu maximè parti, idque multis modis, Pinnis mugili, pedibus Polypo, curvatione Gammaris, flexu serpentibus, etiam volatu Miluo, quasi volatu Loligini, saltu Peccini. At Margaritiferæ manibus, pedibus, & pinnis mutilatæ semper inter sua septa testea inclusæ, nunquam extra illa membrum nullum extendunt aptum ne quidem leuandæ, multominus prouehendæ corporis moli, & quemadmodum in profundo Oceani degunt, ita alueis aqua plenis immersæ nunquam situm variant, cumque solùm motum efficiunt, quo ore hiantes possunt, vt alia omnia Biualua humorem ad nutrimentum attrahere. Quod ergo se subtrahant, eo ferè pacto, quo statis temporibus in alijs maribus Ostreæ, non exinde fit, quod ad alios sinus se transferant, sed quia, luto, & arena profundius immersæ, inde postea, vel naturali instinctu, & exiguo illo motu, eas prouehente paulatim Natura, vel apta maris agitatione, fundum usque maris conuolente, ex illo quasi terræ tunnulo humeris subducto emergunt quodammodo rediuiuæ. Hoc totum Maris periti diuque in illo versati Vrinatores nihil enunciarunt, qui ex observationibus præcedentium tempestatum, ab imo ad summum, mare totum euoluentium, artem didicierunt augurandi, ac diuinandi maiorem, vel minorem in Piscatu fertilitatem. Absconum igitur est posse Margaritiferas ex mari profilire, vel obrepere in litus, vt oscitantes Ros bibant è Cælo, ex quo prolein illam concipient, quæ tanto singulis in pretio est. Optauit quidem illas cernere Fabri, quasi subsolantes in Scotiæ lito.

litoribus Margaritiferas in suo mari abundè ferentibus, sed neque proprijs, neque alienis oculis datum est intueri. Et quamvis ego diligenti examine totum excusserim, non vnum è Provincia Malabarica venientem, post lustratas à multis annis Oras Piscariæ, cui à fælicissimo Vnionum piscatu nomen est inditum, nunquam ardiui visam ab eo Concham in litore ferriantem, quæ sitiret *rorem veluti Maritum cuins desiderio biant*, vt eum Solino in eundem errorem prolapso loquar. Sed pro ratione meo iudicio euidentissima est obseruatio Boetij de Boet Viri eruditissimi, & apud Rodulphum secundùm in arte Medica peritissimi. Hic cum Vniones non paucos in minuta frustula discidisset, quorum singula multis scorijs, seu membranis tenuissimis compacta erant, altera super alteram, coaceruatis, non secus, ac calcidicus Lapis, & Acates, imò, & ipsi interiores Conchæ finus, quibus geniti Vniones excipiuntur, concludit manifestum esse vnionum formationem, haud absimilem à formatione Testarum, & quemadmodum his nouum sit incrementum, & noua accretio per nouam incrustationem humoris coagulati, antequam nouus succedat humor, ita, & Vniones ipsi generatione veluti inchoati ex particula humoris inconcecti, Conchæ genitrici superfluo, illo tandem densato, & exiccato, atque altero alteri superinducto augentur. Hinc variae Vnionibus figuræ sphæricam non semper explentes quandoquidem nouus humor, qui alia superindumenta efformat, apratur corpori iam compacto, quod si in formam regularem aberret, eamdem semper figuram induit Vnio dum crecit. Hinc tanta in magnitudine Vnioni varietas pro mensura plurium paucarumue tunicarum eum vestientium. Quod si vna Roris gutta ad formandum Vnionem concurreret, nec vitali calore Conchæ Matris concoqueretur, & in alimentum minimè transformatetur, vt acutè aduertit Rondeletius, eamdem semper ferè figuram induerent, & in magnitudinem eamdem excrecerent; nempe fluidi humoris gutta semper corpori aptatur ea parte, qua tangitur, altera in globum perfectissimum afflurgente; eundem etiam Vniones omnes colorem imbuerent, cum Ros humoribus illud adulterio coloris insufficientibus misceri non consuerit. Multis verò humoribus infectæ sunt maris aquæ, quibus aluntur Margaritiferae, & Vnionibus ipsis materia suppeditatur. Indè fit, vt illorum nonnulli maiori mole commensurati, & colore aliquo impurati, quæ macularum contagia pre-

tium

Cap. ccc.

Gemmar.  
hist. I. 2.  
c. 37.

tiū illis imminuunt, in grande pretium assurgant, si artis peritia, adhibitis puluere alabastrino spiritibus vitrioli, ac tartari immisto, nounullis exterioribus tunicis exuantur, & maculis detersis, corpus reliquum Vnionis colore optimo induatur. Atque ex hac vera ratiocinatione oritur varietas colorum in vnione, non ex sympatia, quam Plinius censuit intercedere cum Cœlo tonante, vel nubilo. Occidentales vñiones, quia magis referunt colorem lactis, quam argenti, minoris semper habiti sunt, quam Orientales, & minimi, aut nullius pretij illi, qui in alijs Conchis nascuntur, liuido, & cinereo colore maculosi, aut Hist.indic  
I. 19. c. 8. ij quos nigrore fuscatos vidisse se narrat Gonsaluus de Oviedo. Et tamen super omnia Maria fulgurat Cœlum, ac tonat, & in omni angulo ipsius extat officina, ybi fulmina excudantur, quæ in vniuersa omnia terra marique degentia iacentur. Non ergo ex Rore generantur Vniones.

## PROBLEMA III.

An Vniones naſcantur ex Concharum Valuis,  
an in viſceribus Ostreorum gene-  
rentur, & an sit Morbus, an  
Partus illarum?

**V**NIONES semper gemmascere ex testis Conchyliorum, quo pacto callum ex multis partibus Animalium protuberat, existimauit Cardanus, eique subscriptis Casiendus, cui argumento est: Similitudo substantiarum cum Testis, & quod ijs multis simul infixi gemmascant. En verba ipsius: *Generari Margaritas in testa, non in carne substantia primum similitudo ostendit. Visa est etiam Margarita testa sua iuncta, & ob id testa earum, intus inaequales sunt, & paulo infra, de alijs, quas viderat loquens, omnes (inquit) veluti in cinere Castaneæ, ita in Matrici sepulta erant.*

Isidorus Caracenus, ab Athæneo relatus, de Margaritis loquens, quæ in Pinnarum Conchis generantur, dixit: *Omnes fæticare sui parte, quæ carni adhæret, & propè carnem: Vnus genitus in solida Concha parte augescit, & alitur, quandiu adnexus fuerit.*

fuerit: Cum verd abscissuram gemmam caro subnascens mollieret præsettam à Concha separauerit, amplecti quidem, & retinere se iunctam, verum nibil alcrè præterea, sed leniorem, nitidorem, puriorum effigere. Ita de Margaritiferis sentiunt nonnulli, Uniones, Ostrea lambente, paulatim à Concha se iungi, eorumque se partu exonerare, non secus, ac ouis multiplicandæ speciei opportunis. Opiniones omnes nullo quidem sunt fundamento innixæ, quandoquidem neque ex Margaritis orientar Conchæ, neque Animal haud absimile Ostreæ, quam in maribus Italiae adiacentibus videmus, linguam habet formandæ Margaritæ opportunam, quod si contingeret, nunquam reperiarentur perfectæ quasi maturitatis Margaritæ, maiores nisi à Conchis reseratae: Et tamen scimus artifices lima, & scalpro non paucos haud exigui valoris à Concha matre rescindere, easque præsertim, quæ ex altera sui parte planæ ex altera conuenæ Tympana dicuntur à Plinio, quòd bellici Tympani figuram præferant.

Relatis mox Auctoriibus è regione oppositus fuit Androstenes, quem sequitur Rondelletius; nempe in Ostreæ visceribus genitas credidit Margaritas, cum scripsit. *In carne Ostreae digni unionem, quemadmodum in suum carne grandinem.* Et ab hac opinione non alienum ostendit se Gregorius Pisidias, quamvis falsò in sua Cosmopœia enunciauerit. Margaritas esse lacris coagulati guttas. Pro validissima ratione videtur mihi esse modus Vrinatouibus consuetus ad eas ex Conchis genitribus facile subducendas. Refertur à Mattiolo modus confirmatus mihi ob oculato sàpius teste in littoribus Americanis: *Captæ, inquit ille, Margaritiferae obruuntur sale in vasis fictilibus.* Namque eroa carne, Uniones, sicut Margharitæ puræ, & expurgatae, decidunt in ima vasis tunc, quando infusa sàpius aqua Margaritæ semper in ima decidunt, & colliguntur minutissime, ac rotundæ, ut millij grana, & ferro postea absindantur illæ, quæ testis infixæ in paucissimis Conchis reperiuntur.

Oriuntur ergò ex visceribus Ostreæ uniones, neque similitudo cum testis, quam referunt, contrarium probat, nempe, ut videbimus, ad utrumque formationem eadem Artifex materia, & substantia potest concurrere, quemadmodum alijs in animantibus videmus; ex eadem substantia elaborata ossium, quamplurima, & tamen unum ex altero non enascitur, neque immediate inter se copulantur. Dum hæc scribo, magistrum mihi est experientia ad hanc veritatem fortuitò elucidandam,

quan-

Apud A.  
thenaum  
lib. 5.

quandoquidem exceptis ab Aniene flumine, propè Vrbem Romanam in Tiberim influente, nonnullis Conchis Biualibus num. 40. secundæ Classis in 4. parte expositis dum gladioli acumine Ostreæ carnem è testa conabar diuellere, animaduerti existere in ea duritiem quamdam, diligenterque scrutatus, vnde nam illa durities? inueni sepultum in carne vniōnem ea parte planum, quæ Conchæ incumbebat, rotundum in altera, argenteo-que colore pulcherrimum, omnino simili illi, qui in interna superficie Conchæ se ostentabat.

Neque id manifestat fundamentum cui Cardanus innixus est, videns vniōnes multos Conchis impositos: Nempe, vt plurimum, & quidem magnitudinis cuiuscumque, reperiuntur ab ijs seiuncti, & poslunt, vt lapides geniti in multis sinubus Animalium modò libere vagari intra corpus fluidum, quo sinus illi explentur, modò, fixa veluti statione, in interna sinus continentí superficie consistere. Videatur Bartolinus, qui eruditio-  
ne sua ad experientiam magistrām exactam id fūse ostendit. mihi abunde sat erit insinuasse, vt appareat: Non ex quacun-  
que obseruatione obfirmandum statim vt infallibile id, quod sola probabilitatis apparentia verum reputabatur, vtinam tam  
facilis eslet negotij ostendere; Num vnio sit legitima proles  
Conchæ à Natura semper intenta, an verò concepta fortuitò, ex  
parua aliqua affectione in Animali quasi segregante, non secus,  
ac in multorum visceribus ex defectu non absimili lapides ge-  
nerantur.

Cent. 4.  
obfer. 28.

Negauit Plinius docens: Partes intestinorum esse Margaritas; Verùm ex hac doctrina semper, & in omnibus Conchis reperirentur Vniones. Fabri in eam sententiam abiit, vt crederet es-  
se quamdam lepræ speciem, Margaritiferas conchas insufficientem, p. nichimi-  
vidensque eas ex Conchis afflurgere, quasi lepræ grana: *Et verè*  
(pronunciauit) *leprosa sunt, & qui semper has comedunt, & his*  
*pro cibo ordinario utuntur, verè leprosi fiunt, addens: haud esse,*  
*in controversiam vocandum, quandoquidem efformantur ex-*  
*cremento quodam, melancolia infecto, ac terreo sale pleno;*  
*qua sunt verè signa lepra.* Ad hanc opinionem roborandam,  
liceat Vormij, & Anselmi Boetij rationem in medium afferre;  
Si partus eslet Margaritiferae Vnio, dicit Anselmus, haud equi-  
dem generaretur in tam diuersis specie Conchis, & omnes Mar-  
garitiferae, emensis statis temporibus illos eniterentur, inquit  
Vormius; cum autem certò certius sit, nequè in omnibus

Conchis , neque post certa tempora emensa reperiri , quemadmodum ex alijs quamplurimis , diuerso tempore excerpuntur , consequens est : Vniones esse Morbos Concharum , non Partus . Ita lapis Bezaar , qui vt plurimum generatur in visceribus Caprearum Pernanaturum , reperitur etiam in siluestri animali Boui non absimili , quam Peruani , *Antam* vocant , imò , & in Ceruis Orientalibus Indiarum , & in plerisque Animantium generantur lapides Bezaar , & Vnionibus similes , neque in vna tantum eorum parte , vt Bezaar , sed in diuersis , ita ex Olao Borricchio nūimus : In corde Comitissæ de Louestain anno 1666. seculo fundæ , inuentos fuisse nonnullos . Ioannes Georgius Gresselius refert : ex aperta brachij vena in sene quodam plusquam septuagenario , effluxisse simul cum sanguine lapides quatuor , & in extrahendo ex foemina mortua partu reperiisse se epati alligatam bursam quandam durissimam viscoso humore plenam , atque intra illam lapidem nitrosoe substantiæ , sed nullum saporem redolentis , ita in Bouis felle aliorumque Animantium vessicis , multi lapides generantur .

A pud Bar  
colin cent  
4 obser. 18

In Musæo  
pag. 102.

Iam verò formatur vno ex eo philosophandi modo , quem tenet Vornius , inter sui Seculi medicos satis celebtes , nempe ex humore illo à Natura destinato ad formationem Testæ eiusque augmentationem , humore inquam terreo , viscoso , & separato ab humore altero , magis aqueo , qui viuenti pro alimento est , eoque propter facilem ad Coagulum duritiemque propensionem tunc , vel maximè quando humor ille , ab *animali morbo* so eructari , & expelli non potest , ac in corpore heret , ac detinetur ; quare si ibidem exicetur , rudimentum , atque initium fit Margarite ; quæ adiecto sèpius nouo humore , eoque exsciccato , cutè subinde noua augetur , ac in Vnionem abit , non secus , ac in fellis vessicula , & in urinæ vessica lapides generantur , quorum materia , quæ per urinam excernitur dum in corpore vessicæ detinetur , ibidem exsciccatur , & in lapidem abit . Hinc apparet : cur varijs tunicis induantur non vñiones solum , sed etiam Valuæ Teltaçez , quibus includuntur aliquæ lapides , qui in viuentibus generantur . Obdurations istæ etiam in ipsis corporibus fluidis coalescunt , vt apparet in constructione vitri , ac tartari in vini dolijs , concurrente ad illas insirmitate expultricis potentiaz , & concoëtricis ; quæ in Margaritiferis , vt potè exanguibus , nullius penè roboris est . Hinc in senibus , si renium calor elanguescat , facilius generantur lapides , si verò intenditur vehementior , hu-

mores , qui lapidescerent soluit , quod in omnibus salibus eliquatis accidit , qui si calidi sint non lapidescent ,

## PROBLEMA IV.

**Cur Testacea orientur potius in Mari , quam in Lacubus , & in Fluminibus .**

**P**AUCA generantur in terra Testacea ; paucissima , quæ ex aliqui lacus sinu , vel fluminis alueo colliguntur ; Ingens eorum Turba Matrem , & Nutricem agnoscit aquam Maris , quæ sicuti squamosis Exercitibus victuaria suppeditat , & innumera-biles Species Crustatorum alit , ita ferociSSIMA est cuiuscumque generis Conchyliorum ; neque hoc ex eo solùm accidit , quod Elemento illi generatiua Virtutem Deus infuderit , vt statutis temporibus Testacea eniteretur , quandoquidem eorum partus etiam edere potuisset in lucem , vbi cumque fuisset effusa vis illa generariua , quam supremus Conditor indidit Mari , *cum dixit , & facta sunt* ; voluit ille eam vim Mari inserere , ingeniosissima quadam proportione qualitatum , habitudinis , virtutisque , vt fœcundissimæ forent aquæ , eosque partus , admittente etiam Natura conciperent , conceptosque alerent , gaudentibus ijs in eo sinu viuere , & non in alio , qui fuit illis maternus pronubus , & Maritus . Vnde fit , vt si à mari nativo abstracta , in piscinam , Aquæ dulcioris transferantur quantumuis cristallinæ , quantumuis pretiosa qualitate imbutæ ex auri , vel argenti fodinis , paulò post emoriantur . Fatendum igitur est : Conchas inter , ac mare summam proportionem , & qualitatum harmoniam intercedere nobis tamen ignotam , quemadmodum ex maiori parte , ignotæ nobis sunt causæ , ac fines rerum , quæ in amplissimo Theatro Naturæ nostris oculis obseruantur .

Ad quæsiti elucidationem tres afferri possunt rationes , ex quibus poterit Lector eam sibi secernere , quæ arridebit magis , minusque à veritate recedet , vel suffragio suo omnes singulasue damnare , vt veriorcm tandem ipse depromat , atque hunc animi mei sensum in fronte cuiuscumque Problematis affixum velim , ad eam scilicet notam effugiendam , quæ iure inuritur cuicumque excogitatam aliquam rationem afferenti , quam exi-

guum lumen limitatae intelligentiae detexit , sibi interimi adulanti , quasi per eam ratiocinationem intimas rei fibras fuerit per-scrutatus , & à rebus ipsis in quæstionem vocatis , appositum à Natura sifarium subduxerit .

Sect. 14.  
prob. 7.

Primæ viam aperit Aristotelis Problema inquirentis ; Cur in calidis potius aquis , quam in frigidis lapides generentur , sibique inquirenti duplice ratione facit satis , altera deducta ex principijs Empedoclis , quia nempè lapides concrescunt defectu humoris , & quia hunc absunit calor potius , quam frigus , consequens est , ex calore potius gigni , quam ex frigore , quare dixit Empedocles : *Lapides , & saxa feruentium aquarum opera confici* , vt manifestum sit in mineralibus aquis , & calore tepentibus . Altera est eiusdem Aristotelis dicentis : vt crescant lapides , humidum prius calore liquandum esse , mox superueniente frigore coagulandum . Calor igitur , qui in mixto , & impurato aquæ Elemento resideret , humidum soluit , quod succedente frigore constrictum , abit in lapidem : Quare iunctis hisce rationibus euincitur . Lapides gigni à frigore aliquando , aliquando à calore , exsugente isto , coagulante illo humorem , superfluum ad consistentiam lapidis necessarium .

Iam verò cum Testacea ob duritiem testarum , proximò lapides affinitate contingant , vt vidimus , necessarium est in eorum coagulatione formationeque , par quasi opificium interuenire ; nempè vel calore materiam præparante ad eorum formationem , videlicet segregata materia , quæ partim abiit in substantiam viuentis , partim testam ipsam componit , supremo operi manum frigore postea imponente ; vel vi caloris obducere humorem illum eiusdem teste fabricæ accommodatum , segregato humore ad eam componendam inepto . Quando hoc totum ex adductis principijs illatum veritati consentaneum sit , probandum supereft . In mari aquarum calorem intendi magis , quam in Lacubus Fluijsque , & in eo residere causam , generatio-ni Testaceorum magis accommodam .

Sect. 14.  
prob. 7.

Duplici hoc ratione euincitur ab ipso Aristotele allata in exposita , & instituta hac super re quæstione . Calidior est , inquit ille , aquis Fluijorum Maris aqua ; primò quia cum sit densior , maiorem concipit calorem , ac seruat : secundò , quia pinguior est , ex quo sit minus apta ad flaminam restinguendam , eaque propterea Mistis omnibus similis , quæ , quò pinguiora , eò calidiora experimur .

## PROBLEMA IV.

189

Ex hoc fundamento resilit ratio secunda , cur crescant potius , ac viuant in mari Testacea; Videmus Animalia singula prouido Naturæ instinctu stimulata , pergere quæritatum ea , quæ ad proprij conseruationem individui conducunt , & è contrario se ab ijs auertere , quæ possunt ipsorummet destrunctionem accersere, sic noxio frigore perstringente, ignem appetimus, calore nos soluente , refrigerium quæritamus ; exanguia sunt Testacea , adeòque frigore summo perstricta , quam ob causam alimentum sibi querunt , & calorem soluentem . Cum ergò humidò præcipue , & calido constet mare , multo magis viuentibus alimentum præstare , quam aqua fluialis potest potuienta quidem magis, alimento tamen opportuna minus, minusque apta vita seruandæ, & generationi faciendæ, nempe nimio frigore vitalém calorem destruente .

Tertia ratio est , quia humore ad formationem Testaceorum opportuno abundat Mare , quem humorem vidimus nihil aliud esse quam mistum quoddam, cuius pars aliqua apta sit ad lapidescendum, atque obdurescendum in formatione testarum, pars verò ad abenndum in substantiam viuentis , in ipsis testis inclusi , & quamuis non ita obvium sit statuere . Num vis ista coagulatrix magna ex parte proueniat, vel ex nitro , vel ex sale, vel ex particulis lapidosis , cum humido Elementi mistis ; pro comperto tamen est etiam iudice, ac teste Experiencia his omnibus Mare affluere, non verò Flumina . Atque ex hac animaduersione originem fortè traxit Problema , quo Aristoteles indagavit cur arenis lapillisque abundet Mare magis , quam Lacus ? Rationem afferit , quia mare ventis agitatum continuò illo motu inquietum ingentia saxa in se sepulta corrodit , quæ si non semper in frusta comminuit , lambendo tamen singula, aliquam ex ijs particulam quotidie sibi decerpit , quamobrem ex ijs plurimè subsidunt in litore, alię minores , aquam semper inficientes , humorem lapidificum reddit , satis aptum generationi plurimorum vegetabilium lapidosam substantiam induentium.

## PROBLEMA V.

**Cur nascantur in Mari potius, quam  
in Terra?**

**O**strea, quæ ex Terra genita, in ea degunt, vel speciem non variant, cum notabili solum diuersitate accidentium impressa appareant, vel si plures dividuntur in Species, hæ singulares omnino sunt? omnesque nomine Cochleæ comprehenduntur, vna vel altera excepta Turbinum Generi subordinata. Reliquæ, quarum solas testas videmus Ostreis vacuas, vel in ea non generantur, ut opinantur non pauci cap. 7. primæ partis relati, vel si originem trahunt ex terra, numero sunt longè impares multitudini sub vndis maris degenti, & habitanti. Sentendum igitur est præcipua quadam ratione in mari potius, quam in terra generari. Apparebit hoc, si tertia ratio Problematis antecedentis in memoriam reuocabitur, & examinata vtriusque Elementi diuersitate perspicuum fiet in terra, nempe Elemento ex se adusto, non dari humidum in ea mensura, quæ sit Ostreorum generationi accommodata.

Secunda ratio inferri potest ex pulcherrima consonantia, in rebus omnibus ex oppositis partibus resultante, & quemadmodum ad impertiendum suis operibus pulchritudinem, Pieta non solum perspicuis coloribus telam illustrat, sed umbris etiam inficit, & obscurat, & Statuaria non omnia membra equaliter prominentia effingit, nec depresso equaliter, sic enim planam potius tabulam referrent, quam simulacrum artificis idea conceptum, ita in hoc Mundi theatro, si ubique flos omnis vernaret, autumnaret omnis fructus, omne viuens erumperet, omnia ubique inculto horrore syluescerent, atque, ut melius dicam, informe Chaos omnia confunderet. Voluit supremus Artifex Chaos mundo congenitum è mundo excludere, Lumen propterea diuisit à Tenebris, Aquas à Terra, germinantibus hinc inde partito quodam ordine terre partibus, ex quo admirabilis illa pulchritudinis consonantia resiliret, quæ non nisi à mente res omnes capaci finu complectente potuerit excogitari.

Hæc obiter insinuata sint in gratiam Aristotelis harmoniam

niam quamdam , & consonantiam obseruantis' , inter genera Testaceorum , atque Plantarum , nempè quemadmodum istæ , se habent ad terram , ita Testacea , inquit , se habent ad humorem : quasi plantæ Ostrea terrena , Ostrea Plantæ Aquatiles sint . Ut ergò ex plantis vix aliquæ generantur in mari comparatione inita , inter infinitas propemodum germinantes in terra , ita ex Testaccis vix aliqua debuerant gigni in terra , omnia fermè in mari .

Lib. 3. de  
Aui. c. 15

## PROBLEMA VI.

**C**ur multa nascantur in terra , nunquam verò in Metallis.

**D**Vbium hoc promouet Auctor Musæi , ex nobili genere , Pag 406. Calceolariorum , curatque dubium responione hac endare . Elementum aquæ , inquit ille , videtur ex æquo cum terra contendere , generando Animata quamplurima similia Terrestribus , tantaquæ operis elegantia , & felicitate , vt aliquando hominis lineamenta effingat ; atque vt est apud Bellonium , vnum semel edidit , Monacho haud absimile . Quamobrem Terra ingeniosa , quadam concertatione prouocata , debuit formas tam varias , & aquarum viuentia representare , quæ tamen longè minorem imbibunt perfectionem , quam maris viuentia , vt potè minus apta minusque fœcunda , terræ materiæ coniuncta , cum aduerso feracissimum mare , grandioris molis Animalia compingat , vt Plinius aduertit . Iam verò in Metallis , Auctor sic prosequitur , terra operari non potest , quia in illorum constructione dominatur aqua , non terra , qua de causa eorum coagulatio habetur ex frigore , ac propterea contrario calore soluuntur , vt docuit Aristoteles . Hinc est non posse in Metallis Ostrea generari .

Responione hac , in medium producta , Problema ille dis-  
soluit , cui si deberem è regione me opponere , illud solum ad-  
uerterem ; Testacea vi rationis exhibite , in Metallis potius quam in Terra generari potuisse ; nempè dominante in ijs aque Elemento , imbibitur magis in illis materia , ex qua compinguntur Testacea . Verum Lectori meo commodum faciam obser-  
van-

uandi singulare certamen rationum huiusmodi , atque interim illud vnum aduertam : Elementa dici à Philosophis , & esse necessarias causas, nulla alia prævia consultatione, ratiocinatione , atque intuitu in operum suorum molimen , & fabricam desudentes, nisi ea , qua ab Auctore Naturæ , in ijs operante , diriguntur in opus, effundente se ipsam effectus formatrice virtute , indita Elementis , quandocumque apposito impedimento non non remoueatur; quamobrem cum in vno loco non contingit generatio, quæ in alio se prodit, imputandum hoc est deficienti, vel dispositioni, vel necessariæ virtuti ; Ita prorsus in formatione Metallorum , quamuis adesset humidum sufficiens generationi Ostreatum , cum adsit exceslus frigoris coagulationem Metallorum efficientis, abest temperies ad illorum formationem necessaria . Atque hoc abunde in responsive Quæsiti .

### PROBLEMA VII.

Cur in Orientalis , vel Australis Indiarum maribus generentur in maiore copia , & coloribus magis Picturata ?

Lib. 2. sat. 4 **Q**uamuis ex Mari originem trahant Testacea , non tamen , vt Ouidius loquitur . Omne mare est generosa fertile Tertia , quemadmodum non omnis vbiique Terra vernal in floribus , neque autumnat in fructibus .

*Non omnis fert omnia Tellus  
Hic segetes , illuc veniunt felicius Vxæ .*

Vix aliqua gignuntur in nonnullis sinibus Mediterranei , alluentis Italiam , in Adriatico quamplura , quamplurima variaque in Tarentino sinu excipiuntur , & longè diuersas induunt formas colores , & magnitudinem in Rubro mari , in Insulis Philippinarum , alijsque Orientalibus plagis , in Americanis noui Regni litoribus , in Brasiliæ Oceano , & in eo mari , quod propè Lyciam Cochliusam intersecat , Insulam , quæ à magna copia Conchiliorum nomen sortita est , vt Regiones nonnullæ gemmis metallisque sunt alijs fœcundiores .

Copiosæ huius generationis Conchylierum Solem nonnulli faciunt Ait cōrcm , quandoquidem , vt iure merito à Sapientibus scientia Ilicetolis experimebatur Solis simulacrum multi bra-

brachijs, manibusque exorrectis, quasi omnia complectens, vt-potè, qui omnium generationum pronubus est, & Maritus, ita in Orientis mariibns vim illius existimarunt magis actiuam, nempe ex vicinore Solis radio citius incandescentibus, verùm falsoitatis notatur hæc ratio, nulla enim ora dici potest Orientalis, nisi ad alteram comparata, vnde eadem Regio altera comparata est Orientalis, Occidentalis verò respèctu alterius. Sic Hispaniæ Orientalis Italia est, Græciæ verò Occidentalis. Græciæ Orientalis est Persis, Indiarum autem regioni Occidentalis, itaque Regionem aliquam esse Orientalem, vel Occidentalem nihil est aliud, quam mera relatio, variabilis pro varietate terminorum, ad quos refertur, ac propterea feracitas illa Testaceorum prouenire non potest ex situ maris Orientem, vel Occidentem, respicientis.

Sed nequè ex Sole, vicinore radio efficacius operante, namque Sol eadem propinquitate omnes Maris partes respicit sub eodem latitudinis gradu collocatas, & tamen non in omnibus oriuntur Testacea, & à veritate absoluū est Orientalem, Indianam citius Sole illustrari, quam Occidentalem, quandoquidem Sole, totum Terræ globum circumeunte, dici non potest ex illius radio incalescere prius unam partem, quam alteram, nisi comparatione inita cum partibus calefactis. Sol in eadem latitudine eadem efficacitate dominatur omnibus Terræ partibus in latitudine eadem iacentibus, & Sol ille, qui nunc oritur in Hispania, quamvis paulo ante Indiarum tractus calefecerit, paucis oris exactis novo illos calore afficit, vt verè pronunciari possit: Hesperiam citius quam Indianam calefactam. Neque ex hoc capite potest Sol tribuere aliquid vni potius parti, quam alteri.

Alij altiori indagine causas perscrutati, in medium afferunt fixas stellas in ipso Zenith quasi capiti imminentes. Verùm si hoc stellæ præstarent, diurna illis vertigine se rotantibus consimilis generatio fieret in toto illo Climate, cui incumbunt, quod tamen contingere non videmus, imò accidit mihi in Adriatico litore obseruasse ex aliqua parte ad lapidis iactum fodiham quasi exurgere feracissimam Conchyliorum, eamdem speciem referentium, exindeque etiam post emensa milliaria eidem aspectui Solis obiecta, ne unum quidem inueniri, nisi fortè sublatum, ex aliquo maris sinu, & in litore à tempestate euomitum.

Dicendum igitur superest: Terræ quam alluit Mare, vbi ea generantur inditam imbibitamque esse dispositionem, ad illorum generationem opportunam. Hæc in eo præcipue sita est, quod materiam formatricem, & nutritioni accommodam gerat, quam supra insinuauimus ratiocinatione probabili esse succum quemdam, humido mistum, ac terreo, attemperante sale nitroque. Cum ergo Indiarum Oceanus illarumque præcipue, quas vulgo Orientales, & Australes dicimus sale nitroque longè copioiore inficiatur, quid mirum si ditior Testaceorum, atque feracior alijs Sinibus deprehendatur? Cur mare autem illud salsedine magis abundet, ac nitro, perquirit suis in Problematis Aristoteles, respondetque, quia cum vastissimus ille aquarum tractus Australibus ventis omnium maximè concitetur, admiscetur magis terræ particulis adustis, & salnitrofis, ac proinde falsus magis efficitur aptiorque, ut nos dicimus, ad Ostreorum generationem.

Sect. 23.  
probl. 25.

Earum de causa generantur ibi Testacea varietate maiori coloribus picturata, nempè ijs in maribus admiscentur magis, tum sales, tum mineralia diuersa paulatim abrasa in terræ visceribus tanta illa vndarum agitatione commotis; tum etiam exhalationes, ijsdem qualitatibus obnoxiae, ac proinde in ijs Regionibus magis maculosa marmora infecta coloribus consimilibus, quibus multæ Ostreorum testæ videntur adpersæ. Ita in littoribus Drepanitanis, vbi candidissimum marmor è nativa vena exciditur, & arenæ ipsæ Alabastri candorem induunt, oriuntur candidissima Testacea num. 71. Classis secundæ adumbrata. Propè Siracusas extrahuntur è mari minora illa Testacea num. 36. Clas. 3. delineata varijs conspersa maculis, vt Iaspidis, qui in illius terræ visceribus generantur.

Adde: frigidissimi temperamenti Testacea amare aquas calidiores pinguioresque, vt melius nutritantur. In mariibus autem tum Indicis, tum Meridionalibus, quæ plerumque sunt membra sinusque Oceani, minori dulcore à fluuijs conditi, qui in ea aquarum immensitate, nomen simul cum aquis deperdunt, densiores sunt aquæ, adeoque nutritiæ magis magisque calidæ.

## PROBLEMA VIII.

**Cur aliqua Testacea super Ligna facilius nascantur, quam supra Lapides?**

**I**nter species quamplurimas Testaceorum, locis affixas, vnde oriuntur, nutreri sunt Tubuli vermiculares, quibus referti visuntur, non lapides tantum, ac ligna, sed multæ etiam Ostrearum testæ scoriaque Crustatorum, oritur etiam in illis, Ostrearum species, subtilioribus valuis inclusæ, & mole minoribus, quam quæ consueto vocabulo Ostreae appellantur: Sunt, & musculi, & alia huiusmodi, quæ ut plurimum sunt Biualvia, cum vix aliqua orientur Vnivalvia, atque haec nunquam turbinata, exceptis Tubulis iam indicatis, qui tamen in gyram consueuerunt se pro libito contorquere, designata nunquam exactè spirali linea, quæ, spiris à basi ad mucronem cum proportione decrescentibus, se in seipsum retorqueat. Quid autem in causa sit, quod Turbinata Testacea non sint loco affixa, ut multa Biualvia, sed liberè vagantia alterius fortasse loci erit in examen vocare. Satis hic indagare: cur nonnulla præcipue Musculi, libentius, ut plurimum super lignum excrescant? Quamobrem in Tarentino mari piscantes in magna copia conueniunt, palis ab ipsisdem infixis enascentia, ut cap. 4. dictum est.

Nonnulli existimant: Cœlum pluere his animantibus, Rore quasi obstetricie, qui in ea solum aeris parte virtutem eorum formatricem infundat. Verum quia nunquam potuit mihi ratio euincens innotescere, propterea nunquam potui in hanc sententiam abire, ut reputem ex vniuersali causa effectum hunc prouenire. Si Testacea viuunt in aqua maris, & ibi crescunt, ergo sunt Partus maris, cum indubitatum omnibus principium ferat. Ex his quibus aliquid constat, ex his inquam, nutriti, & quemadmodum per totum mare diffusa, vagatur Virtus formativa Testaceorum, ita opinandum est: Vim horum generatiuam eidem mari congenitam; quapropter hoc præmissio, vterius ratiocinatione sic pergo: Et quia naturalis Philosophia debet manum cum natura conserere, aduerto:

antiquum esse in Natura, ex liquore aliquo; nonnullas particulas posse secerni aptas concrescere, quando conceptus ille sit vase ligneo, non verò ex alia materia conflato. Saccarum candidum cum liquefcit, nunquam gemmascit circa vas vitreum, cum tamen facile concrescat in ligneo. In Calentibus aquis celebris Balnei Aponitani, propè Patauium, exceptis ligneo canali, illas ad molendinum deferente, cernuntur lapides cresce-re circumquaque, humore illo lapidifico geniti, quem secum euehunc, atque illuc conuehunc, non tamen cernuntur vñquam excrescere circa lapides collis, qui eisdem aquis medefit. Neque hoc aliundē meo iudicio petendum est, nisi ex eo, quod cum lignum multis poris sit perium, aptis humoris excipien-do, qui in ijs subsistens concrescere incipit, hisque, partibus sic concretis, aliis humor superinduitur, qui ob ingenitam homogenitatem facilè adhæret, & per additionem partis ad partem illud corpus effingitur, quamvis fluido, & excurrenti inclusum, & quoniam in vitro, ac lapidibus non reperiuntur ea pororum receptacula, apta ad humoris sistendum, huiusmodi effectus non gignitur, qui tamen contingere si lapides essent poris peruij, quemadmodum cernuntur excrescere in mari Tartarum, & Muscum lapidosum, aliquae Alcionij non super filices, lapillosoque maximè expoliatos, sed super petras maximè sca-bras, & cauernosas.

Qua propter videor mihi, posse euincere ad formationem muscularum, aliorumque similium, cum necessarius sit humor ille subsidens in mari dispersus, subsidere illum facilè intra poros ligni, quibus retentus, alijsque qualitatibus fermentatus partum illum efformat, eo sanè pacto, quo intra cauernosas aliquorum lapidum cavitates generantur, vbi non sive animi oblectamento, ijs apertis, potui aliquos deprehendere, obtutum penè omnem effugientes.

### PROBLEMA IX.

**Cur ita Testæ obdurefcant, cum ex molli aqua generentur?**

**I**N productionibus cauarum, quæ dicuntur vniuersaliter intercedere semper dignoscitur magna inter illas, & effectus, ex ijs

ijjs emanantes , similitudo . Et monstra dicuntur illa , quæ ex potissima sui parte cum Genitrice causa non consonant : *Fortes creantur fortibus , nec imbellies progenerant Aquila columbas,* Hist. Anim. lib. 6. c. 2. s  
 inquit Horatius: At in alijs causis non vniuersis , quanta alterum ab altero discriminat dissimilitudo ! Quid vnquam maiorem induere pulchritudinem potest , quam flos ? Hic tamen ex rudi , intormi terra matre excluditur . Ex truncis , non secus , ac ossa ipsa obdurecentibus , enascuntur tenerrima folia , ex asperrimis spinetis Rosa tam suaui colore delibuta : atque ex sterquilinio alimentum attrahens Cedrus , mira suauiate torpentes spiritus excitante , & recreante , florem gignit , & fructum . Huiusmodi sunt Testacea , in liquido genita Elemento , sed ita valuis , ac testis lapidescentibus , vt videantur intra silicis viscera omnino concepta ; & quidem in illa aqua , quæ nullo vix temporis interuallo , ob inditam sibi vim tam acrem , non solum putridas reddit ingentium nauium trabes , antenasque , sed Calybes , & sera comminuit , obdurescit adeo doinus Testaceorum , vt Calybe ipsum duritie superet , si magisterio Naturæ addere quis velit artis ornamentum .

Existimarent nonnulli . Testaceis in mari corticem tene-  
 rescere quemadmodum de Ovis , inquit Plinius , mollia esse in-  
 ytero aerique exposita , obdurescere , *calore externo evaporante* ~~humorem~~ , atque hoc cautum faisse à Natura ne matrem enten-  
 tem dolore torquerent . Experientia tamen hoc esse falsum ostendit sicut falsum est Valvas Tellaceorum molles esse sub aquis . Evidem non negarem educta ex aquis , & multo magis ab Animali seiueta , duritiam aliquanto maiorem induere , non secus , ac duriora sunt viuentis cuiuscumque ossa , cum sit ex viuente cadauer , quam cum viuit ; scilicet ossa in viuenti com-  
 posita quamdiu debitum sibi augmentum non expleuerint per apertos poros , vt obseruauit Boyles , humore illo nutritivo imbuntur , qui quamuis ingressu fluidus nativo tamen temperamento disponitur ad abeundum in substantiam ossis magis , vel minus solidi , pro varietate debita partibus organicis eiusdem compositi , vel quia in humiditate carnis ossa vestientis , sepulta , nequeunt extrinseco calore penitus exsiccati , vt sit cum omni carne nudantur . Atque hoc verum esse satis ostendit experimen-  
 tum ossis recenter nudati , & in ferventi aqua per aliquod spatiū subsidentis , aqua enim postquam ebulluerit aliquan-  
 tum condensatur in gelu , extracto videlicet humore illo quo

referti erant ossis pori à vi penetratiua caloris in aqua effuscentis , qui humorem illum raritate distenderat . Duritiem hanc contrahunt multi lapides , qui in terræ visceribus tenescentes , etiam ad securis iectum facile scinduntur in partes Cœlo autem aperto expositi , adeò obdurescunt , vt omne temporis tormentum facile perferant , quamvis aliam ob causam ; cum hoc prouenire possit ex temperie aliqua aeris superinducta lapidibus , vt ferro molli , atque candenti communicat aqua .

Iam verò si Testaceorum crustæ , vt pro comperto est , ab ipsa prima formatione ingenitam habent duritiem sub aquis , existimauit Scaliger præclarum fuisse hoc inuentum Naturæ , quia parandum eis fuerant munimentum . atque hoc dicto ingerit nostris mentibus infinitæ Prouidentiaz opus fuisse , exanguibus exossibus , & inermibus Testaceis contra Piscium voracitatem casam construere , in qua abderent sele , tam valido temperamento obsfirmata , vt omnem dentis acutissimi morsum eluderent , ac deglutionis famem indigesto sibi cibo non pascerent . Quam obrem animaduersione dignum est ; duriora esse illa , quæ in fundo maris nascuntur , vel infixa sunt scopulis , quam quæ sub arenis concipiuntur , ut potè minus exposita , cæterorum animalium incurfionibus .

Centra  
Card. exer  
222.

Lib. I. c. 57

Leges autem Naturæ duritiem huiusmodi prescribentes cædem sunt , quæ alijs corporibus eam impertinet . Ex admistione perfecta , & coagulatione partium solidum corpus componentium , resultat durities , & tunc contingit coagulatio , inquit , Geber cum fit ; *Rei liquorose ad solidam substantiam per humidificationem reductio* : atque hæc , duobus modis , nempe , vel calore humidum perfectè exiccante , eo tantum relitto , quod partibus interse compingendis aptum sit , vt euenit in Porcellanis , alijsque fictilibus , in Auellanis , in Cocho , ac similibus exiccationibus , quas efficit Natura ; vel frigore humidum condensante , adstrictis viscosis partibus , vt euenit in Metallis , & gummis , cum sudantes è cortice minori calore comprimuntur , vel humidum separante , superfluo humore pœnitus expreso , vt euenit in creta humida , quæ frigore obdurescit , super inducto ipsi non semel velo humoris cuiusdam gelu constricti , & extra partes terreas , & consistentes expressi . Dixi gelu constricti , quandoquidem aqua cum non possit humiditate omnimoda spoliari , potest quidem gelu concrescere , non tamen propriè coangulari . Eodem fere pacto potest contingere durities in

Te.


Testaceis, scilicet inita tali sejunctione ab illo succo, quem  
secernit Natura ob eorum formationem, atque augmentum,  
vt Ostreum humidum sibi necessarium attrahat, abiecit parti-  
bus magis terreis ad Testam elaborandam, ita vt, vel magis  
magisque calore concoctum, vel extrinseco Elementi frigore  
condensatum, opere magis absoluto perficiatur durities, quam-  
uis inter aquas possit omnino consistere quo pacto plurimi la-  
pides consistunt, & obdurescunt in aquis.

Exiccationi huiusmodi addi potest: Ostrea ipsa paulatim  
sibi ipsis duritiem illam compingere, concoquendo non tam  
innato calore satis exangui, quam virtute quadam humiditatem  
superfluam, attrahente opportunam tamen suę nutritioni, ex  
qua separatione testæ obdurescunt magis; atque hoc opus  
tunc forte perfectè effingitur quando intra illa s̄perimenta Ani-  
malia per menses plures conclusa viuunt non alio humore,  
quam *Succo suo*, suumque dici potest id quod totis visceribus  
Animal imbibit, quodque Testæ suę communicauit in ea tam-  
diu depositum, quamdiu illud sibi resumere cogeretur. Ad  
quam rationem roborandam, accommodata satis videtur mihi  
Historia, & eiusdem ratio, quam affert inter Chimicos celebris  
Fabri.

Refert hic, nonnullas aquas, vix à fonte distractas coagu-  
lari in lapidem, aliquanto Diaphanum, & quasi alabastrinum;  
& ratio est, inquit ipse; quia his aquis admiscentur plures spi-  
ritus salis apti soluendis ijs partibus, quæ ad coagulum sunt per  
se ipsas dispositæ, quibus nativo è fonte abreptis, ijdem spi-  
ritus euaporantes facile euanescent, neque alij subministrantur,  
vt euenit in fonte, in quo perenne est illorum effluuium. Hinc  
oritur perfecta aquarum concretio in lapidem. Igitur si in  
mari ex illa portione alimenti inseruentis coagulo Testæ seun-  
gat Ostrea humorem illum salinum, & vna cum illo partes spi-  
ritosas, magis obdurescere facile poterit reliquo humor Herc-  
togeneus, Testæque consistentiam aquirere. Atque hoc extra  
controversiam videor mihi posse de ijs Testaceis enunciare,  
quibus foliosæ sunt Testæ pluribus tunicis conuestitæ; qua-  
rum altera tractu temporis alteri superinduitur, vt exactè ani-  
maduertit Dominus Steno; atque ita pluribus quasi membribus  
obvallatum, & obfirmatum crescit animatum illud Testaceorum  
muniimentum, quod in aliquibus mole minoribus, adeoque  
recenter genitis Smicroscopio exploratore didici, esse pauciori-  
Pallas.  
sparg. c. 47  
In Prod.  
de solidō  
ingra solid  
bus

bus sepiimentis contextum , in maioribus verò alijs ex pluribus tunicis corticosum , imò inter minima vix embrionem egressa obleruauit nonnulla tum materiae tenuitate , tum humiditatis excessu trasparentia , quasi omnino tenera , & humoris mucoso simillima , quo veluti velo ex omni parte distento viuentia operiuntur , & quo casa construitur tam bene in interiori sui parte , toti eorum corpori accomodata.

Aduertendum etiam est , indita esse sali virtutem impediendi perfectam concretionem , vt appareat in experientia celebri , cuius meminit Regnerus , vbi sàpissimè inquit , *salem volatillem cum sanguine permiscimus* , qui propterea fluidus remansit , quod à nullis rebus ipsi permiscendis , certius quam à salibus volatileibus expectaueris . Atque in hac suppositione ijs , quæ superius indicauimus , addi potest , facta salis separatione ab humore in testamabituro , & minorem semper consistentiam induituro , potest humor huiusmodi consistentiam lapidis fidi acquirere , dum nolò miltas sic particulis acidis aptis ad eam compingendum , sciunctis partibus spiritosis , salisque , per quas in fluiditate persistunt . Quandoquidem , vt docet David Becheus *cuncta acida rodunt* , & coagulant , coagulando verò , & ipsa coagulantur . Quod manifestè se prodit in multorum liquorum concretionibus , facilius obtentis , si ijs miscetur acetum . Atque hæc sunt solida coagula , de quibus Vvillis docuit fieri concretionem *cum corpuscula salina in subiecto quopiam latè dispersa congregari* , & inicem coniungi insciplunt ; Indèque , aut fibimetipis , aut cum terra unta ex fluida , & molli substantia duram , & compactam producunt , adferente secum ea corpuscula materia , in coagulum concrescente . Totum hoc non minori obseruatione , quam evidentia obseruavit idem Vvillis in stamine bombycis , quod vix ore egressum ita obdurescit , vt nullo neque humido , neque calido , neque sicco possit emolliri , quod tamen intra ipsa viscera glomeratum , *masham* humidam referebat , nulla sui parte consistentem .



## PROBLEMA X.

**Cur viuant Plurima immobiliter,  
faxis infixa?**

**Q**uemque Animalia, in tribus Elementis, Aeris, Terræ, & Aquæ degentia, possunt pro arbitratu singula Elementa percurrere, & de prato in pratum, de sylua in syluam, de Climate in aliud, de uno maris Sinu in alium commigrare. Regionem variant Hirundines, & Coturnices. Ex Scythia Grues in Ægyptum conuolant, atque ex gelido Thracia: Strimone Pellicani in Danubium feruntur. Ita ab Euxino Thynni in Mediterraneum tacentius enauigant, nequè vltum est animal, quod in libertate natura non posuerit solique abdomini natum, cum omnibus dictum illud possit aptari.

*Nos numerus sumus, & fruges consumere Nati.*

Possunt enim ventri indulgere, quo magis voluptas allicit, aut Soli vbertas, aut tempesties tempestatis inuitat. In solo mari Viventia reperiuntur, Vita: sensitivæ non experta, statis locis infixæ, vt notaui Aristoteles, atque huiusmodi est non una species Testaceorum, quæ infelicia videntur, vt fabulosus ille Prometheus, quia indicta ipsis à Natura quasi catena, sunt scopulis alligata. Discrepant à Turbinatis, quæ vtpotè libertate donata, quæcumque versantur intra suas Testas, & Testæ ipsæ nulli sunt loco affixæ; quia sunt ipsis Testis incarnata, quemadmodum Testæ ipsæ arctissima unione, carum substantiam continuante, sunt scopulis affixa, qua de causa argumentum præbent Ouidio, de generatione Animalium post aquas diluuij allerenti (fabuloso commento ex falsa Epicuri doctrina, deprompto) homines quoque ex Terra genitos, nempè Rustici duni sulcis aratrum infodiunt: *Versis Animalia glebis.*

Lib. I.  
Anim. e i.

*Inueniant, & in his quædam modo cepta per ipsum  
Ascendi spiritum, quædam imperfecta suisque  
Trunca vident humeris, & eodem Corpore sepè  
Altera pars vinit, rudis est pars altera Tellus.*

t. Metam.

Illam proinde proportionem referunt, quam Aristoteles

adnotauit inesse ijs , & plantis , quæ sunt semper in motu augmentationis , & sinè motu progressionis genitalibus locis infixæ . Irrrogabitur fortasse crudelitatis nota Naturæ ? quasi verò perpetuò illa vinculo obstringens , ad mendicitatem damnauerit , ex eo tantum visitantia , quod ijs casus offert , & ad sustinendos fluctuum saeuentium ictus , non apto ijs cauernoso aliquo recessu , in scopulis , quo se recipiant ; Haud equidem . Nulli enim Nouerca Natura , sed Mater , nullos fœtus suos ad omnem omnino miseriā prostituit , & prouidentiæ argumentum est quod speciem præfert crudelitatis , quandoquidem quæcumque in mari degunt , scopulis infixæ possunt intra se septa recipere , vel in circulos turbinata , ut vermiculares Tubi , numero vigesimo expressi , vel in geminas yalulas complanata , in quibus tanquam in tecto , & cubili tranquilla statione quiescunt :

Cùm autem eo solum humori nutriti debant ex quo generantur , attrahentia illum præcipue per poros corporis , promptè illum exugunt , quoties innatus appetitus ad illum attrahendum excitat phantasiam , quamobrem potius Natura præ cæteris consuluit , dum in expedito semper ijs voluit humorem ad extinguidam sitim vnicè factum , & possunt com felici illo Paltore , iam in ænum inuesto , post maculas à paupertate detersas , quas illi immerito inurant nonnulli , canere .

*Spengo la sete mia nell'onda chiara  
Che non tem'io, che di Venen, s'asperga .*

Et cum eodem .

*E questa gregia, e l'Orticel dispensa  
Cibi non compri alla mia parca Mensa :*

Ita Maris vndæ Testaceis conuiuium instruunt apparatusimum ex ijs , quæ appetunt sinè tormento sollicitudinis de cibo cogitantis , & sinè labore mensam insternendi . In hoc pari sorte felicia cum ijs pauperibus , de quibus Seneca : *Nulla sollicitudo in alto illius est* , quandoquidem contenti explere non Capuditatem , sed Naturam , cui satis est etiam parum , quemadmodum illi , nihil satis est .

Cum autem scopulis assiguntur ex hoc ipso componunt Mundi pulchritudinem , in tam grandi Naturæ Theatro , ubi in tanta varietate corporum viuentium , sensu carentium , & mobilium , sicut nonnulla sunt viuacissima , quorum quies est ; nunquam quiescere , ita hæc ordinem constituent , cuius vita est : sentire quidem , sed non loco moueri natali solo infixæ ; quod

Tass cont.  
67. stan. 10

Epist 80.

Consol ad  
H. I. c. 12.

quod sideram Cœlo affixorum prærogatiua est, nempè his in ordine suo semper manentibus, illis nunquam variantibus situm, atque ita rebus singulis in ordinem recurrentibus, & ad nutum formaticis Ideæ sele inuicem attemperantibus choræam illam ducunt, & mundi harmoniam intexunt ex diuersis, & aduersis sonis consurgentem, cum tota huius *Mundi CONCORDIA ex DISCORDIBVS constet.*

*Marc. Vii.  
ctor. pref.  
in Genes.*

## PROBLEMA XI.

**Cur nonnulla sint certo ordine striata alijs non striatis.**

**Q**uam facile est hoc Problema exponere, tam arduum est illud vera ratione euoluere, nempè humana intelligentia, nunquam occultas eorum, quæ obuia sunt causas pertingentes, quamvis ad eas scrutandas omni subtilitate se prouehat. Quæ enim unquam rationum congeries in illud poterit collimare, vt pro tam varijs Maculis, Coloribus, Situ in pellibus Animalium, in Auium pennis, in folijs florum, in Ostreorum testis, singulae rationes aptentur, singulis peculiarem rationem sibi vindicantibus? cum singulæ sunt opus intelligentiæ formaticis, singulas maculas distinguenter, non fortuita casus combinatio. Etsi casu spumas effinxit spongeia in rictu rabidi Molossi, cum desperato ab arte illius Magisterio, totam pingendi suppellestilem, colores, & Pennicillos in illum proiecit, sibi ipsi indignatus Appelles; Aduertendum tamen est euentum huiusmodi fuisse quidem fortuitum respectu hominis de illo nil cogitantis, neque illum praæordinantis, non tamen respectu Dei, à quo ita pendent omnia, vt singula sint ab eo, vel volita, vel permissa.

Animum adiecit ad rationem propositi Problematis indagandam, Cardanus, cùmque eam afferre intenderet inquit, *fit autem varietas striæ certo ordine, quoniam res parua, variata, ac misera eiiam obiter, dum æqualiter crescunt spatia, certo ordine, laborata videntur.* Sed meritò deridet illum Scaliger, qui enim hæc dicit, nihil dicit. *Siccine Cardane: arguit Scaliger. Quare manus duas habeam, causam reddis, dicendo. Quia*

*C. öt. Card  
excrc. 220.*

*manus duas infans cum baberem, sicut cum corpore creuerunt?*  
 Qui dicit adulto homini inesse manus, quia inerant etiam infanti, non rationem reddit; sed quæstionem eludit. Aliquali modo satisfacit, qui prudentem finem designat, ad quem in homine manibus dotando respexit Natura, afferendo cum Aristotele, & Augustino: dotatum hominem manibus, ut ijs tantum vniuersali instrumento ad omnium artium opera vteretur. Nec debet erubescere ignorantiam fatendo, qui plurimum effectuum causam nequit indagare. Fateri hanc Scaliger non erubuit ita cum Cardano concludens: *Hoc non est ostendere causam, cum dicatur, strias habent Buccini, quia eis ablatae non sunt.* Imò illatos omnes illos existimauit, qui illarum causam inquirunt, ut potè quæ nequeat inueniri. En ipsius ratiocinatio: *Ego verò si me causas basce, quid nesciam irrideatis, non iratus dicam. Vos omnes Philosophos subtiliores insinire. Namque partium causas cum ex utilitatibus eliciamus, quarum partium nullus usus percipi queat, haec partes, sui quoque causas nobis ignotas habent. Eiusmodi est color, leuitas, stria, splendor. Natura verò plus lusit in nostrarum mentium agitationibus, quam in striarum macularumque tum ordine, tum varietate.* Hucusque Scaliger, cui nec totum do, neque ex toto contradico, cum enim in multis Testaceis, atque ijs præcipue, quæ Pectines dicuntur uniformis appareat: & ordinata striarum deductio, quæ ex uno punto ad circumferentiam distentæ, maiorem identidem induunt crassitatem, proportionato inter se dissimilat internallo, possumus profectò hinc arguere, inditam ijs virtutem productiua formæ tam ordinate dispositæ, non secus, ac in radice, & in arbore agnoscimus virtutem ramificam ad eamdem semper proliferationem ramorum tendentem, quamvis virtutem huiusmodi magna ex parte nobis natura subduxerit.

Verum si ex propinquo dignosci non possunt individuae rerum effectrices Virtutes, non tamen impossibile nobis est: prudentem aliquem finem inuestigare Naturæ, earum structuram hoc vel illo modo architectantis. An non ita reddit, sunt Oltrea, pisium palato magis aspera, ut facilius ab eorum inuasione subriperentur? elaborante illis quasi clypeum Natura non minus fortis ad illa tuenda, quam ad oculorum oblectamentum, tam eleganti opere intertextum? Sic in tradito sibi à Venere clypeo Eneas & robur suspiciebat, & admirabile texum, An non tanta colorum, macularum, striarumque varietate,

## PROBLEMA XII.

205

tate, argumentum nobis supeditauit, illarum magisterium suspiciendi, eamque ex illa obiectationem percipiendi, quam ex tanta rerum etiam neglectarum diuersitate potest oculus, mira voluptate delibutus experiri, atque ex minimis maxima inferringendo ad maximam omnium ratiocinationem tandem pertingere, nempe vastissimam, & infinitam Dei intelligentiam, in quae res omnes primò in exemplari conceptæ, mox in lucem, & in absolutum opus prodituræ, ut infinitum eius Sapientiam enunciarent, quæ maxima semper etiam in minimis tota est, ipsius mente quasi obstetricante dum incrementum excipiunt, ut consonantiam illam, & harmoniam partium effingant, quæ tanta voluptate perfundit, contemplatores Naturæ!

Hanc sibi quisque dicendi Normam statuat, quando, vel nimia curiositate sciendi euectus, vel teneritate interrogandi prolapsus, labia silentio obsignabit, cum non poterit mens in occurrente sibi ratione conquiescere. Neque videatur hoc velum ignavia obtendere, quandoquidem hæc eloquens sit magistra, cum Creaturarum aiequi rationem non potens, ad ipsum Creatorem provehitur, atque in eo uno post errores tam varios contemplatrix consistit, non fidelis minus in assensu præstanto quam in philosophando ingeniosa, ratiocinandi motuis, ex mentis penu depromptis.

## PROBLEMA XII.

Cur vt plurimùm in extima superficie  
sint coloribus picturata.

**Q**uæsitus hoc non ita propriè instituitur de coloribus Testaceorum, vt institui etiam non possit de pennis Auium, de pellibus Animalium, de corticulis Fructuum, & quemadmodum vagatur per varia rerum genera ita communis cum reliquis est institutio de ijs philosophandi. Primò igitur notandum est colores varios plerumque per extimam superficiem excurrere, hoc est per conuexitatem Testarum. Cum apparet aliquia, ordine tessellato interstincta, aliqua vndulata, aspersa nonnulla, tantaque varietate distincta, ut tantam columbae collum non inueniat, quando; *mille trahit varios aduerso Sole,*  
*color-*

*colores.* Crassities verò , vt plurimum candidi marmoris , aut liuentis colorem refert æquabili tractu imbibitum , interna superficies , seu concamerata testudo , vel colorem non variat , vel uniformi ductu colore eodeni vestitur . Hac animaduersione præmissa , reuocandum est in memoriam quod alibi adnotauimus ; duobus modis posse colore imbui crustas Testaceorum , nempè , vel ex indita illis virtute , vel ex magisterio Naturæ , atque hoc pacto multa arborum poma Sol pingit coloribus ad maiorem , vel minorem caloris actiuitatem attemperatis , & quia inditi non sunt colores huiusmodi extimum corticem , solum inficiunt . Idem prorsus potest in mari contingere , ubi saporibus acidis commissa Alumina , vim habent , transmutandi obscurum in perspicuum , vt videri potest in rubris purpureisque coloribus . Ita sal ex calce subsidens , violaceum mutat in cæruleum , & sal ammoniacus nitrumque eundem & ipsi variant colorem ; expertus sum , ab acido aquæ ad separanda metallæ arte facta , corrosa prima membrana , quasi ex Tartaro , quam superinduunt Conchæ , quas auriculas dicunt , viridem colorem fuisse expressum . Possunt ergo Testacea , virtute qualitatum ambienti humido immistarum alterari , ac transmutari , vel in corpore toto , si humidum quo proluuntur , vel corpus ipsum coloratum eamdem tempericim imbuat ; vel colorum varietate depingi , si diuersimodè attemperentur . Eo ferè pacto papyrus aspersa aquis ex galla expressis candorem suum nihil vitiatum ostendit , cum tamen Calcantho madefacta nigris statim maculis appareat infecta .

Atque hic prætereundum non est mirabile illud inuentum nuperrimè ad me ex Gallia transmissum , cuius ignotus est Author , nempè approximato tantum liquore quodam posse quempiam nigris characteribus inscriptam legere cartham , quæ characteres aqua crystallina exaratos , omnino oculis seducebat .

Placet modum hic euulgare comparandi sibi aquas geminas in hunc mirabilem effectum adhibitas . Construitur altera ebullientibus ad lentum ignem in æquali mensura viua calce , & auripigmento ; caute tamen operi perficiendo assistendum est , ne illorum fumo caput inficiatur . Altera construitur soluto ex ignis vi letargiro in acetum distillato : liquore hoc carta conscribitur , liquore altero characteres se produnt . Huiusmodi effectus , ex varia acidorum humorem admistione resultans , potest etiam contingere ex intensiore aliqua incal-

## PROBLEMA XII.

207

scentia. Ita si fiat igitur propior papyrus inscripta characteribus, succo ex malis limonijs, aut cæpis expresso, legi poterant characteres, qui antea oculis subducebantur. Quod si iadita Virtus depingit Testacea, eodem ferè modo de illorum Testis philosophandum ex mente doctrinaque Aristotelis, ac de Auium pennis: *Nutriuntur pili penne, & cutes, inquit ille, ex alimenti excrementis, & pro horum varietate colores varij resiliunt.* Dumque obseruat Animalia, quibus varius cibus est, varios etiam colores induere, discrimen afferat inter apes, & Fucos, nempe hos præ illis magis picturatos, quia magis varius est eorum cibus.

Hoc ipsum in multis Vermibus potest deprehendi, Bruchus, qui brasticis vescitur colorem imbibit omnino viridem; è contra varie maculosis, qui ex varijs floribus alimentum dependent, & Antonio le Grand teste, Autoreque, nigrorem induunt Auium pennæ, quæ fructum delibant ex Taxo.

De Gener  
lib. 3. c. 6.

In comp.  
rer. memor  
pag. 153.

Cum igitur consuetum alimentum Testaceorum sit aqua Maris, hæc, quantumvis limpidissima, est maximè etherogenea, infecta sulphuribus, salibus, bituminibus ex sinibus diuersis, quos interfluit, collectis, diuersisque spiritibus à Terra exhalatis. Et cui nam ignota est horum diuersitas corporum? Varij coloris sunt sales, ruber memphiticus, & oxanus, purpureus in Centoripe, in Cappadocia flavius, In India, & niger, & rubeus. His humido cominiatis, & magis minusue viuentis calore concoctis plus minusue à terrena materia segregatis effici possunt diuersi generis maculae superaddita materia ad illas colorandas.

Fateor enim uero non posse hanc afferri tamquam rationem omnimodam, quandoquidem perspicuum est, Infantes geminos, eodem prorsus nutricis lacte enutritos, esse aliquando, ut moribus, ita capillamento, colore, ac lineamentis inter se maximè discrepantes, dandum tamen Philosopho est, inultum conudere ad coloreni Animalium cibos.

Vt verò appareant Testacea superficie estimata colorata stuperdum planè est Opificium Naturæ. Aduertit Beregardus apud Carolum Fracassatum in omni Animali, segregato ab excrementis alimento fieri in ijs nouam segregationem, duplicitis quasi Naturæ, altera nempe est spiritus, seu liquor acidus, altera terræ, & sicca manet, quæ corpus mortuum dicitur. Hac se ipsum exonerat Animal per secessum altera in

Epist. de  
lingua.

In Vrinam abeunte ; & Animalia quæ non possunt hoc pacto se exonerare , vt Aues , & Testacea necessitate coguntur hasce , partes spiritosas subtileisque intra sua septa continere , reiectis tamen ijs ad extimas partes ab ipsa Natura tamquam superfluis , & per easdem partes transludantibus . Ex quia ambiens aer eas condensat in Auibus detinetque , sicuti aqua in Testaceis , hinc effingitur cutis varietas , & pennarum colores varios referentium pro varietate infectionis ipsi excremento immittæ . Notandum etiam est : multa superuestiri rudi deformique amictu , quo non detracto , non apparent colores . Amictus iste in nonnullis non est indumentum natuum , vt illud , quo se serpentes excoriant , & aliqua etiam maris crustata , sed est tempore aquis lutoque superinductum . Ut autem addiscatur modus , quo circumamiciantur , placet addere experimentum magisterij consimilis , quod extra mare adnotauit Pater Kircherius : *In Vase* , inquit ille , quo vrina excipi solet exponatur seta equina , vel quid simile , ita vt à fundo , usque ad superficiem emergat eamque sic vrina expositam rel'nque , & videlicis corporiculis salinonitrosa , quæ vrinæ insunt huic setæ statim adbarere , & paullatim in magnum corticem , instar calcis friabilis excrescere , quæ in aere indurescit . Idem contingit in Palis mari intixis pro fundamento Domorum Venetijs , & inter Testacea , quæ latine dicuntur : *Vngula Asini* , quibus suprenæ parti quedam Lanugo imposita est , qua etiam Corallia vestiuntur , nonnullaque alia Testacea in quibus quandoque extra aquas obdurescit , & lapideo quodam indumento illa conuenit .

## PROBLEMA XIII.

Cur multa sint Turbinata ?

**I**NTER multas Vrinualium Testaceorum species , quæ in Mari degunt , & reperiuntur in terra , pleraque sunt turbinatae , tali spiraturum varietate , vt ijs innoluta omnis phantasia , nouas inuenire diffidat , vires suas in his intellectus amittit curiositate captus earum artificium indagandi , & Oculorum figuræ tot tantisque spiris turbinatae , causam assequendi ; Nullus est , qui ignoret , multos lapides huiusmodi figuram inducie , semper

per sibi constantem , vt euénit informatione foliorum , & in salibus cum gemmascunt . Propriam habent inter Metalla Marchesitæ, inter lapides Gemmæ, in succis Sales, in congelationibus Niues, in Metheoris Irides , sicut habent plantæ , atque Animalia, quæ quantumvis varia , figuram tamen genericam eodem sibi tenore constantem quasi propriam characteristicæ notam induunt . Illa est in oculis omnium , sed illius originem omnes ignorant . Georgius Agricola in eam sententiam abijt , vt existimauerit ex duobus potissimum causis , figuram in lapidibus deriuari . Altera ex loco in quo generantur , vt Ceræ plumbumque liquata , quibus forma exceptis , formæ similis figura induitur , quia dum congelantur , non posunt liberius excurrere , quo ea conceptus prouehebat impulsus , nempe forma ipsa , ijs obſtaculum opponente . Ita nonnulli lapides , quasi prægnantes , lapillum aliquem , vel creta , aut liquorem , ad modum globi , actum in spheras , intra viscera sua quasi foetum concludunt , qui liquor , vel obdurescens calore , vel eodem exsiccatus , & condensatus à materno lapide seiungitur , vt videmus in Auellanis nucibus , intra corticem exiccatis . Quod si liquor , seu lumen , seu succus huiusmodi tenax fuerit , lapides cit , quo pacto generatur Aetites lapis , si verò tenax non sit , abit in terram , cretosam , vt plurimum , vt videri potest in Geode . Si verò succus sit aqueus , stagnat fluctuans in ipso lapidis sinu . Et iuxta hoc principium Falloppius argumentatus ait : Turbinata terræ Testacea prouenire ex fumosa quadam exhalatione , intus conclusa exitum querente , eoque non patente , ad modum turbinis agitata , quæ dum gelascat , formam turbinatam effingit . Verum etiam si detur hoc in gratiam Falloppij , dici tamen non potest de Marinis Testaceis ; cum enim humidum sit corpus , nulla figura terminatum , non potest ea terminare , quæ in Mari perpetuo fluctuante nascuntur .

Dominus Steno diligenter perspectis varijs tunicis , quibus Ostreorum testæ construuntur , enunciat omnes primæ tunicæ exteriori suppositas fuisse in eam formam elaboratas , non quia humidum , quo concreuerunt , sic eas effingeret , sed quia accommodatas fuit loco , & continenti dum concresceret humor , ex Ostreorum poris transudans ; atque ex pluribus , vel paucioribus tunicis , inquit ille , colligi potest , quot annis vixerint . Sed quia hoc dici non potest de ultima tunica , seu membrana lapideam substantiam referente , quæ alias circumuestit existimat ,


formam illam ex Ouis progenitam , nempè Ouorum calicibus in eam abeuntibus . Huic tam diligenti Inspectori perspicacissimæ intelligentiæ , & oculi anatomicè præscrutantis , vix quidpiam opponerem , nisi me reluctantem euidentia compelleret , etiamsi ita philosophandum esset de Tunicis interioribus inter Animal ipsum , & extremam tunicam , alias omnes cooperientem ; de hac certè affirmari non posset , quod ipse docet , ne quidem de ijs Testis , quæ foliosæ non sunt , sed vnica constant tunica , ipsa marmore densiore ; quandoquidem non ab ouo , sed sponte sua oriuntur in aquis figura nunquam immutata , quam fortasse in nullo alio viuente conspicimus . Mihi contigit plures specie discrepantes in exsiccato luto , vel inter minutissimas maris arenas , deprehendere , quarum pluribus per Microscopium mole æctis maiora erant arena grana , quæ nudum oculum vix non effugiunt , & tamen hæc sub eodem Microscopio induerant magnitudinem globi , quo exonerantur Bombardæ . Aliundè ergò petenda est ratio , cur figuram huiusmodi Cochleæ sibi aptent ?

Ratio altera , quam docet Agricola est , & ex ipsa materia peti signram huiusmodi , quemadmodum ex lido lapide infrustra comminuto proueniunt fragmenta humanis ossibus omnino simillima , atque ex Trochitibus Roseæ figuram referentia . Ita docet Erasmus Bartolinus , & à Mathematica rationem petit dicens , Mathesim esse Figurarum Magistrum , ac propterea contemplatus exagonam figuram , quam in Cellis Alueariorum Apes arbitrantur , negat harum magisteriam fieri ex instinctu Naturæ , dicitque ab Apibus circularem effungi , vt potè figurarum omnium capacissimam , ac simplicissimam , adeoque semper intentam ab Apibus , quod ansam dedit Pappo Alexandrino stultè opinandi , apes ratione præditas esse , idemque Pappus affirmit obseruari , cum actu construunt in Alueari conclusæ , si hoc peruum fiat , foramina crystallo superimposita , vt hoc repagulo apium exitus impediatur , & earumdem ictus eludantur . Euidit tamen exagona figura illa , dum ex mutua compressione cedente cera , quamcumque formam facile induente , necessario ex circulis compressis resultat exagona figura . En Icone adumbratus Bartolini discursus : sit Apis in circulo A . Hæc intrexit sapius , & exitum faciens , debet eiusdem circuli partes comprimere , & qua parte compressioni obstaculum non inueniet , cedere ceram coget . Cum igitur reperiatur obstaculum

Llib. 5. coll.  
mat.

in

261



## PROBLEMA XIII.

211

in punctis D. F. vbi reliquarum cellularum circuli se tangunt, cera dabit locum ex D, & F. qua parte obstaculum nullum apponitur, nempe circa puncta I. O. Quod si in circulo Q. Apis altera premat ex eadem ratione debet se arcus extenderet, contra oppositam partem circuli A. vbi obstaculum nullum reperit, inclinabitur propterea versus I. O. atque in ijs punctis adnectetur materia, quæ circulum referebat, parique compressione adnexa, resultabit exagona figura ex necessitate, materiae obedientis impulsui, quod negavit Keplerus, vbi tractat de figura sexangula, quam nix refert, ut representat Tabula hic apposita X. Z. Verum de hoc curiosius scripserunt in Meteoris Renatus de Cartes, & Olaus Magnus in Gothoruna Historia. Dicendum igitur ratione materiae obedientis impulsui alicuius agentis figuram huiusmodi resultare. Sed non omnia sunt ex cera, neque omnia ex accidente extrinseco figuram induunt, quam referunt. Multa, imò pleraque libera nascentur, vel in humoribus, vel in aere, non aptis alia corpora terminare, cum termino ipsa careant. Aliundè igitur figuræ corporum effinguntur. Diuersas videmus inesse formas communibus Salibus, cum concreti gemmascunt, diuersas Nitro imò liquori cuiilibet, cum subsidit humore exsiccato. Sal Gemma funditur perpetuò ex frustulis grandioribus, cubicam formam ferentibus. In Antimonio obseruauit Hipocrates nasci figuram Tetragnanam, Sal indicus in figuram Pyramidalem, quadrangulam exacuitur; alumen in cubos, salnitrum in tubulos, quod tunc visitur, quando solutum est in humorem illum colatum ex stercore, quo educitur, & vocatur *maestra*, Calcantus in figuram racemosam densatur, sal ex humoris siccitate subtiles in crutias, aliquando in partes minimas farinæ minutissimæ contimiles, ut videre est in Maris littoribus lapidosis, & aliquando in duriorem substantiam, lapidi non absimilem, vehementiori igne exsiccate. Imò Vvillis non solum contendit, singulis salibus, quos Primigenios vocant, proprias figuras inesse, sed eas asserit obseruasse in omnibus Salibus ex singulis corporibus arte Spagirical extractis, induentibus singulis figuram cum subsidunt, extimatque his partibus subsidentibus indisse Deum virtutem communicandi figuram ijs corporibus, ad quorum compositionem concurrunt, vna cum spiritibus vegetabilibus: *Sunt enim, inquit ille, Sales isti Elementa veluti secunda, & ab eorum in corporibus insitione proprie, &* Determinat cap. 12.

*natiue figure rerum plurimum dependent.*

Atque, vt hic ommittam quæ plurima ad veritatem hanc obfirmandam poscent afferri, abundè erit nonnulla experimen-ta in memoriam reuocare, ex quibus euincitur, quemadmodum ab educto ignis vi ex substantia aliqua, sale fixo, seu subsidente in cineres, ita à volatili euaporante in spiritus, eamdem figuram retineri, quam antea induerat: & quoad volatilem verissimum est, illum in frigidis hyemis noctibus imponere quasi folium glaciale vitris fenestrarum, accedente humido accidental, ex virentibus ramis, igni impositis, secum exeunte, atque in illo folio, vitris superinducto imprimi ab illo sale imaginem arboris, ex cuius ramis fuit eductus. Quoad fixum verò, manifestum est, combustis herbis, vel arborum ramis, et alia que ex illis aqua sale imbibita, ex eorum cineribus extracta; si cineres hi ea aqua immisti, in aperto vase, sereno Cœlo in hyeme exposito, in glaciei superinductæ crusta apparituram figuram arboris, cuius reliquæ sunt illi cineres. Ioannes Daniel Horstius ex absynthij sale vidit natam imaginem ipsius absynthij Olaus Borrichius ex proprio sale extraxit, ostenditque eleganter expressam quamdam quasi syluulam Cupressium, & omissis quamplurimis scitu, dignissimis, sit pro omnibus celebris illa, quæ per omnium ora circumfertur, nomine Rosa Polonicae obiecta oculis celebris Quærctani, à medico quodam Polono, qui egregiè callebat artem extraendi sales, & asseruandi spiritus ex plantis expressos in vitreis ampullis diligentissime obsignatis. Hic cum quorundam rogatu vellet efficere, vt germinaret Rosa, accepto vase huiusc floris salem asseruante, Vasis fundum lucernæ admouet, vt aliquantulum intepesceret, tum tenuissimus, & impalpabilis ille cinis ex se aper-tam Rosæ speciem emittebat, quam sensim crescere, vegetari, ac formam penitus totius Rose floride umbram, ac figuram exprimere videbat. Hæc autem umbratilis figura, vase ab igne remotò, rursus in suos cineres relabebatur.

Tachenius  
in Hypo-  
crate chi-  
matico, fol. 111

Ad determinandas autem corporis naturalis figuras, hoc viritur discursu Vvillis supracitatus. Sal, & spiritus in corporibus ita se habent, ac Circinus, & norma in Mathematicis figuris delineandis in pagina. Imitatur spiritus pedem Circini, mobilem, modo circuinctum, altero in centro immobili, modo libere ductum undequaque ab Artificis manu, quo pacto ducitur stylus, coque circuitu lineæ variæ, figuræque

que diuersæ designantur. Sal è contra imitatur normam, semper immotam, & aptam terminare stylum, eumque moderari. Quapropter ubi sal dominatur spiritus, vt in vegetabilibus, ac sensitiis, varietas maior figurarum exprimitur, & ubi sal dominatur spiritibus, vt in Mineralibus salibusque, apparent corpora figuris minus varijs impressa, semperque eamdem retinentia. Inde fit ait Vvillis à Salibus per calcinationem extractis, vtpotè spiritibus destitutis, vix obtineri *Chryſtallizationem* cum subsiduut in cineres. Nitrum è contra vtpotè spiritosum facile coagulari, figuramque pyramidalem in luere, & Alumen maximè spiritosum in Octoedrum facile efformari.

Præclarissimæ sane rationes, sed minus aptæ ad obijcendam oculis mentibusque veritatem. Quandoquidem, vel figura proueniat ex Salibus, vel ex Spiritibus, recurrat argumentum, & ego vrgeo, iterum petens, cur utriusque ad illam potius figuram inclinent, ac tendant, quam ad alteram? & quid tandem sint spiritus huiusmodi; In infinitis propemodum responsis imò vocibus, audio conciamari: Alij vim Magneticam cum Kircherio illos appellant, alijs generationum idæas cum Borello, alijs formaticem virtutem cum Cabeo, alijs Agitationem spirituum, sed ignotam. Augnitus Scylla cum nouerit in humano corpore per Anathomem in partes dissesto, inuentam Chocleam perexiguam in sinistra cordis auricula, aliamque non absimilem in vessica hominis paupertimi Florentia responderem dicendo, *Video corpora membranosa, calori modo approximata colligi in se, rugas contrahere, ac facile turbinari: Hoc ipsum exstimate in ijs partibus nostri corporis, potuisse contingere, in quibus non desunt membrane, salsique humores, & colliquati, & gypsei, primisque magis magisque exciscatis nullo quasi negotio reliqua turbinantur facileque se reddunt ad similitudinem lapideæ substantia, qua caput nobis obtundunt, & vano certe conatu laboraret sequens quod assequi nunquam poterit.*

Machinatrix, & opifex est mens illa, quæ in rebus omnibus agitat molam ad intentum finem partes singulas ordinans, & quemadmodum ad imponendam basi immensam aliquam pyramidem, concurrunt rudentes multi, multæque tractoriæ machinæ, Trochlearæque, siagulis vi, & celeritate propria operantibus ad amissim; nescientibus tamen quid, cuie laborent; quippe expertibus finis residentis in mente artificis, omnia ordinant-

Lib. i de  
Artis ma-  
gnæ lucis,  
& umbras.  
De Ideis  
gen. c. i.  
obseqz.  
Metam-  
tomis.

nantis , ac disponentis , ita in constructione cuiusque corporis , seù viuentis , seù non viuentis , omnia , & singula disponit ex ordine Efficientis Causa , quamvis occulta , cui singula obtemperant , Ita nobis in re nostra phylosophandum , neque indignum Phylosopho est , aduocare Deum è machina , vt dicitur , cum rerum Causæ penitus delitescant nobis ignotæ , plenoque fidei obsequio venerari Causam illam , omnia disponentem , seque singulis pro libito impatientem , quæ ex eadem massa nouit res maximo interesse interuallo distantes effingere , nulli communicato , sui operis magisterio .

Noui Doctorem Carolum Fracassatum in prima Cathedra magistrum Melanæ docuisse : spiralem lineam fuisse ab eo obseruatam , vt necessarium principium generationis Quorum in pullis ; eadem videlicet spirali linea efformante , quoddam quasi conglobatum ex ipso Animali , quod *Galbam* vocat Arueus , sed libenter nouerim rationem , si tamen certa , & in omnibus fuit obseruatio . Nunc ad propositum satis sit enunciare : Sic voluntate primum Motorem , & proprium cuique vegetabilem spiritum indidisse , aptum ad turbinanda Testacea , atque hoc , vt inter animas corporaque ea proportio intercederet , quam adnotauit Hipocrates , nempe in viuentium efformatione hospitale domum inquilino proportionatam : architectante Natura , eo sane prudentis magisterio consilioque , vt monstra quam plurima è Mundo eliminaret . Monstrum autem esset , si generosa Leonis indeoles Quis corpus incoleret , vèl exiguus cuniculus vasta Elephantis mole obuolueretur , eodem prorsus pacto , cum Cochlea manibus pedibus , & ossibus careant , turbinatam illis domum construxit , vt se in ea contorquentes possent confistere . Quod si ijs motu progressuo dotatis necessitatem imposuit , magna sui parte , extra Testaceas Domos erumpendi , si hæ turbinatae non essent , omnis quantumvis leuis conatus , eas è Domibus illis sciungeret ; imò ijs ipsamet se se exonerarent , leui quoquis obstaculo remorante iter . Voluit igitur Mens opifex omnium , posse eas domibus suis insertas , inuolucris , & spiris , quasi brachijs manibusque eas domos complecti , ijsque tenaciter inhærcere , vt secum possent conuehere , & velentibus abdere se , eset in promptu fidei stationis recessus , quamobrem sicut de alijs omnibus , ita de Conchis possumus dicere cum Virgilio .

*Hos Natura modos primū dedit .*

Et

Et Vvillis nil amplius pro veritate potuit enunciare nisi, Sales peculiares figurationum modos à primo Conditore fuisse sortitos. Quod si vellemus dare ipsi, eiusque Sectatoribus ad res figurandas valde Sales conducere, non esset hoc à veritate aberrare dicendo posse concurrere spiritum aliquem salnitrosum, quandoquidem materia hæc ad coagulationem Testarum conductit, ut vidimus, eadem quippe ad figuram Pyramidaem tendente, qua figura, Turbinata omnia essent impressa, si possent Testæ suis ab Inuolucris explicari, suisque è spiris euolui quo vehementer imaginanti cogitantique facile se præsentabit. Quapropter Architectonico spiritui ipsis infuso, cädente sponte materia, resultat facile Testarum figura, quæ spiris suis, & inuolucris quemadmodum tutam, & quietam stationem habitoribus construunt, ita labyrinthum implicatissimam intexerunt inquirentibus causas ijsdem spiris impexas, ex cuius anfractibus tunc solum euadimus, cum prudentem finem Naturæ, ita operantis euoluimus. Quod si non ad viuentis utilitatem ita eas construxisset Natura, satis esset, fuisse illas ad rerum varietatem in tam pulchro Mundi Theatro augendas, elaboratas.


## PROBLEMA XIV.

**Cur ex Turbinatis pleraque figuram Sphœricam induant?**

**I**nter problemata Aristotelis ad mare spectantia ; illud extat ; quo disquirit. Cur lapides Conchyliaque Sphœrica euadant, responditque sibi, in causa esse maris motum quaqua versus agitati, singulasyne Testarum, & lapidum partes adimentis ; ex qua partium detractione resultat figura sphœrica ; eaque propter in littoribus plurimi depræhenduntur, qui propriam naturamque amiserunt : Quia extrema, inquit ille, compari ademptu circumfracta in rotundam se colligunt speciem. Hac enim sola simili extremo clauditur. Mare autem quaqua versus agitando pariter circumundique frangit, atque obtundit. Ratiocinationis huiusmodi fundamentum est : supponere : Res illas, quæ vndique atteruntur, acquirere figura-

Sect. 23.  
probl. 36.

ram rotundam, & carentem angulis. Verum ut fundamento huiusmodi innitatur conclusio, aduertendum est, si ab aqua agita-  
ta atteritur corpus æqualiter circumquaque, necesse esse pri-  
mævam figuram corpori remanere: pro exemplo sit cubus.



B. A.B.C.D. si aqua atterit æqualiter super-  
ficem A. B. & reliquias corporis super-  
ficies, remanebunt semper anguli su-  
perficiem terminantes; quaré variabi-  
tur nunquam figura cubica corporis,  
quamvis mole imminuti. Atque simili  
proportione philosophandum de cor-  
poribus; quibusque irregularibus, cuius-  
modi sunt arena, vt apparent Microscopio exploratæ.

Afferendum igitur, iam esse corpus rotundum: quo pos-  
to extra aleam iacit Quæstio, quæ vt subsistat dicendum:  
posse corpus multis angulis prominentibus vndarum agitatio-  
ne, ad Sphæricam figuram accedere, non quia vndequaque  
atteratur aquis, sed quia in fundo maris circumvolutum, lá-  
pillis sæpiissimè obsoito, in ijs partibus magis atteritur quæ cir-  
cumvolutioni reluctantur magis, quales sunt anguli, & partes  
relique prominentes, quibus magis, magisque consumptis, ro-  
tunda figura consurgit.

Hæc tamen omnia sunt intelligenda de Testis, & Conchis  
ab Animali seiuentis. Nam quæ viuunt, non perpetua cum  
mari circumvolutione rotantur, sed vel viuunt arenis sepulta,  
lutoque, vel adhærent faxis, ac scopulis. Notandumque,  
quamvis pleraque turbinata circularem in se figuram exprimant,  
quamvis non exactam, mirabilis sanctæ proportione minui circu-  
lis base minoribus, ac minoribus illo, cui semper habent os  
impositum usque ad culmen, quo se distendunt plus minusve  
in figuram conicam. Quapropter nulla iuuenitur Cochlea,  
quæ globum perfectum exprimat, aut exactum Cylindrum, sicut  
in Conchylijs Biualibus nulla exactum circulum exprimit.  
Addo: ea omnia Testacea huiusmodi figuris fuisse à Naturæ  
obsignata à prima eorum infantia, quod in ijs etiam depræ-  
hendi potest, quæ vix magnitudinem exæquant puncti interpun-  
gente calamo efformati; quare Sphæricum illud opus tribuen-  
dum alteri omnino est.

Existimarunt nonnulli, in eam figuram componi Testacea,  
quia Testis coagulatione humoris efformatis in mari, nulla  
for-

forma extrinseci ambientis terminato, ipsis Testaceis communicabili, sponte assumitur figura perfectior, nempe circularis, inclinante ad hoc Natura, obice illi non opposito, vt appareat in coagulatione humoris, ex quo formatur in aere grando, & perspicuum fit innumeris huiusmodi fortuitis generacionibus.

Verum non ita possumus philosophari, quia neque coagulatio humoris illius similis illis est, neque omne corpus quod in aperto campo compingitur, cernitur tali figura praeditum, atque hoc posito, euinceretur in perfectissimos globos efformanda esse Testacea. Crystallum ferè omne figura exagona concrescit, refertque Ioannes Laet, aperto Amstelodami feminæ cuiusdam cadavere è patibulo pendente anno 1518. inuentos fuisse, in fellis vessica ab Henrico Medico Florentino quatuor supra viginti lapides, eadem figuram cubicam præferentes, eamdemque magnitudinem, & colorem. In felle Ferdinandi Gonzagæ triangularis unus inuentus est, & Fabritius Bartolettus in felle mulieris, Mantua trecentos inuenit, formam ciceris, & magnitudinem referentes. Olaus Borrichius septuaginta adinuenit irregularis figuræ, vt fabas.

Sed obtundat sibi quispiam hisce lapidibus caput, eorum causam inquirens. Nos circa nostras Cochleas circumvolvamus. Contendunt multi ex Cœli motu, aut Solis earum figuram deriuare, nempe Sole spiralem lineam designante, dum ex uno in aliud Tropicum circumagit, eumdem etiam spiralem motum ijs impertiri, referentibus eamdem viam luteis corporibus, quam Sol ipse luce sua describit in Cœlo. At euim vero videntur hi mihi in ipsa tanti luminis claritate cæcutire, quam obrem non possunt in tantam illam varietatem corporum, ac figurarum obtutum defigere, quam Sol influentijs suis adsperrit. Præsidet ille, vt communis omnium Pater, & quemadmodum corpora omnia, eodem auri texto lucis conuestit, ita suorum influxuum thesauros omnibus equè aperit, ex quibus quodque sibi tantum assumit, quantum cuiusque Natura, temperieisque depositit, perficiente unoquoque in se ipso quidquid sibi indulget Natura. Et quemadmodum ros, & aqua, quibus in eodem solo flores lactantur, *alba fit in Lilijs, rubra in Rosis, in omnibus omnia*, vt eleganter Cirillus Alexandrinus, ita ex calore Solis luto impertitur vis condensandi se in Metallum, flori vivacitas ad se in folia explicandum, omnibusque corporibus

Lib. 2. de  
Lapid.

virtus ad pertingendum quo sua vnumquodque prouehit indi-  
ta à Deo propensio ; quapropter optimè pronunciauit inge-  
niosus Auctor Epistolæ ad Regiam Societatem Angliæ trans-  
missæ Augusto Anni 1669. Non in hoc solo exemplo delirant ,  
qui non promptuaria Natura , sed sua ipsorum somnia consulunt .  
Longè magis sapienter D. Augustinus non contentus in actum  
philosophicæ admirationis mentem attollere , nempè vix digi-  
to à terra asurgere , in omnibus diuini opificis manum forma-  
matricem agnouit, *qua enim vi diuina*, inquit , & *vt ita dicam*  
*effectua*, que fieri nescit, sed faceret accepit speciem, cum mundus  
ficeret, & rotunditas Cœli, & rotunditas Solis, eadem *vi diuina* ,  
& *effectua*, *qua fieri nescit*, sed facere accepit speciem rotunditas  
oculi, & rotunditas pomi .

De Civit.  
Dei lib. 13.  
c. 11.

Secc. 16.  
prob. 9.

Vt tamen vifibile opus , iuuisibilis manus Opificis Dei  
non Solis oculis fidei , sed etiam philosophantis intelligentiæ ,  
Naturas rerum arcanas ad voluptatem scruntantis, intueamur ,  
opportunum loco videtur mihi Problema Aristotelis , quo in-  
quirit . Cur partes Animalium paucioribus organis elaboratæ ,  
accedant, vt plurimum ad figuram Cylindricam, non verò Trian-  
gularem plurimue angulorum exprimendam ? Huiusmodi  
est Tibia , pedi comparata, inanui brachium , arborum rami ,  
floribus earumdem, & fructibus . Ratio , quam affert innititur  
axiomati Tarentini Architæ dicentis . Res naturales ab intrin-  
seco moueri, proportione quadam æqualitatis , nisi obex ponan-  
tur , atque hinc secundum omnes partes æqualiter crescere ,  
adeoque augeri ad circularem figuram accedendo , cuius partes  
singulæ æquæ distant à centro . Contingere hoc videmus in  
Floribus, qui quamvis numero foliorum ambitu , vel se ve-  
stientes, vel sese explicantes, fluxu liberiori, undeque excur-  
rentium , tamen eo se aptant ordine artificioè neglesto , in  
circulum se conformante . Idem dicatur de fructibus, de calamo  
in pennis, de pilis in Animantibus, & de quocumque, dante s  
in conspectum, veluti in scenam in hoc mundi Theatro .


Agnosci ergo debet principium intrinsecum , hanc sibi  
figuram determinans , atque aptans , quæ proprietatē accedat ,  
viventibus operationibus efficiendis . Operante rerum Natura ,  
ea vi virtuteque à supremo artifice impetrata, qui in earum for-  
matione optimè proportionem , & consonantiam agnouit, om-  
nia in singulis operantem . Quoniam verò pars magna Testa-  
ceorum debebat multis spiris , & inuolucris turbinari , ea pro-  
pter

pter Natura in extruenda domo, figuram rotundam selegit, vt potè omnium facillimam, ad circumrotandum, & ad se in se ipsam colligendum, vt manifestum est in retorto capreolo yitis, cucurbitæ, similiusque plantarum, quibus attente consideratis poterit vnuusquisque curiosa obseruatione deprehendere in Turbinatis, figuram omnino tres ad ea formanda concurrere, spiralem nempe, propter continuas spiras, quibus in se contorquentur. Pyramidalem, quoniam ex ore, in quo est basis, in punctum se colligunt à plano eleuatum, quamuis dissimiliter in nonnullis. In hac autem continetur circularis figura, quamuis non in omnibus perfectissima, quæ tamen appareret si possent, se tota explicare, quandoquidem appareret corpus omnino conicum, & in eo partes circuli proportionem seruantes, minori tamen semper, & minori peripheria, artificiose decrescentis,

## PROBLEMA XV.

Cur Turbinata, vt plurimum habeant Orificium Testæ ad dexteram partem conuersum?

**C**Onuoluuntur tali lege Turbinata, vt super humum reptura Orificium Testæ ad partem dexteram semper conuertant: obseruauit hoc inter recentiores Martinus Lister vbi dixit, Testas motus Solis obseruando, à sinistra dextram versus torqueri.



tum in plano Orizontali quod sit C. A. super illam spiralis linea

Tract de  
Cochleis  
bina.



Quod ut clarius fiat, obseruetur figura, in qua spiralis linea. A. B.C. supponit Cochleæ circumuolutionem. Initium hæc facit à centro. O. neque contorsio nem extendit versus C, sed versus A. & post in aliquibus pauciores, in alijs plures spiras terminum habet versus A. nunquam versus C. Fingatur itaque linea ducta per centrum spirati

non toties interfecabit ex O, ad C; quoties ex O ad A, vt pâlam fit in figura apposita. Non tamen tenore invariabili lex ista fertur in Cochleis, vt fit in Sole, quem contorquentem se diurno motu circa gemina Mundi emisphæria, obseruat quisque in Boreali Emispherio, nasci semper ex latere sinistro, & occumbere in dextero, quia videlicet partes aliquæ in contrarium situm contorquent se. In quarta obseruatione Augusti 1669. transmissa ad celebrem Accademiam, quæ inscribitur. Regia Societas Angliæ, duas species referuntur, altera similis leui Turbini, ab Aldrouando descripti, altera Auenæ grano, à nobis exposita num. 41. in ea mole, quam Microscopium oculò representauit. *Hæc denis spiris à dextera ad sinistram connoluitur*, inquit citatus Litter. Tertiam addit Fabius Columna, & Dominus Siuers Mathematicus Hamburgensis dicit: haber<sup>e</sup> in suo Musæo Cochleam quamdam cinerei coloris, quæ est inter nostras, delineata num. 316. Claf. 3. Raræ tamen reperiuntur in mari, & quia fortasse sunt abortus, monstraque Naturæ, propterea magno pretio habitæ; vide tres ego vidi, inter magni pretij gemmas, asseruari à D. Cornelio Meier Hollandico, Machinarum inuentore, qui præterito anno potuit hic Romæ se opponere Tyberis violentiæ, & fortissimo agere, quasi catena illum frænare, cum præceps irrueret ad aperendum illi noua dilaceratione sinum, non ad conuehenda trophæa, coronasque, vt olim seculis retroactis, sed vt viam nouæ stragi, quam minitabatur, insterneret. Iam verò super obseruatione huiusmodi non existimet aliquis, temerarium esse cauam inquirere. Plures rationes, ac fines adhibet, cum operatur Natura, vt pluribus fin locis Phylosophus asserit, cum nihil frustra, imò quod cuique Animalium speciei optimum est, operetur. Quod antequam exigatur ad trutinam, suppono, ex eodem Philosophero, commune esse omnibus animantibus, motum à dextera inchoare, quo iacto fundamento, sic arguo. In extruenda Turbinatis domo, debebat Natura illam tali pacto architectari, vt ad illorum motum aptissima esset structura. Ijs ergo ex Naturæ instinctu motum à dextera inchoantibus, nullum debebat ex ea parte impedimentum apponi, sed liber patere aditus, successiæ cohærens impulsu, ac motui, ac propterea debebat esse spiralis, itaut facto initio ab ipso centro dexteram versus se contorqueret, eoque ordine usque ad Orificium progrederetur, ex quo non exigua sui corporis parte,

De Test.  
pag 359.

De incessu  
Anim. c. 20

C. 221.





viuen*s* egreditur . Atque notandum hic est, ex omnibus Testaceis, quæ motu progressu incedunt, omnibus ne*m̄p̄* pedibus destitutis , moueri singula tota illa parte corporis , quam liberè è Testis expediunt , cum è contra Animalia perfecta , duabus tantum, ad summum quatuor partibus deputatis ad motum, se prouehant . Ratio ex Aristotele est, quia perfectis Animantibus motus principium inest , vnum indivisibile, cui debent omnia organa, ad motum instituta, conformari ; propterea, cum ex corde motus omnis principium trahat , organa duo supra cor collocavit Natura, quales sunt manus in homine, in Aliis Alæ , totidemque infra cor, quales sunt in cæteris Animantibus pedes . Cum ergo Testacea sint sanguinis , & cordis expertiæ , cui apta membra construantur ad motum , debet singulis eorum partibus inesse principium motus , adeoque ijs multæ partes organicae toto in corpore aptantur ad motum . Hac aptitudine, in omnes eorum partes diffusa, non mouentur singula motu eodem, sed aliquo vndanti fluxu, ut serpentes, modò ad dexteram, modò ad sinistram se conto quentes , arcuatis supra paucimenter curuationibus , ita ut parte una se prouehente sequatur alia, reliquis residuum corporis trahentibus ; alia verò, ut vermes, natu*ra* domo prorsus expedita , vel eam semper cum mouentur secum vehentia , retrocedente una parte intra aliam , quæ rursum è suo quasi recessu prodit , quando vult progredi , quo pacto in se ipsam recederet chirotheca, nunc ab imo sursum, nunc à summo deorsum, supra manam deducta, atque hoc pacto nouentur omnia Testacea, membris aliquo modo inclinatis : quod si hoc non contingeret etiam in perfectis Animantibus, motus euaderet impossibilis, ut fuzè ostendit Aristoteles. Cap 7. deinceps Ani-

Vndanti motu pleraque contorquent se ; nempe ad progredendum aptissimo . Quod, ut clari*s* elucidetur , videatur figura apposita , in qua à corpore Cochlear formatur arcus B. C. D. Enius basis est humus , supra quam mouetur . In hoc triangulo duo latera B.C. E.D. coniunctim considerata necessariò ex Euclide, maiora sunt tertio latere, seu basi B. D. quod si maiora non forent , nullus daretur progressus in motu . En ratio in promptu . Tunc solùm potest quis progredi , cum extendit partem inclinatam B.C.D. Iam verò si hæc extendens se, non excederet lineam B.D. non occuparet spatiū maius spatio à linea B.D. occupato . Non ergò se proueheret ex D. nisi ad punctum B ; sed quia manifestum est prouehere se ultra punctum B ; illæ ergò

ergò duæ lineæ maiores sunt bafi B. D. adeoque arcuante se Animali, eas describit, fixa parte B, & ad se atracta parte D. è qua consistente, extendit partem B. vt progrediatur vterius. Atque hic placet aduertere: falsum esse, spiras Cochleæ ad motum conferre, vt docet insignis nostro Äuo Scriptor, existimans ex ipsis spiris Animal vim acquirere ad motum, modo ijs in nixum, modò extra eas distentum, nempe parte, vel arcuata, vel retrocedente in se semper extra Testam extensum. Hoc euidenter cognoui, cum Cochlearum motum explorans testis prius sublatis obseruavi, nonnullas retinere in se internam figuram Testæ in membrana tenui instar vacuæ crumenæ tunc solùm plena se ipsis, qnando cessante motu in eam sese recipiebant.

Iam dictum satis de motu locali; dumque in illo potest facilè depræhendi vis illa admirabilis, quam Mechanica cognoscit in Verte, neque depræhenditur nunquam in quoniam vis ea sita sit, aduertendum illud est: nempe nobilissimi argumenti scientias corpusculum cuiusvis contemptibilis Animalculi abscondere in se.

## PROBLEMA XVI.

**Cur vix aliqua membrorum diuersitas in Testaceis appareat?**

**Q**VAM variae apparent in testis Cochleæ, tam simplices sunt in partibus componentibus corpus, in ijs absconditum. In omnibus eadem fermè Organorum dispositio, vix aliquam diuersitatem ostentat. Ipsæ verò Testæ, inter se ita dissimiles, vt vel intra eamdem speciem, nunquam dabitur, bis in eamdem incidere.

Sold. de  
Longob.

*Tanto Natura in un sembiante stessa:  
Di varie forme, hò i simulaci impresso.*

Caro illis, vtpotè exanguis, liuida, macieque quasi cadauer confecta, è contra Testæ, veluti fabulosa Lorica Äneæ à Vulcano fabrefacta.

Anibal Ca  
ro lib. 8.

*Che di sanguigna lucè, e di colori  
Diversamente accessi, era splendente.*

Ostreas

# PROBLÈMA XVI.

223

Ostreæ corpus informe male dedolatum , videtur potius Embrio, quam opus absolutum : Testæ verò eximiæ artis magisterio elaboratæ, quibus diligentissimè studio suprema manus fuit eleganter imposita , quamobrem in his Testaceorum monumentis, & armis effingendis , quibus Ostreæ peltatæ , & clypeatæ incedunt , appetet industria Naturæ longè maior illa , quam omnem Ciclopes exerere, in armis Heroi suo cudendis ex Vvlnaci Officina, vt Dea maris efflagitabat,cum diceret.

*Arma acri facienda Viro, nunc viribus vñsus,*

Eneid. I.8.

*Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistra ,*

In promptu est ratio: cur in membris vix aliquam, in Testis tantam varietatem præferant , singulas Animalis partes Architectata fuit Naturæ , ad institutas ab ijs operationes efficiendas . Atque , vt ex Doctrina Aristotelis adnotauit Magnus Albertus : ea quæ nobiliora sunt plures partes habere necesse est, quarum actiones eorum sint , & officia . Plura enim desiderant instrumenta ea , quæ plures motiones exercent . Ita homini quippe Animalium præstantissimo intelligentia ditato , quam Aristoteles, falsò tamen, particulam diuinitatis appellat , data fuerunt organa , & partes numero plures , & varietate , vt posset non solum viuere , sed bene viuere . Et quamuis non desint ignavi Censores Naturæ , qui eam quasi Nouercam existiment, nudum hominem , atque inermem , veluti proiectitum infante , omnibus destitutum , iniurijs fortunæ expositum , prostituisse; cum reliquis animantibus arma, & vestes abundè supeditauerit ; in sola manu tamen omnia homini donauit Naturæ , veluti instrumento, vt acutè Augustinus , ad opera omnia omnesque artes ab intelligentia directo . Cum ergò Testacea , vel omni motu careant , vt potè scopolis , aut humi infixa , vel vix vllum motum edant , eumque inuariabilem , quem ab origine prima, tamque patrimonium omne , secum traxerunt, nequè ab ipsa humo eleuentur magis anima , quam corpore ; propterea nullam fermè nancisci debebant diuersitatem membrorum , quæ dissimilaria dicuntur . Atque soli abdomini nata , eas tantum partes sortiri debebant ex magisterio Naturæ , quæ necessaria ad vitam cuique Animali perfectam , Aristoteles adnotauit : Guttur nempè , quo cibum capiunt , Ventrem , in quo reponunt , & concoquunt reliquo corpori impertiendum , atque intestinum, ad cibi excrementa exoneranda . Hæc autem vitæ instrumenta , quam solerti industria construxit Naturæ tam curio-

Lib. 2. de  
par Avim.  
c. 10. ar. 15

**Llib. 3. c. 11.** riosa indagine eorum diuersitas esset examinanda; Excurrat il-  
lam quis per otium fusè apud Aristotelem de partibus Anima-  
lium. Hic satis est aduertere cum eodem, planum esse eorum  
Ventrem, simplicem, expolitum, atque ut in nonnullis aubus  
excurrentem, quibus cibus humidior, ijs nempè quæ cruribus  
longioribus corpus suffulciunt sic enim possunt cibum facilius  
concoquere. Non absimile autem his est intestinum, quippe  
semper in promptu cibus ex mari, quo virunt, non erat diutius  
in visceribus retinendus ad succum Nutritioni vtilem attrahen-  
dum, nouo videlicet semper è mari suppeditato. Huiusmodi  
organum inest, & plantis radicibus, quasi ore attrahentibus ci-  
buni, alijque partibus ad exoneranda excrementa destinatis ijs  
nempè, ut vult Aristoteles, ex quibus erumpunt flores, fructus-  
que, vel melius, ex quibus distillant humores, & gummi, cum  
flores sint partus producti ad speciem propagandam. Sunt ta-  
men plantæ ventris expertes cum nempè sit terra pro ventre,  
veluti nutrix infanti, alimentum plantis ferens, & concoquens.

Testis tamen non debebatur ista simplicitas organorum, & quoad illarum formam fabricamque, sit pro ratione, destina-  
tas à Natura fuisse ad conseruationem corporum inclusorum,  
omnino ineruum. Simplicitate membrorum vita consilens  
prodigalitatis notam elusit. Simplicitate munimentorum  
in Testis damnata egestatis fuisset, ac proinde in ijs effingendis  
se vsque in luxum effudit. Cum enim Ostrea mille hostium  
incursionibus, & insidijs mille paterent in mari exposita, ea-  
tanta varietate peltata, & clypeata instruxit, alia videlicet ar-  
mata duricie, atque asperitate, alia tuberculis, & hastis, quasi  
præferratis, ad tormentum viscerum, & palati hostium insu-  
dantium, præter commune omnibus effugium receptus, cum  
natiuas latebras, intra suas Testas peterent. Quærenti autem,  
ut quid tanta in Testis accidentium varietas tanta peregrini  
coloris diuersitas? Responderem: ad eum prorsus finem, quo  
comantes Crisæ in galeis, & in Thoracibus Clypeisque fo-  
liosa ornamenta, Opere corynthio depicta ad horrorem ar-  
morum quasi temperandum. Sapienti plane consilio Ars mi-  
litaris, nempè ars moriendi, elegantiam armis ipsis indu-  
xit, deauratis telorum cuspidi, & ensium acinace, ut mor-  
tem ipsam nativo horrore exueret, atque in ipso Martis  
campo, acies instructas ostenderet, non tam ad Pugnam, quam  
ad Choræam. Tam præclari iniungi laudem, prima sibi depo-  
scit

scit Natura, quæ artem ipsam ad magisterium hoc erudiuit constructis armis, ac munimentis pro tam inermibus animantibus, tanta colorum, atque ornamentorum elegantia picturatis; elegantia tamen armorum robur nihil effeminante. Quo artificio tria præstat omnino præclara: nempè infirmis, atque infimis animantibus arma, & munimenta comparauit, oculorum oblectamenta, atque illicia abundè instruxit, in tanta colorum ornamentorumque varietate, singulaque Testacea suo quæque quasi stemmate insignita, & vestitu consimili notata, discreuit.

## PROBLEMA XVII.

## Cur careant Ossibus?

**O**ssa in omni corpore sunt multa numero: alia recta, alia transuersim locata, & arcuata, singula singulis iuncta insolubilibus ligamentis, ita tamen enodata, vt possint membra pro opportunitate curuari, & omnia ita accommodata, vt quamdam quasi trabium structuram componant, eleuantem illa, & sustentantem. Iam verò si Testacea humi semper infixa nullo motu debebant se expedire, nisi communi vermis, & insectis, reptando progradientibus, huiusmodi membrorum structuræ inutilia fuissent ossa, imò Turbinatis impedimentum attulissent, nempè contorquentibus sese, vel coarctantibus intra spiralem suam cauernam, debuit aptari corpus omnino carneum fibris vnde aquaque extentum, aptis, vel ad se reeciendum, vel ad se pro nata opportunitate distendendum. Addo: toti corporis structuræ, in vnam quasi aluum elaboratæ inepta erant ossa: scilicet ex obseruatione Philosophi, nullis animantibus venter distinguitur, nec distenditur ossibus, vt sic possit, vel attracto cibo intumescere, vel concepto fœtui domicilium insternere. Aliqua insuper ossa infixa sunt certis partibus animantium, inquit Philosophus, ad eas tutandas seruandasque, vt Costæ circumdantes Cor; cum autem ad conseruationem Testaceorum, munimentum. Natura construxerit pro Galea, Scuto, ac Thorace illis aptatum

De part.  
Avim. lib. 2  
c. 9.

ad incursum quemlibet eludendum ; ut quid ossa huic viuentium generi fabricare ?

## PROBLEMA XVIII.

**Cur sint corde orbata?**

**C**or in Animali est , veluti Sol in Mondo , nempe caloris vitaliumque spirituum officina , opera omnia efficientium , & quemadmodum antiquissimus Philolaus falso existimauit , Solem immobilem in hoc Mundi sitemate collocatum , & omnia circa ipsum in gyrum sese mouentia , vt potè ipso indigentia , ita pro veritate obseruauit Anthonus ; *inter partem , qua animalia cibum recipiunt , & inter partem , qua emittunt excrementa , medium quo ad situm esse tertiam partem , in qua est principium vite* ; cor nempe , ex quo uno trahunt omnia subsidium portionemque spirituum operationibus inferuientium ; & quemadmodum Sole sublato euaderet Mundus informe exanimaque Cadauer , ita prorsus & Viens , corde subducto .

Manifestum fit hoc in quolibet perfectò Animali , & miraculo est , ex cuiusdam pectori corde extracto , potuisse tamen illum aliquando voces edere , & alloqui Carnificem , euiscerantem . Manifestum etiam fit in insectis non parentibus sanguine , & quamvis plures in partes dissecta adhuc vivant , momentanea tamen est in ijs partibus vita , exhausto scilicet in ijs Vitalium spirituum fonte , hoc est , corde . Cochlearia tamen vivunt quamvis excordes , vt reliqua Animantia exanguia . Et quamvis Democritus existimauerit , indicum esse cor omnibus , sed oculorum obtutum pro sua paruitate effugere , omnem tamen , quamvis conatum impendat oculus Microscopij exploratoribus adiutus , ipsa etiam inuisibilia obijcentibus , nunquam poterit Cordis vestigium deprehendere , quod sane Microscopij perspicacitatem non eluderet ; quemadmodum in generatione omnium Animalium non exangium vix efformatum cor in embrione detegitur . Gur ergo vitam quasi commodatam , Ostreis excordibus induxit auara nimis Natura ?

Macrobius  
Saturn. I.  
c. 270

En

En depromptum , ex ipso sapientissimo instituto Naturæ responsum ? Cæca nunquam largitione suos in Partus sese effundit Natura, neque illis frustra Aerarij sui opes, ac Thesauros impertitur . Cæcutientis Amoris, & genij infantis est ad nullam respicientis utilitatem beneficia conferre . Præstítit hoc infantus ille Caligula , ad Romæ consulatum inaugurans suum illum equum , cui à perniciitate cursus inditum Ignei nomen est .

Non sic infant Natura eximiæ perspicacitatis in operando impertiens singulis , vel subtrahens , pro aptitudine , merito , ac dignitate eorundem . Hoc prælibato , en Philosophi ratio , cur Testaceis Cor Natura negauerit . Animalibus omnibus non exanguibus necessarium est Cor , cum enim humido fluidoque constet sanguis , indiget vasis aptis ad illum excipiendum , in quem finem elaboratæ sunt venæ , quibus in omnia corporis membra diffusis ad impertienda singulis alimenta , necessarium fuit eas omnes ex una origine , veluti riuos ex uno fonte , corriuari , nempe ex corde , ex quo tanquam ex prima scaturigine profluant omnes , & singulæ . Exanguibus ergò Testaceis , quid mirum si Cor non effinxit Natura ? Verum quidem est ad impertiendum Vitæ alimentum , humorum aliquem proportionatum necessarium esse pro sanguinis supplemento ; quamobrem in Testaceis omnibus reperitur humor ille , quem Philosophus Saniem appellat , quo pacto sunt etiam partes , Venarum vicem explentes , quas diximus Fibras . quæ Saniem , vel attrahunt ex Ventre eam primò excipiente , & aliquantulum concoquente ; vel per poros corporis ex Elemento , in quo vivunt , non secus ac arbores humorum illumibulis radicibus exugunt è terra , quæ ijs pro corde , ac ventre est , parato semper ad alimentum suppeditandum .

Lib. 3. c. 4.  
art. 1. de  
part. Ani.

## PROBLEMA XIX.

Cur sint Edentula ?

**A** Ntequam quærito respondeam , firmanda est eiusdem quæsiti suppositio ; nempe edentula esse Testacea . In contraria sententiam abidere nonnulli , Inquit Aristoteles : *Conchas*

De part.  
Anim. c. 45  
De Cochli  
pag. 516.

In Microscopie  
obs. 40.

dentibus etiam binis fulciri, ut crustata. Ita opinatur Martinus Lister & Microscopio exploratum hoc affert ex Nookio his verbis. *E superiore oris parte Cochlea eiusdem Testa contexta, officulum durum, recurvumque exenti, id mihi visum est figurari in modum dentium gingivis ordine suo dispositorum, inque plures minores maioresque dentes nigros diuidi. Verum unum solidumque officulum erat, quo eam Rosa folijs vesci ipse obseruauit, atque ex ys lunatas exiguae partes momordisse in modum littera maiuscula C. Huins autem officuli pars superior, eius inferiori, & nigriori parte multo albidior est, & minus sinuata, ad oras paulatim extenuatur in aciem, huic insuper veluti nouem dentes siue partes eminentes omnes ipso officulo medio inter se coniunctae.* En apposita, quam ipse addit figura, in qua A.B.C.D. est pars superior exurgens ex Gingiuia G. G.G. magis albicante, quam inferior N. I.K. ad modum dentium figurata incipientium ex I.I. desinentium truncatim versus K. sunt tamen coniancti, solumque dentium figuram referunt in partibus ex toto officio semicirculo aliquantulum prominentium in locis nouem I.K.


Fuit habita huiusmodi obseruatio in Cochlea terrestri, vt inquit ille, qua de causa firmari ex illa non potest vniuersalis conclusio dum in alijs aquatilibus hoc minimè reperitur. Hæc etiam sententia è regione opponitur Velschio, qui in prima Hecathostea suarum obseruationum, quas anno 1675. inscripsit Academia Curiosorum in Germania, dicit: In iuvente iniuriosè que derisum Chirurgum celebrem, quem à prima infantia per iocum vocabant Cochliodontem, quia in amicorum confessu affirmauerat: Cochleas armatas dentibus: cum, inquit ille, ipsi sensus attestentur nam Microscopij ope, non istis modo (nempe Cochleis) & similibus insectis, sed etiam locustis, gryllis, alijsque suis dentium ordines esse, luculentissime appareat. Sed quam facile errare potuerit, si tamen ipse obseruauit, error alter ostendet in hoc ipso, cum obseruationem suam obfirmare intenderet, auctoritate Aetij inter Græcos Medicos non ignobilis. De dentibus etiam Ostreorum (sunt eius verba) iam olim quedam obiter Aetius recensuit; sed nos uberioris in Teotomicis nostris differemus. Quandoquidem euoluenti mihi quidquid indicatus Auctor operibus suis complexus est, occurrit in ipso indice legere. Dentes Ostreorum, sed paulo post locum indigitatum percurrens, legi: *Dentes Ostreorum testa illustrat, velvetum testis, etiam Buccinorum. & Purpurarum, non solun vi extorsoria; sed etiam*

Obserunt.  
Phisicmed  
obser. 67.

Ibid.

Medie cō-  
tract. ser. a.  
de Osteo-

~26



*Viam substantie aptitudine . Neque vlo pacto Testacea dentibus armata contendit , sed ad aliorum dentes illusrandos , & maculis detergendos opportunam esse illorum Testam combustam , & redactam in puluerem . Hinc , nescio , quo pacto ante Velschium potuerit Ionstonus pro veritate idem enunciare ; cō vel maximè , quòd in Veritatis testem , textum Aristotelis exibet , vbi Testacea , inquit , *nutriuntur more plantarum per poros , & quidem humore dulci .**

De exang.  
aquat. 1.3.  
tit. hist.  
Animal. 8.  
cap. 1.  
lib. 2. de  
gener. c. 4.

Atque vt probationes expediamus . Dentes , inquit Aristotleles , generantur , & augentur alimento eodem , ex quo ossa , & nascuntur , non ex cute , sed ex ossibus , & habent Naturam ossium , vt patet ex eo , quia sequuntur colorem ossium . Hinc Æthiopes candicant dentibus , quia ossa sunt candida : Testaceis ergò ex ossibus , neque ad ossa compingenda præparato ijs alimento , sequitur de con equenti illa cne Eocntula . Secundò , quia magna copia materiae pro Testis suppeditanda , nulla pro dentibus supereft , vt videre est in Cornigeris Animantibus , ex parte superiore edentulis ; nempe vtente Natura alimento , ad cornua efformanda . Ita mirabilis ille Piscis nonnisi magno labore , & industria raro admodum captus in glaciali Noruegiæ Oceano , quem in suo Musæo Vormius describit ; est , ore omnino edentulus , ex cuius parte superiori erumpit os durissimæ candidissimæque substantiæ , ex æquo cum ebure contendentis , in hastam veluti cuspidatain ad longitudinem palmarum decem productum , vt cernitur in duobus illis pulcherrimis in Villa Phamphiliana propè S. Pancratium ab Excellentiss. Principe Romæ asseruatis , & in alio in Musæo Eminentissimi Ghisi Principis Romæ . Tertiò probatur . Quia dentibus instructa fuere Animantia nomilla , vel tamquam armis ad pugnam , vel tamquam instrumento ad voces enucleandas ; alia ad cibum atterendum , & digestioni præparandum . Testaceis verò , vt plurimum , attrahentibus per poros nutrimentum , *more plantarum* , nempe humorem in quo viuunt , otiosi dentes forent ad nutritionem .

In hanc rem singularis omnino est Victoria , quam retulit Cochlea ex Serpente ; cum sentiens se dentibus illius inuadi , illico intra sua Testæ sepimenta subducens sese , traxit secum serpentis caput , vi adacti ad mortem in eo carcere subeundam , propterea concelebrata carmine recentioris Scriptoris , post illam Victo-

Victoriam, illudque certamen Epigrammate eleganter expressum  
sic concludentis.

Hipolitus  
Graffetti  
Liepigi SS.

*Rideo Parthorum ingenium, si Cochlea inermis  
Sola hostem didicit contumulare fuga.*

## PROBLEMA XX.

**Cur Fel, Iecur, & Lienem Testaceis negauerit Natura?**

**D**atum est Animali Hepar ad attrahendam ex cibo in stomacho concocto partem, ad alendum ipsum Animali aptiorem, & antequam distribuat illum per membra, debet in quatuor humores partiri, nempe in sanguinem, flauabilem, flegma, & bilem atram. Ex parte magis terrea, hæc gignitur, quemadmodum ex parte magis calida, & subtili flaua bilis ex frigidiori flegma ex magis temperata sanguis ipse. Utque fiat hic aptior ad nutritionem depuratur huiusmodi humoribus attracta à Liene atra Bili, flaua à felle, à venis vna cum sanguine pituita ad humectandum opportuna, si quando nimium exsiccaretur. Quia vero Testacea nutriuntur, ut plantæ humorini, quasi plenè incoctum attrahentes, & aptum, ut conuertatur in substantiam viuentis, quin transformetur in sanguinem, ad alimentum viuenti præstandum: Hinc Natura hisce membris frustra instruxisset Testacea. Et qui vellet curiosius hanc proportionis constantiam inter plantas, atque Testacea examinare, obseruet incomparabilem illam Anathomem, quam vulgavit longum studium, studiosaque diligentia Doctoris Malpighi, & agnoscere poterit quam bene sibi respondeant in alimento suscipiendo, animaduertens in summa simplicitate partium exquisitam organorum distributionem fibrarum, nervorum, canaliculorum ad fugendum, concoquendum, ac distribuendum alimentum, eamque ex hac animaduersione oblectationem percipiet, qua delibutum se fentit clarissimus Thomas Bartolinus; cum ea percepta scriptum reliquit: *In Plantis* quamvis primo aspetto simplicissimo, reuera tracheæ sunt, & aeris 1675 n.9, inseruiunt, alia itidem Vasa, que deferendo alimento, & alia que exco-

Acta Ha-  
bi. 2n.

1675 n.9.

## PROBLEMA XXI.

231

*excoquendo: quarta denique quæ peculiari succo colligendo inser-  
uiunt, ut taceam illa quæ superflua excludunt.*

## PROBLEMA XXI.

**Cur Testacea, quæ os non habent, attamen  
nutriantur?**

**Q**uestum hoc ad multa Viuentium Genera extenditur, nem-  
tamen Natura modum suppeditauit ad alimentum attrahen-  
dum, & ad membra singula deterendum. Communis propterea  
omnibus responsio aptabitur. Quenadmodum ergo Arbores  
sugunt è terra, vel ex aqua humorem nutrituum Vitæ, per po-  
ros radicum, sic Testacea illa quibus negatum os fuit, conue-  
niunt cum plantis, quæ propterea Plantanimalia appellat Phi-  
losophus. Atque hic notandum: Inter Testacea sola Biualvia,  
parte hac corporis priuata esse à Natura tamquam superflua,  
nempè quia alimentum captura erant ex Elemento, in quo na-  
scuntur, sat erat in hunc modum attrahere. Os autem à turbina-  
tis plerumque habetur; Vnde possunt præter aqueum hu-  
morem, alium etiam cibum attrahere: Sic vescuntur carnibus  
purpuræ; piscium audiissimi sunt Turbines dicti Garagoi ad  
escam piscium hamo captati, alia lutum amant, vt Ballani,  
de quibus alibi scripsimus; Marini Echini pisciculis, & ver-  
miculis oblectantur, ex fundo maris expiscatis, Quapropter  
notauit Aristoteles, os ijs infixum extremæ corporis parti *ex-  
istum autem excrementi in parte suprema*. Cum hæc ex aduerso  
semper ori opponatur. Veram tamen est exiguo ea cibo indi-  
gere, vt potè exanguia, & idcirco frigidissimi temperamen-  
ti, quasi spiritibus destituti. Et quamvis in solùm Ventrem,  
& Guttur fuerit ijs corpo is moles aptata, non tamen sunt  
voracia, imò paucis, quæ sorbent contenta, nonnullaque vi-  
tam degunt ad menses plures recepta, imò verius, suis in Te-  
stis sepulta, quin unquam ex ijs prodeant ad aliud sibi com-  
parandum.

De part.  
Anim c. 3;  
num. 19.


PRO-

## PROBLEMA XXII.

**Cur Turbinata habeant Operculum?**

**E**X obseruatione postrema antecedentis Problematis oritur præsens quæstum; cui antequam responso satisfiat, obseruandum est: ex tribus Classibus, in quas partiti sumus Testacea, numerosiorem esse Turbinatorum, nempè hac plures quasi subalternas species complectente, quarum singulis Operculum est impositum, Animali congenitum, eique temper infixum, ut vngues carni; quoties autem intra domum suam se recipit illud claudit, tam bene sibi aptatum, ut viuum videatur corpus, nulla diuisione distractum, non secus, ac multæ Biualium species sese concludunt, connexis arcuissimè in omnem partem, valuis duabus, quibus componuntur. Hinc Aristoteles pronunciauit: *Turbinata Biualibus quodammodo assimilantur, quippe quæ omnia operculo quodam congenito carni patula opposito clauduntur.* Qua prælibata obseruatione, causam subdit deductam ex prudenti operatione Naturæ. Cum igitur Turbinata toto corpore tam diligenter Natura munierit, ne munimento careret pars illa, opificio Testæ commensurata, quæ Ianua quædam est Arcis illius animata præsidij gratia operculum omnibus suppeditauit, quo se munimento conclusa tarentur.

Consimilia sunt Biualibus etiam Vnivalvia, non Turbinata, namque licet vna tantum pelta clypeata, hæc tamen semper infixa scopolis est, quæ ex eiusdem Aristotelis Doctrina. Omne Vnivalue, sit alieno septo, quodammodo Bialue: Sic vndequeaque tutante illud Natura, adeò verū est: fœtibus quibuscumque, quos in lucem enititur, prouidæ Matri instar, Naturam consulere.



## PROBLEMA XXIII.

**Cur multa Turbinata, sint etiam cornibus  
munita?**

Maris Turbinata non pauca cum terræ Cochleis conueniunt, & quemadmodum his sese mouentibus, modo bi-  
na, modo quaterna cornua ex capite prominent, ita illis eodem  
planè modo consultum est à Natura. Borellius, obseruata in  
illarum vertice nigra macula, nihil hæfitans affirmauit: oculum  
cam esse, quo viam explorant, per quam possint, sinè impedi-  
mento reptare: *In limacibus*, inquit ille, *non solum dentes ac-*  
*cerrimi, sed & oculi in cornibus ductitij*. Videmus nigrum eo-  
rum ab inferiore cornu parte, seu à cerebro, ad eorum partes su-  
premas ascendere; cum moueri cupiunt, & gressum suum dirigere,  
quo cornua conuertuntur; Verum non videtur mihi hæc  
obseruatio necessitatem inducere, firmandi conclusionem, omni-  
nino oppositam Aristoteli, qui lib. 3. Animalium, ea diuidens  
in oculata, & exoculata, oculos negavit Limacibus: *Habent*  
*proiectò*, inquit, *oculos tum carera Animalium omnia, prater-*  
*quam Testa intecta, & si quid aliud imperfectum est, vt Talpa,*  
*Quamvis punctum nigricans in summitate cornua præferant,*  
non propterea inferendum ex hoc oculos esse, sed potius macu-  
las ad ornatum, alioquin dici poterit, plures pisces Argos es-  
se, maximè oculatos, quandoquidem perfectissimum Microscopium  
eorum pellem ostendit innumeris punctis, quasi pupillis  
oculatam. Rursum si oculos Turbinatis indulgere voluit Na-  
tura, cur eos in extremitate tam remota à capite collocauit?  
Summitatibus Antennarum in Nauibus commodari solet, vt  
ita dicam, oculus explorator specula prospectans ab alta;  
Animantibus siue mari, siue humi degentibus, fuerunt oculi  
capiti infixi, non cornibus maximè productis, vel immani  
proboscide in terram prostituti. Quod si oculorum  
nomine volumus eas maculas insignire, distorquetur æqui-  
uoca nominis significatio, illi oculo propriè accomodata, cui  
deest ex Aristotele visuia potentia. Hanc in summis  
cornibus, siue oculis Cochlearum non residere, euincitur pluri-  
bus rationibus, De formatione oculorum in Animantibus

Obsrva 90

Cap. 122

Lib. de  
Anim. 2. c.  
2. num. 3.

De generis philosophari aggressus Aristoteles, constant, inquit, hi humor  
 s. c. 6. n. 73. eodem, quo Cerebrum efformatur, humore nempe maxime humido; & quoniam post Animalis formationem, paulatim concoquitur, & exsiccatur, hinc est, ab initio cerebrum, oculosque intumescere, & in vita progesu immixtui, atque ita debitam sibi perfectionem acquirere; iam vero in Cochleis, toto ore, & toto ventre hiantibus, cum cerebro pars nulla respondeat, non potest haec extendi, ad oculos efformandos, eaque maculae in recenter genitis apparent vix coloratz, augmentur quidem proportionaliter ad Animalis incrementum, nunquam tamen ut oculi, obtenta debita perfectione, decrescunt.

Ostendit hoc euidenter experientia mihi, Cochleam Echinophoram excorianti num. 19. tertiae Clavis expressam nempe cornua ipsius Callosae substantiae, & valde robustae adiuueni: vnde potui in illa anathomem perfectissimam gladio exerceare. Ex cornibus alterum in longitudinem discidi, deprehendi que eamdem omnino intimam extimamque substantiam, & colorem, quamvis macula, quæ oculus reputatur extremitate extima infuscata aliquantulum appareret. Non contentus prima obseruatione institi alterum suauiter admodum abradere, qua parte apparebat macula, scilicet oularis pupilla, potique illam facili negotio abstrahere, non fecus, ac colorem pennicillo superinductum, illi substantiae neruosae. Atque adeo mihi euidentis factum est; non esse illam instrumentum visus, cum nulla ibi pars, villo organo instruatur ad visum.

Arist. Ex ipsarum autem motu, certò obfirmari potest non esse oculos. Hi enim pro eodem tempore non posunt ad contrarias partes conuerti oppositas omnino, ambobus scilicet ex eodem principio pendentibus, quod ad duas partes oppositas moueri simul non potest; si vero fecus contigerit, male consultum à Natura fuisset: Nempe multiplicatum appareret obiectum, ut duplicatum appareat, cum ex industria, & per vim oculos distorquemus; quemadmodum duplicatum appetat obiectum digitis duobus attactum altero alteri superposito, sicque è suo situ naturali subducto. Iam vero Cornuta Testacea nulla prorsus lege in oppositas partes cornua contorquent squidem aliquando, ita paralella extendunt, ut si oularis linea, & directoria protraheretur, nunquam in idem obiectum inciderent, aliquando vero dilatant in angulum, ita obtusum, ut ad puncta distantissima, ac propemodum opposita ter-

minarentur, quamobrem diligenter obseruantibus motum ipsorum, manifestum fit, data esse illi cornua à Natura in supplementum manuum, veluti cæco gradum tentanti, & obstatu-  
lum, aut periculum itineris exploranti. Duobus enim mino-  
ribus cornibus, in ijs, quæ quatuor cornibus sunt instructæ,  
paulatim reptantes, tentant identidem viam, reliquis verò duobus  
in aere libratis, & in diuersas partes contortis, certiores  
fiunt, posse per illud spatiū tuto euehere domum, quam hu-  
meris baiulant, eiusque ponderi incumbunt, cum eam sustin-  
ent, & quidem si in his partibus præferunt sensum visus car-  
ad eum situm peruenientes in quo poslunt impedimentum  
aliquod deprehendere, non desistunt à motu, sed audacter in-  
id quod obijcitur inuehuntur, ac si acutissimis sensibus essent  
armatae, neque vñquam recedunt, nisi cum sentiunt daritatem,  
vel solidam lapidis, vel delicatam floris? Neque contentæ in-  
se ipsas se collegisse, ad primum leuissimum eorum attactum,,  
iterum, iterumque ea explorant, euaginatis denuo paulatim  
corniculis, ad motum timentis, & non videntis. Enim uero  
nullum est Animal, adeò stolidum, vt sponte exponat incursibus  
potentiam illam, quam instituit Natura, vt euitaret incursus;  
nullum quippe reperias, qui oculis inuehatur in spinas, vt ea-  
rum puncturas exploret.

Instructæ igitur fuere Cochlearia his verius brachijs, quam  
cornibus, vt ex ijs suppeteret auxilium ad motum; neque his  
omnes fuerunt instructæ, quamvis vagæ, nec locis scopolisque  
infixa; sed illæ tantum, quæ motu progressu se prouehunt;  
cuiusmodi sunt Turbinata, de quibus Plinius. *Omne Turbinato-*  
*rum genus mouetur, ac serpit.* Præter hæc inquit, Aristoteles,  
*non desunt complura, quæ cum sint absoluta, mouere tamen se*  
*nequeunt, vt Ostrea, nisi in quantum dilatant, vel claudunt*  
*septa duo, intra quæ viuunt, vt alimentum trahant ex mare.*  
De alijs nonnullis, quas Chamas leues appellant, scripsit Plinius  
vidisse se in gyrum torqueri, quin vñquam à loco occu-  
pato recederent, quemadmodum Rotæ firmo axi infixæ quan-  
tumvis incitatæ ad motum, nunquam recedunt à centro, super  
quod sese contorquent.

Iam verò si Turbinatis sese mouentibus, oculos negauit  
Natura, illorum defectum hisce instrumentis suppleuit, vt po-  
tent progrederi, seque in se ipsa recipiendo, à contrarijs tueri,  
quemadmodum sensum olfactus perspicacissimum omnibus

impertinet, quapropter, si quodpiam eorum aperta Testa leuiter tangatur, statim se ab hoste tutari contendit, quem tamen, si oculos haberet, tam propè accedere non pateretur, sed in alta illa cornuum veluti specula perlustrans, accedunt prohibetur, se claudendo. Imò existimauit Boetius acutissimo sensu auditus eadem fuisse dotata, quapropter inquit, oculum sese, cum litus clamore aliquo perstrepit, vel ingens lapis in mare deicetur, usque adeò inditum est cuicumque viuenti tueri te à noxijs incursibus. Hoc autem sequentia Problemata in examen vocabunt.

In Scotia  
descript.

Tom. a.  
lib. 10.

Hist. nat.  
de Cochle.  
art. 3.

Reliquum esset, hic attexere, quod in sua Cosmographia refert Teuctus de Cochlea quadam in Germanico Orientali Oceano inuenta, quæ præter ramosa cornua, ut certi, duobus oculis, colore viuacissimo collucentibus erat instructa; sed quoniam Iaistonus, illam, aut fabulosam existimauit, aut maris monstrum, ab illius examine, & censura abstineo, contentus, eam suo loco subiucere oculis inter alias de qua sententiam fegant curiosi indagatores prodigiorum Naturæ.

## PROBLEMA XXIV.

### Cur vocem non edant.

**O**MNIMUM in mari viuentium proprium est: non posse vocem aliquam edere, & quamvis pisces nonnulli vocales dicantur, ipsi tamen vocem non edunt, sed quemdam quasi sonum, seu stridorem, cum partes aliquas mouent, quibus eos instruxit Natura ad attrahendam aquam, vel euomendam. Testacea tamen, quemadmodum, & omnia Crustata, omnino sunt muta. Refert Strabo, speciem quamdam Nilum incolere, quæ *mugitus edit*; sed ad veritatem illius Historiæ conciliandam satis est, id experiri in Testis quorundam Turbinatorum, mugitu quodam, horrorem incutiente perstrepentium, cum vel ad bellum, vel ad venatum sono vocis humanæ inflantur. Ex duplice autem causa Testacea, ut alia quæcumque in mari Viuentia, sunt muta. Primò enim vox ex Aristotele in aspera arteria effingitur, cum aer ad respirationem attractus ex pulmonibus, impetu excluditur; quæ autem pulmonibus egent, carent arteria, nempe

De Anim.  
¶ 6.2.

pè officina ad vocem elaborandam . In Testaceis totum corpus, in guttur, & ventrem extenditur, sine pulmonibus, & arteria ; non ergò possunt vocem ullam inflectere . Pulmones illis non induxit Natura, quia cor negauit , ab ijs refrigerandum temperato calore fanguinis , ex nouo aere attracto ; neque aspera Arteria dotauit, quam Animali impertinet , ad aerem pulmonibus attractum introducendum . Secundò, quamuis essent instructa organis vocem formantibus illam edere non possent in aquis non admissilibus congruam illam aeris agitationem interpositam inter corpus percutiens , ac percussum , quæ voci formandæ, necessario inferuit, ut clarius sequenti probiemate . Animalia autem aquis sepalta peculiari aliqua refrigeratione indigentia, quia non sunt exanguia , aerem non respirant, sed aquam . Atque huiusmodi sunt pisces , alia quia exanguia , ac propterea vix indigentia minima respiratione ob imbecillitatem caloris refrigerantur abundè humore illo partibus intercutaneis ingesto per poros, quibus sunt peruvia , atque huiusmodi sunt Testacea .

## PROBLEMA XXV.

## Cur careant Auditu ?

**S**entient omnes communiter cum Aristotele , Animalia in aquis degentia sub aquis audire , quod in quarto Animalium euincere , non vna ratione contendit ab experientia deprompta , nempè ex piscium fuga ad strepitum Remorum aquas impellentium : ex ipso incondito sono , qui editus ex industria ante piscatum, ad eos in retia congregandos : ex Delphini præda, quos iam inter retia conclusos Piscatorum clamor propellit in litus, vbi Vinciuntur captivi ; ex alto silentio in alijs piscatibus indicto, ne vel leui sono pisces fugentur . Non nulli tamen acriter in Aristotelem sic inuehuntur . Ad sensationem auditus, & ad formationem soni necessariò requiritur agitatio aeris intercepti inter corpus percutiens , & percussum . Quoniam verò hæc agitatio fieri non potest sub aquis, hinc cieri non poterit sonus, multoque minus audiri . Indè fit, vt si in fundo maris duo corpora percutiantur , quamuis ex metallis

De sensib.  
bus c. 8.

maxime sonoro elaborata non percipitur extra aquas sonus quemadmodum non auditur ingentium Ancorarum rumor, cum mari iactæ, saxa fundum implentia contundunt. Neque intra aquas audiri potest, quid extra illas agatur, nempe corpore densiore, aqua scilicet repercutiente impulsu aeris agitati, nec potentis ultra procedere, sed in se ipsum reuerti. Atque ex Testimonia expertissimorum pescantium vñiones, corallia, aliasque maris gemmas, innotuit hoc ipsum, referente Gassendo: ad altitudinem pedum sexaginta immersos aquis in Gallia portu non perceperisse tonitrua bombardarum e nauibus explosarum, propterea negandus est incolis aquarium auditus cum frustanea sit potentia illa, quæ nunquam ad proprium actum reducitur.

**Lib. I. sect. I. c. II.** Inter hoc recensendus est Cassendus, qui obiectis difficultatibus hoc pacto satisfacit. Ad reuerberationem remorum fugiunt pisces non quia rumorem percipiunt, sed quia vident oculis agitari, vel tactu percipiunt vndantum aquarium impulsu, ita solet tonitru Silucum timore concutere, quia ex aeris refractione peculiarem aquæ commotionem impertit. Hinc sèpè non se fugæ committunt ex vocibus colloquentium, vel propè litus, vel in ipsis nauibus; subtrahunt tamen sese, ad levissimam supremæ aquæ agitationem. Idemque Cassendus refert Lucium, extremæ aquæ innatantem non se subduxisse ad strepitum pescatorum, sed tunc solum quando ad eum prædandum cum silentio appropinquarent. Fabulosa propterea existimat, quæ narrantur de pescibus viuario conclusis, nempe auditio campanulæ sonitu ad cibum accurrisse, ut celebris illa Crassi Mutæna illum captans ex ipsis manibus cum vocaretur. Quod si hæc vera sint contingebant, inquit ille, quia pescis, aut cibum allicientem conspiciebat, vel quia ex aliquo aquæ motu admonebatur; quo pacto surdus, cæcusque famelicus manum cibo admoueret si prævio signo quopiam non semel percepto illum excipere assueisset.

Dial. I.

Iactis hinc indè in contrarium opinionibus ancipitem diu fuisse me fateor de Aristotelis sententia donec illam experientia animo penitus obfirmauit. Innotuit illa mihi ex curiosis Dialogis Donati Rossetti, in quibus dum eruditos sermones inter se commiscenter Edetimegerus, Oligetes, & Pandetes, interroganti huic; an sonus intra aquas perciperetur, affirmatiuè respondit Editemegerus, & experimentum attulit à se factum in mari,

im-

immersus aquis ad mensuram circiter semicubitalem , expertus sum , inquit , audisse me quidquid nescio quis sine vocis contentione disterebat , cumque longius aliquantulum à superficie aures applicuisse ad poplitem loquuturi ; cubito , & semi aquis immersi , voces alta voce prolatas percipiebam ; inclinata tandem aure ad pedes illius , motum aquæ , & sonum quemdam confusum excipiebam . Atque hoc experimento inter colloquendum inserto , concludit , sub fluidis corporibus audiri , formaque posse voces , quia fluida omnia possunt , ut aer crispari , & vnde re , mensura tamen singulis proportionata corporibus , quandoquidem sicut in aere ad magnam distantiam vox non auditur , nec sonus , ita in alijs liquidis intra sphæram cuique commensuratam , sonus , aut vox propagabitur . Hinc manifesta fit ratio : Cur Piscatores vnionum à Castendo relati , non perceperint tonitrua Bombardarum , & cur Anchorarum , iactus super lapides non sint auribus explorati , Experientia certum est : si quis ære campano personuerit inter aquas , extra illas sonitum exaudiri non leui tamen discriminè propagatum ac sonus in aere editus , ob corpus magis densum , per quod sonus effunditur . Quamobrem videtur mihi euinci posse in mari degentibus , & in aquis etiosam non esse potentiam , auditus ; cum possit illa ad actum suum redigi . Nullum de hoc dubium superest in Delphino Vituloque marino , nempe in ijs manifestè prodente se organo auditus interiore , vt notauit Rondeletius ; fitque hoc clarius ex signis ab eis editis , cum illicijs allecti toto capite extra vadas portecto , itinerantes naues comitantur . Non ita de alijs piscibus philosophandum , nempe in ijs non apparente instrumento auditionis , vt apparent organa odoratus . Multo minus id in Testaceis toto corpore imperfectis , & referentibus rudem potius , ac indigentiam carnis mastam , quam corpus organicum . Probabile tamen existimauit Aristoteles 4. Animalium ; tali organo pisces esse instructos ; cuius argumentum est , quod se arenis contumulant , cum ferrum admouetur , quo capiuntur . Ego tamen explorata non semel hac veritate nullis illa mallei tensionibus supra vicina faxa , potui exterrere , nequè deprehendi , ea ad illum strepitum se intra sua septa recipere , ac testas claudere . Sed tunc solùm cum leuissimo etiam paleæ attactu tangerentur . Negato itaque ijs auditu , perspicacissimo sensu tactus ad noxia , & contraria effugienda , Testacea instruxit Natura .

Lib. 3 c. 3.

Cap. 8.  
n. 24.

**De Anim.** Addi, & illud potest, non ad simpliciter esse, sed ad melius  
**1.3. c. II.** esse Animalis, ut philosophatur Aristoteles, sensus, auditus, vi-  
 sus, & odoratus fuisset à Natura concessos, quanobrem iij non  
 omnibus debebantur, sed illis tantummodo quæ motu progres-  
 siuo incedunt, scilicet his ad alimentum sibi quæritandum pro-  
 gressuris, & ad ea effugienda, quæquaæ eorum destructiuum mo-  
 limentur, exploranda erant etiam è longinquo obiecta, ad quæ  
 accederent, vel à quibus recederent. Et quia distantia obiecta  
 solus percipit sensus, vel auditus, vel odoratus, vel visus, hinc  
 dotata his tribus fuere Animalia progredientia, non verò im-  
 mota, vel se vix mouentia, qualia sunt Testacea, degentia sub  
 aquis.

## PROBLEMA XXVI.

**Cur Testæ Animatæ nullo sensu sint  
 præditæ?**

**T**estam esse Animatam, nemo potest ambigere; eadem  
 enim semper figuram seruare proprietas est corporum  
 virtute organica præditorum, quæ in solis residet Animitis,  
 in quibus in gratiam alterius, Anima operatit; Arbores, Flores,  
 & Herbas, esse animatas argumento est, peculiaris illa figura,  
 per quam discriminantur ad inuicem. Ita in Cochleis septum  
 illud Testaceum est animatum, quia sicut ossa in nobis, ita il-  
 lud totum simul eas circumuefit, eademque semper figuræ li-  
 neamenta præsefert. Hoc supj ostio curiosum est inuestigare:  
 cur vita Animalis viuens, & nutritione crescens, sensu tamen om-  
 ni destituatur.

Sensus omnis ex Aristotele sensum tactus supponit, quo  
 deficiente, deficiunt etiam gustus, auditus, & visus, Testis ergo  
 tactu parentibus, quantumvis animatis, nullus alius sensus est  
 affigendus. Eas tactu carere, ostendit experientia; si enim  
 pungas, tundas, igne torreas, nullum in ijs sensationis signum  
 experieris, vel occlusis Bivalvibus, vel accelerato motu in Tur-  
 binatis, nisi quatenus offensa ipsum afficit inclusum animal;

**De Anim.** Qualia sunt in alijs viuentibus sensitivis ossa, talia sunt septa  
**c. 12.** in Testaceis, nempè utrisque sensu parentibus, ex patili utrobi-  
 que

que ratione, quam affert Aristoteles; Constat, inquit ille, Tactus temperamento quodam, & mediocritate tangibilium qualitatum; cum autem Ossa, sicut & Testæ, sint nimis terrea, adeoque à mediocre temperie, tactui necessaria, nimium dilatantia, hinc vtraque tactu sunt destituta.

Examinandum tamen supereft: quo pacto, & qua via communicetur Testis alimentum, vt crescant? Curiosus hanc indagandi, inueni facile in Biualibus, ac ferè in Vniualibus omnibus non Turbinatis. Partibus enim viuentis in eorum singulis adhærentibus Testis, non secus, ac fructus, & siliqua fabæ inclusus, vel domui suæ testudo, dubitari non potest, per eam viam alimentum corriuari Testæ, vt crescente Animali, crescat & ipsa Animalis testa, eiisque bono commensurata. Dubitanti tamen mihi; num in ipsa etiam Turbinata corriuatur, conatus est omnem dubitandi rationem auferre Scriptor, inter Recentiores non ignobilis, affirmans: horum etiam carnem testæ inherere in profundiore parte Cochlearæ, quæ spirarum centrum nuncupatur. Quia tamen in ferenda sententia de corporibus naturalibus, consilia petenda sunt, non ex mente sola, vel propria, vel aliena, sed in consultationem, & ipsi sensus vocandi, summo studio, semel atque iterum institi, vt hunc arctissimæ coniunctionis nodum deprehendarem, & inspectis ad ultimas fibras multis Turbinatis specie diuersis, in vna tantum potui illum detegere, solusque mihi obuiam fuit nexus ille, qui in Ovo putamen Vitello maritat, intercepto humore illo, quod albumen vocatur. Hinc non amplius anceps fui quin affirmarem in Turbinatis, nullo alio nexu copulante Testam cum Animali, nisi humore viscofo ex illius poris exudante, humore ipso Testam nutriri, sese ad exigentiam Animalis accommodante. Neque à veritate absonum videtur addere: ipsa maris aqua, quasi lacte, ea enutririri, docente experientia: Arbores longè magis excrescere irrigatis aqua ramis, quam alimento ex Terra per radices attracto, quod planius fit in Corallis, fucoque marino erumpentibus videlicet ex durissima filice hisce plantis, nulla prorsus radice infixis, solaque maris aqua per poros undequaque attracta enutritis.

## PROBLEMA XXVII.

**C**ur Testacea, terræ Vegetabilibus non absimilia, nec viua, nec mortua odor rem vllum diffundant, vt plurima Vegetabilia?

**N**on absimilia Vegetantibus in terra esse Testacea, alibi cum Aristotele adnotauimus, nomen propterea Plantanimum sortita. Iam verò, quamuis ad firmandam similitudinem inter duo, non requiratur perfectissima, & vniuersalis proportio inter ea omnia, quæ possunt ad inuicem affirmari; ex eo tamen, quod sunt affixa loco, ibique alimentum attrahant, necessarium ad vitam, & ad incrementum, dici possent Plantis non dissimilia. Non erit tamen abs re hic indagare, cur nullum vnuquam reddant odorem, vt plurima vegetantia?

Probl. se 3  
13. art. 4.

Problema fuit hoc ab Aristotele ventilatum disquirente, : cur ex nullis speciebus Animantium siue Aquatilium, siue Terrestrium odor vllus emanet? Quamobrem prodigijs loco censemur solam Pantheram suaue quoddam olere, reliqua Animantia alliciens ad se? Supponit igitur primò. Foetorem in Vinenibus ex cruditate alimeatorum incoctorum prouenire, probatque assertum primò, quia sudoris excrementum in ægrotis nonnullis, male olet, unde morbo maxime vitiantur, quibus tales esse non solent, non alia sanè de causa, nisi quia in sanis corporibus sunt sufficienter concocti, non verò in infirmis. Hac suppositione, sibi veluti instrata, progreditur asserens, Animalia omnia, quæ carne constant, aut corpore, carni æquiparato, vt Pisces, Testaceaque, vtpotè humido affluentia, non posse aliqua excrementa satis abundè concoquere, atque ex his, dum viuunt, foetorem exhalari, & quidem graueolentiorem, cum post mortem putrescant. Hinc pellis, & ossa humore carentia fetent nunquam. Hinc plantæ, vt plurimum nil graue olen, vel quia exrementis destituta, vel quia constantes calido, ac

sic-

siccō temperamento, ea concoquente, quin potius; odoris, & aridis qualitatibus difluunt, quibus pretium fecit hominis avaritiae intenta ad eas in Syriam vsque, & Arabiam Regiones Sole, & calore torrentes, inquirendas, & per Orbem vniuersum dispertiendas.

## PROBLEMA XXVIII.

Cur diutiūs quam Pisces extra Aquas viuant?

**P**iscibus Elementum Aquæ alimento est, ut cæteris Animalibus Aer. Inde fit, vt Pisces, vix aquis extracti intereant, sicut Aues aere priuatæ. Conueniunt cum Piscibus etiam Testacea, quæ tamen non tam citò moriuntur, sed ad dies aliquos vitam protrahunt nempè ad quadraginta, ut Ionstonus imò, vt alij testatur ad 50. vt Purpuræ. Vel quia succo suo aluntur, vel quia humorem imbibunt ex mari, ad eam mensuram ex Vormio, vt possint ad tantam dierum longitudinem vitam extendere, quod tamen è contrario deberet accidere, cum certissima Aristotelis obseruatione constet: exanguibus Animalibus breuiorem esse vitam, quam sanguine præditis: (mole tamen corporis aliquando in ijs supplente defectum sanguinis) Ratio eiusdem est, quia ad longiorem vitam protrahendam requiritur humidi pinguisque teuperies, qua carent Exanguia, quare si apes, licet exangues, diutiūs viuunt, quam alia nonnulla, prouenit ex hoc alimento humido, ac pingui, quod exugunt ex melle; Testaceis ergò exanguibus deficere prius deberet Vita, quam Piscibus, quibus sanguis per venas pleno amne decurrit. Nihilo tamen minus, sicuti verum est in aquis diutius viuere, quæ sanguine affluunt, quam quæ carent, ita veritati consonum est extra Elementum illud minus vitam protrahere. Duabus, vt ego arbitror rationibus potest veritas ista fulciri, quas antequam proferam, supponendum: Vitam consistere in temperie debita humidi, & caloris, vnde mascula Animantia, vtpotè fœminas calore excedentia, vitam in longiūs prouehunt, nec secus, ac in Rubro mari, calore ferventissimo, ad immānem magnitudinem excrescent Testacea.

De longi-  
tud. vita  
pac. 5.

Arist ibid.

De respir.  
c. 10, B. 7,

Huic ergò Basi ianititur ratio; quam primo loco attulit Ari-  
stoteles dicens, hoc euenire, quia Exanguia temperamento mi-  
nus calentia minore indigent refrigeratione, exigentibus illam  
in maiore copia ijs, quæ sanguine abundant, nempè calore in-  
ijs potentiore ad humidum, quo constant absumendum, atque  
hoc deficiente, sequitur corruptio. Depromi potest alia ratio  
ex ijs, quibus satisfacit quæsito Philosophus, cur Palmæ, Cu-  
ppressus, aliaque robustiores plantæ diutius viuant, quam Ani-  
malia sentientia? nempè: quia habent pinguedinem, & viscosita-  
tem, & siccæ, & terrestres existentes, tamen non habent facile  
siccabile humidum. Hinc si quæ non facile consumuntur, nec  
facile corrumpuntur, manifestè infertur Testacea extra aquas  
viuere diutias posse, quam pisces, ut potè magis imbuta quali-  
tibus humidis, & viscosis perfectæ exiccationi resistentibus  
magis, tenuissimo calore lente humidum exicceant.

## PROBLEMA XXIX.

**C**ur Echini, seu Marini Erinacei Dentes ha-  
beant, & Oua, numero quinario  
disparia?

Cap. 53

**D**esumo Problema istud ex Philosopho lib. 4. de partibus  
Animalium, quod quam facile perceptu est, tam obscu-  
ra videtur mihi responsio, qua ipse sibi facit satis. Supponit ip-  
se nonnulla, quorum primum est. Echinorum Oua, quamuis  
dicta, reuera tamen Oua non esse, sed pinguedinem quamdam  
ex bona nutritione genitam; Secundum; Animalia omnia  
Ostreacea in aliquo corporis latere Oua gestare, Ovis Echino-  
rum non absimilia: Tertium, habere hæc in se ipsis figuram  
sphæricam, ac tandem non posse Ouum gestare, quod continuò  
toto corpore diffundatur, eique aptetur, sed quemadmodum  
reliqua Animantia, multa Oua in aliqua corporis parte gestare.  
His suppositis respondet problemati; cur Echini edant Oua  
quinario numero imparia, quibus possit Pentagonus delineari,  
si ex uno ad aliud extremum lineæ ducerentur? Sic ergò discur-  
su progredivit?

Sphæricum esse debet Echini corpus; Oua ergò gestar-

de-

debet numero imparia. Ergò cum id commune emnium sit, proprium autem illius, nempe Echini, ut globi speciem gerat, oua numero impari sint necesse est. Probat autem illationem, quia si numero essent paria, cum sint ita rotunda, deberent totidem in uno, ac in altero latere gestare, in ambobus ergò lateribus essent Oua, sed non debent in ambobus gestare, ut secundo supposito præmissum est, debent ergò numero imparia gestare. Iam verò : tria esse non possunt, quia nimium essent dissita inter se, nec debent quinarium excedere, quia continuatum Ouum efformarent, & quodammodo unum, inquit Aristoteles ergò, &c. Atque ex hac illatione, ita obfirmata refert proportionem, quæ Oua inter, Ventres, ac Dentes Animalis deber intercedere, quamobrem nec quinarium excedunt, nec numero minore ab eo recedunt.

Intimas rei fibras, altius perscrutarer, Aristotelis ratione non omnem mihi dubitationem auferente, nisi plane persuasum haberem, immediatam nonnullorum effectuum causam nullo pacto posse innescere. Excedit humanam intelligentiam ignauiae mancipatam, D. Augustinus, inquit, & quam sublimè sit, suis è lateribus veritatem ex rerum causis eruere, nobilissimus Virgilij versus testatur: *Felix, qui potuit rerum cognoscere causas.* Quamobrem sicut frustaneo labore quaeritur: cur trifariam partita sit, frons omnis herba, quæ trifolium dicitur: & cur flores nonnulli quinque, alij verò sex folijs vestiantur, ita omnem ingenij conatum eludit, indagare: cur gestent Echini Oua, quina diuisione partita. Melius profectò veritatem dergit, qui dicit, quinarium implere, quia neque quatuor, neque sex, voluit esse Natura, quo pacto Ouidius Decumanum fluctum describens, inquit.

*Posterior nono est, undecimoque prior.*

Naturæ opera indagantes, neque omnia debent ex incuria prætermittere, neque singula ex merito scrutari, & quando nil melius occurrit, ac suppetit pro ratione, & causa esse debet, illam, ad ostendendas retum suarum affluentias ex ideis, & ærijs suis opulentissimis, ea depromere, quæ ad Mundi ornatum ex tanta partium varietate conflatum possit abundè condūcere.

De Civit  
Dei 1.7.c.9

Georg. 33

## PROBLEMA XXX.

**C**ur Turbinatis Cochleis Auri admotis, videatur sibi quisque Maris susurrum excipere .

**C**redula nimis facilitate circumfertur , ipsum maris susurrum aure percipi , Turbinata Cochlea auri admota quasi hæreditaria proprietate intonent ipsæ Testæ nou secus, ac ex odorata radice fructus suauissimè olens, ab aliquibus plantis prolignitur . Vulgaris planè error vera reputans, quæ per sensus apparent non ante ad examen vocata ; qui vt ab omnibus deprehendatur, satis est indicasse , susurrum huiusmodi non exaudiri solum admotis Cochlearum Testis , sed quocumque alio corpore, aurem occidente , sic docente quemlibet experientia . Ad causam huius esse&um afferendam , distinguenda sunt duo genera corporum potentium huiusmodi susurrum cire . Vel enim concavum, & inane est corpus, vel tale, vt aliquo paëto possit externam auris Cochleam occludere , impedita sensatione auditus ? Si Concauum , & multo magis Turbinatum est corpus, vt Cochleæ quamplurimæ, enuncio auditum susurrum esse sonum reflexum, vt in Echo , in Concauo corpore editum ex aeris repercussione, qui semper agitatus contorquetur , & ex interna ipsius corporis superficie reflit , aut aeris illius , ex aure ipsa transpirantis , quæ transpiratio vix reuocari potest in dubium, quamuis enim inter Cochleam internam , & externam Auris nulla detur communicatio apparentis meatus (errante Alemeconte , vt notat Aristoteles , cum docuit , Capreas respirare per aures ; cum hæ sint organa ad audiendum fabricata, non ad respirandum) Cartilago tamen quæ in tympanum extenditur ambas dividens Cochleas tenuissima est, maximèque porosa, vt reliqua omnia corpora, ex quibus propterea, vt notat Hypocrates, continui emanant effluxus sensum effugientes ; per illam igitur Cartilaginem potest halitus aliquis transpirare ex partibus internis transmissus .

Confirmatur hoc . Quia tympanum potest disstringi non so-

solum impetu externi aeris violenter nimium agitati , quamobrem magnus sonus aurem obtundit , sed etiam ex Aere interno , quando non potest hic consueta facilitate , per poros Tympani transpirare . Idem Vrinatoribus contingere solet sub aquis non valentibus totum aerem internis viscerum cavitatis inclusum , ore exhalarer , aer ipse continetur non sine magna violentia muscularum non distantium ab aere habente magnam affinitatem cum Ore ; atque ex hac violentia excitatur calor nouisque halitus ex partibus calefactis , qui aditu non patente , neque per os , neque per aures , partem debiliorem infringit , nempe Tympanum , per cuius poros in exigua satis mensura potest exhalari . Ex hac pariter traspiratione prouenit suffrus si quocumque tandem corpore aarem obturante , traspiratio illa impeditur , & quidem eò maiore suffruto , quò densius est ipsum corpus ; sic obturata aere linea panno non duplicato , vix aliquis sonus percipitur , multus tamen , ac magnus , si non semel complicatus pannus illam occludat .

Atque ut hoc planus fiat , sciendum est : in ipso auris organo externæ Tubæ , seu Cochleæ , internam aliam Cochleam , è diametro collocatam respondere , & in huius vacuitate contineri aerem innatum , quo quamvis immobili ex sententia Aristotelis , ut melius fieri possit sensatio auditus ; (quemadmodum in oculo , ut visio fiat , nullus debet color inesse , qui species inficiat ab obiecto transmissas , alioquin adulteratum obiectum aliam à sua formam induceret) attamen quia etiam aere ventis agitato sonum percipimus , existimo cum non paucis , immobilitatem aeris ab Aristotele assertam , nihil aliud significare , nisi continui aeris effluvium , cavitatem illam aeris implens , non potenter sonoro corpore percipi , per auris sensationem , nisi detur spatium aliquod aere oppletum , vtpotè opportuno medio ad sensationem , quamvis aliquam crispsationem , & vindicationem excipiat intra Cochleam prædictam contortus ex impulsu impresso ab externo aere in contiguum tympanum , aut per continuum aeris eiusdem effluvium corruiatum per canaliculum palato Animalis infixum ; cuius argumentum est sicca tussis , quam percipimus , cum aures irritamus , scilicet compreßus aer internus versus asperam arteriam se proripit , & auris Orificium vellicans , prouocat tussim .

Quod si ille aeris motus non semper aere percipitur contingit id ex maiore sensatione ab alijs sensibilibus potentiori bus

2. de Anima  
c. 8.

bus prouenientē ; caiusmodi sunt ea omnia corpora quocumque modo perpetuō commota , ac propterea , vt obseruat Aristoteles , *voces melius audiuntur noctū , quam interdiū quia cum Sol omnia moueat , noctes solent esse quietiores* ; & alibi dicit : *sonum non discernimus nisi comparatione facta ad silentium* .

Probl. de voce, &c. so no. sect. 11. c. 19.

De Cœlo 3. c. 19.

Pari ergo proportione in re nostra : Agitatus internus aer , tunc fiet auditui sensibilis , quando externi sensibilioris sensatio remouebitur , & quia sensatio huiusmodi tunc impeditur , cum auris corpore aliquo occluditur , prouenit exinde quicunque tandem ille sit susurrus , eò maior , quò magis organum auditus obtunditur .

Sic oscitantibus nobis , internus quidam veluti boatus percipitur , neque tunc externus sonus clarè exauditur , non quia externa Cochlea sit obturata , per quam percussi aeris propagatur motus , usque ad auris tympanum ; sed quia spiritus ore excitatus claudit orificium canaliculi ex interno organo prouenientis , & aere etiam conclusum comprimit , quo exitum frusta querente , & continua alterius aeris respiratione agitato , non antea exauditum murmur effingitur . Neque ergo in Cochlearum Testis excitatur susurrus ille , quasi illis indita sit maris proprietas , continuo susurro immurmurantis .

## PROBLEMA XXXI.

Cut in Plenilunij sint pinguiores .

**L**una incremento suo omnium clausorum maris Animalium , atque Concharum membra turgere iubet , metaphorice quidem , sed verissimè pronunciauit Palladius ; cum verum sit , quod ex Græcis verbis Oppiani retulit Lippius .

----- *Cum Luna impleuerit orbem  
Fama refert proprio plenos pinguescere testo ;  
Sed cum multiuaga decrescant cornua Luna  
Dimini graciles , tali sunt lege coacte :*

Hinc notauit Isidorus : Conchas , & Cochleas inde vocatas esse , quia deficiente Luna cauantur , id est euacuantur , & minuuntur . An bene illata sit nominis etimologia in examen vocet , cui per tempus vacat ; abundè mihi est pro veritate id

id asséri, & obfirmata veritate, rationem esse indagandam. Nequē facile est, eam primò intuitu deprehendere; quæ enim, Lunam inter, & Cochleas intercedit relatio? Quamobrem pingueſcente veluti Luna debeant, & ipsæ pingueſcere? Non crescit Luna incremento molis, & globi, nec maiori vñquam, aut minori lumine clarescit, cum semper pro medietate corporis, seu æqualem lucis exuberantiam excipiat, sed inflexo ad nos radio, Luna se ſpectabilem præbet, & pro maiore, vel minore apparentia, dicimus, illam modo incrementa lucis, modo decrementa, ac detrimenta subire.

E contra Cochleæ, vero incremento pingueſcunt, non quidem Testæ, nunquam imminutæ, sed caro intra Testacea ſepta conclusa, quemadmodum pingueſcunt reliqua omnia Animantia, quæ perfectò modo nutriuntur.

Nullo ſolidæ rationis fundamento afferitur à nonnullis illas turgeſcere ex copioſiore tunc temporis alimento; cum enim illud habeant ſemper in promptu, neque excitato nouo aliquo motiuo innato appetitu Animalis, opinandum eſt, quo-cumque tempore pro ſui neceſſitate, conſuetam alimenti portionem illas attrahere. Probabilior videtur, & accommodata etiam Testaceis, Aristotelis ratiocinatio, inquirentis: cui Echi. De part. ni in Plenilunio turgeſcant. Hi nempè frigidifimo temperamento constantes, ut potè exangues, ut pingueſcant, non ſolum indigent cibo, ſed calore; & quia cum dicimus Lunam, incrementa lucis accipere, augetur etiam lucis reflexio, & intendi neceſſe eſt, ex luce ipsa reflexa calorem, qua de cauſa dixit Aristoteles: quemadmodum Sol ſingulis annis Hyemem, & Aestate discriminat, ita Lunam in ſingulos menses huiusmodi varietates efficere, & aufſpicatissimam eſſe Testaceis frigidiffima humorum temperie compactis, ſentientibus propterea Solis beneficium interdiu, & quidem aestate intensius, Lunæ verò noctu plenilunij calore iſdem acceptiſſimo: addit propterea prouenire hinc, ut aſtate potius ubique vigent, praterquam in Pyrenſi Euripo. Pugnant tamen contra Aristotelem rationes nonnullæ, atque in primis Concharum perfectior eſt Constitutio mensibus intensiore frigore hyemantibus, non aſtio calore feruentibus; neque certum omnino eſt: Lunæ lumine augeri calorem, itaut Viuentia aquis ſepulta tantam exinde utilitatem percipient. Et quidem ſerenioribus noctibus plenilunij, intendi frigus experimur. Existimauit Plinius, Lunam eſſe



## PROBLEMA XXXII.

**Cur Pigra stolidaque Animalia sint  
Testacea?**

**P**igra sunt ea omnia Animalia, quæ temperamento suo plus aquei terreique imbuerunt, quam ignei, & aerei; vbi enim minor copia sanguinis, ibi copia minore fuerunt vitales spiritus, qui ignis instar viuidiores, magisque actiuas efficiunt partes viuentis. Testaceis ergo exanguibus, atque aqua, ac terra genitis piger motus, lentæque operationes sunt inditæ: adde: ijs animatam illam domum, semper baiulantibus, ex illius pondere tardari motum velociorem, vt plurimum, in vermbus liberè euagantibus; neque pernicitatem Piscibus inditam, debuit Cochleis impertiri Natura; earum enim, quamplurimis planitarum instar vescentibus, attracto alimento per poros non debuit imponi necessitas progrediendi ad victimum quæritandum, neque vt piscibus dari debuit illis effugium per motum, quo se proriperent ab insidijs, & voracitate potentiorum; cum intra sua septa habeant in promptu effugium, ac tutamentum.

Ex eadem inopia sanguinis prouenit stupiditas illa, qua illis obruitur Phantasia. Atque ad hanc veritatem elucidandam arridet mihi, quod docet Philosophus, vbi quærit, melior ne censendus sin sanguis tenax, & pinguis, calidus tamen? An subtilis, & frigidus? Respondeatque hunc magis conducere ad potentias sensitivas, atque intellectivas; illum verò ad robustiora membra effingenda; atque proportione consimili id asserit de humore illo, qui in exanguibus Animalibus, correspontet sanguini, sanguineorum. Hinc oritur inter Animalia exanguia ingeniosiores esse plerisque Apes, cum in his, loco sanguinis diffluat subtilis humor, quamobrem concludi potest: stolidas esse Cochleas; quia in his humor sanguini respondens, minus subtilis, aqua, ac terra conflatur, continens solos spiritus potentes eas animare. Cur autem sint cerebro vacua, parte inquam, in qua resideret Phantasia sensitiva inducens ad operandum, ea afferri potest ratio: Cerebrum ineft Animantibus abundantibus sanguine, cum enim ipsum frigidè

De part.  
Animal.  
lib. 2. c. 1.  
art. 3.

De part.  
Animal.  
c. 7, v. 6.

fit attemperatum , necessaria refrigeratione per sanguinem adsperguntur ; quo refrigerio non indigent exangua Animalia ; cum abunde hoc ijs suppetat, vel ex aere , vel ex aqua, in quibus degunt ; properea carent cerebro , scilicet parte illa, in qua refidet perfecta Phantasie potentia, quæ reddat eas sollicitas ad operandum .

### PROBLEMA XXXIII.

**Cur Cochleæ Testa non exuantur,  
vt Crustata ?**

I lib. 37. de  
varietate.

**C**RUSTATIS à Cardano attente obseruatis , quæ mollescunt aliquando superiore parte Dorsi , & inferiore durescunt (quod equidem argumentum est : nunquam hanc exuissit) atque contra Testaceis & qualiter unde quaque Testam durescere , dubium mouet ipse : Cur vt Crustata, ita & Testacea septum non exuant ? Rationes tres affert in medium . Prima : quia Testaceis vita, breuiore peryodo definita , tempus non suppetit ad multa spolia sibi compungenda ; quamobrem , ea quæ ijs nascientibus est pro incunabulo , pro sepulcro est morientibus . Secunda , quia renouata Testa Crustatis tollitur ijs magnum impedimentum ad motum , illius pondere retardatum . Quapropter consuluit illis Natura, longa crura compingendo, quibus conatu incumbentia, vterentur tanquam vestibus ad leuanda seipsa in motum , è contra Testaceis vix repentinibus nullius impedimenti est Testæ pondus , immò in ijs ad se tuendum munimentum habent , sicut fuga sibi consolunt ipsa crustata . Tertiò loco asserit ad Testam commutandam requiri , illam perfectè exsiccati , & separari à partibus humidis Animalis inclusi ; id quod facile euenit in Crustatis, quæ Crustam arido temperamento habent; difficile verò in Testaceis ; & prius quam Testa sufficienter exsiccatur, moritur Viens cam inhabitans .



## PROBLEMA XXXIV.

**Cur Ballanus fulgore quodam splendeat?**

**T**inter maris prodigia, nulli secunda est lux, quam ex se ipsis Lib. i. p. 15  
Ballani effundunt. P. Athanasius Kircherius in suo Mundo c. 7.  
subterraneo, dicit: Humorem ipsis sparsum inter tenebras  
videri igneam pluuiam, & experimento à me sèpius inito, vidi  
splendescere, luce non absimili fulgori Lampyridum quidquid  
humore illo fuerat aspersum. Non tamen innata est Ballanis  
lux ista, vt corporibus alijs non paucis, & Viventibus tum ma-  
ritimis, tum terrestribus non fuerit impertita. De cornu affir-  
mat hoc Aristoteles, & de fungo; & scimus, emissam aliquando  
**ex dentibus, linguis, oculis, visceribus, pectore, brachijs, capite,**  
& capillis hominis; Item ex Leone, Equo, Tauro, Lupis, Cani-  
bus, Vulpibus, & Serpentibus, & qui curiosus eset, noscendi  
casus non illepidos legat eruditissimum Librum, quem de Luce  
Animalium scripsit Thomas Bartolinus: Nobis à mari non  
recedentibus scire satis est: Dominum de Monconnijs vidisse,  
in Musæo Domini de Flans Rupellæ Pisces, qui dicitur Luna  
maris magnitudine cubitali, qui mortuus fulgore coruscabat,  
& retur etiam à Gesnero, & Rondeletio: De Dactilis lo-  
quens Plinius, inquit; His Natura in tenebris, remoto lumine,  
alio fulgore clarere, & quanto magis humorem habent; late in ore  
mandentium lucere, in manibus, atque in solo, ac veste decidentibus  
guttis. Idem confirmat Lipfius.

*Dattilus illustrat radiato lumine Pontum.*

*Suppositus mente, lumine mensa nitet.*

Idem D. de Moyconnijs, asseruauit ampullam plenam hu-  
more ex ijs expresso, qui per noctem integrum coruscavit;  
cumque voluistet illum ad stillicidium vocare, lux evanuit.  
Dominus de Viù scribens ad Dominum Auzout, asserit, inue-  
nisse in Ostreis, & Microscopijs explorasse tria genera, seu spe-  
cies Vermiculorum: Prima fuit albida, habens virinque singu-  
los 24. aut 25. pedes bifidos, ex uno capitis latere apparebat ni-  
gra macula. Dorsum simile Anguilla exuuijs denudata. Se-  
unda rubra, cui sunt plurima plica in dorso pedes non absimiles

Lib. 1. de  
Anim.

Tom. 1.  
Intra pag  
439.

De lunar.  
pis lib. 15  
de pis c. 7.  
Lib. q. c. 69

In diæs  
erudit. 31.  
març, 1566

prio-

prioribus, oculos in capite unus. *Tertia species variegata, habens caput simile soleæ, multosque cirros pilorum albicantium à lateribus, Piores duas species ex materia constant facile corruptibile, & vertuntur in materiam glutinosam, & aquosam, quæ decidens ex Testa lucebat spatio viginti secundarum.* Eiusque lux erat violacea non absimilis sulphuri accenso. Observauit insuper tunc Vermes illos coruscare, cum Ostrea excussa, ipsi deciderent, & irritatos, vel lucem non effudisse, vel quasi momentaneam breuique illo spatio, vna cum luce vitam deficeret.

Vidit Cardanus in spinis nonnullis piscium in mari Britanico Scotiæ lucem, & carboni accenso consimilem ad quinque dies fulgore protractum Georgius Margrauius narrat de Pisce, quem Brasilienses Iuruuapebani appellant, seu Itaiaram; de Crustatis Leo Allatius, qui ad Licetum scribens, dixit: ad illorum lucem potuisse characteres legendō percurrere. De Rubri maris Ostreis Ælianuſ refert, & de Pisce, quem pulmonem dicunt obſeruauit Bellonius, de Lucerna verò cecinit Lippius.

*Est mihi Lucerna pisces, quod lingua refulget.*

*Si noctu aspicias, lumina vera putes.*

Et Malatesta.

*Questo quando d'estate più serena  
Splende la notte, e l'onda più tranquilla  
Vibra la lingua sua, da cui balena  
Vn fulgor, che sù'l Mar spesso sfauilla.*

Delphini oculos in confirmationem Oppianus afferit, & de uonnullis immanibus Cætis Olaus Magnus, quorum oculi in circumferentiam cubitorum decem extendebantur, & de pupilla vna ex ijs, quæ rubrum, & flammeum colorem referens à longe in tenebris temporibus inter undas veluti ignis accensus plicantibus appetet. De Sarmatica Cochlea præter Teuctum, testatur Percus.

Iam verò tam prodigiose lucis causam inquirens præfatus Bartolitus, confutat reliquas, quæ à multis circumferuntur rationes. Atque in primis cuilibet contradicit, qui dum lucem, ab Animalibus emanantem, tanquam miraculum admiratur, eiusque Auctorē Deter solūm esse sibi suadens, excludit ab eius confortio Naturam. Secundò loco contradicit agnoscenti huiusmodi effectum à Cœlo; cum hoc sit causa extrinseca vniuersalis, & inuicta, potens disponere corpus interius, illudque alte-

Hist. nat.

Opus. de  
pisc c. 5.

Liber. hist.  
nat. sept.  
c. 5.  
Per lib. 24

alterare, remoto humore impediente, quemadmodum ex Plinio nouimus, plantam Nigretum diebus triginta exsiccatam ad Lunæ lucem fulgere; & lucem commodare, ut euenit in Bononiente lapide minerali. Neque subsistit Georgij Reischij doctrina, asserentis lucem animantibus communicatam ab igne; hoc enim posito, posset ut ignis extingui ab aqua. Itaque in examen vocat: An imme diata lucis huiusmodi causa sit putredo, c. 10. ut asserit Aristoteles; quamobrem multa ligna pisciumque nonnulli non lucent, antequam putrescant. Et Galenus: Equidem vidi, inquit, Columbarum stercore, ob putredinem accensa arsisse. Idem de Lan pyridibus Esichius affirmit. Lampyris est animalculum, ex stuppa, seu farmentis natum sine dukio propter putredinem antecedentem. Verum ita philosophando, obvium non est explicare modum, quo ex putredine oriatur splendor. Existimant nonnulli gigni ex calore atque humiditate; nempe hic excitatur ex humidis densisque corporibus, sicuti frumentum ac fænum incalescunt facilius, si humescant, quam si exsiccentur. Quare docet Varo, in curandis equis ne rrgulas comburat sterlus in stabulis cauendum est. Verum hoc sustineri non potest; si enim in causa eslet putredo, videremus in omni parte pinguis corporis putrefactioni obnoxij lucis generationem; & quia nobiliorem seipsa effectum causa generare non potest, inquit Bartolinus: propterea ex putredine lux oriri non potest. Putredo igitur id solum esset, ut in sua principia resolute composito, vel ad minimum à stricta partium ratione laxato, latentia lumen semira ob elementorum mistionem, suppressa quidem non genita libertati suæ reddat, quo pacto à putredine sciuncis partibus alicuius compositi infecta non pauca ex ijs seminibus antea semifepultis generantur; propterea non ex quocunque mixto inest propria mistura apta ad splendorem. Multò minus id dici de Bellanis potest, quia illorum humor, antequam putrescant, coruscat, immo ijs corruptis, corrumpitur Lux.

Excitatur aliquando flamma, & lux, ex attritu duorum corporum, ut ex calybe cum silice, & ex arboribus vento agitatis, mutua dum inter se ramis stirpesque teruntur; nempe motu illo excitata inflammam spiritosa substantia, sic conficitur equis, & ex eorum pelle sublatis fulginosis excrementis, prorsque cutis apertis, evaporant spiritosæ partes in scintillas, quemadmodum etiam ex Felis pelle. Ita in puella quadam, Faber obseruasse se dum pectine crinem euolueret, decidi duas

Lib. io.  
marg. phis.  
los. tactis  
c. 10.

Lib de af-  
fect misto-  
rum lib. 2.  
de morb.  
De Lampi-  
ridum ge-  
nerat,

Lib. 2.  
c. 30.

Lucret. I. 5

Pall sparg  
c. 14.

duas in eius sinu scintillas , quasi cadentes stellulas ; quo portento Puella perterrita, deliquum subito passa est , mox animo erecta, vbi ab eodem Fabri portenti causam exceptit . Verum hæc etiam causa extranea est , neque afferri pro Ballanis potest fulgurantibus, etiam si nullum patientur attritum .

Suppono propterea quod afferit Bartolinus in singulis corporibus lucem aliquam contineri, concludique à generante . seu producente congenitam , quemadmodum in silicibus , inquit Virgilius .

Encl. I.6

*Queruntur semina flammæ.**Abstrusa in venis silicis.*

Quæ pro opportunitate loci, temporis , & conditionum se prodat (prætermissa hic quæstione, utrum actu, vel virtute, flamma, illa contineatur) & nono Problemate idem Bartolinus afferit hanc obseruasse, vel in ipsa maris aqua, ex qua educto strophio- lo, aquis immerso , noctu erumpere fulgor ; quod ipsi argumento fuit , in ea imbibitum esse humorem oliginosum , sulphureum, falsumque facile abeuntem in flammarum, qua de causa dixit Aristoteles : Aqua Maris difficilius ignem suffocari.

Sect. 23;  
Probl. 15.

Inditis ergò , & immistis saxo ; quo generantur Ballani nitrosis sulphureisque spiritibus , quod enīci potest ex eo quod ferro in frusta concisum , mineralē odorem exhalat quasi cornu in igne vsti : dicendum est , Ballano ipsi immistos esse huiusmodi spiritus, eodemque aquis educto , & sublato impedimento densi , & frigidi ambientis, eos facile erumpere , & quia ex constitutione Naturæ facile concipiunt ignem , vel ex tenui calore aeris , per quēm transeuant , vel ex motu ipso, quo transpirant, accenduntur , & lucent , eo pacto quo super cœmeteria , & cadavera pendentia ex patibulis, ignis ille appetet, qui à Meteorologicis dicitur : *Ignis fatuus*, & *ignis lambens*, compactus fulmisitate subtili , & exhalatione viscosa , ex ratione consimili accentu splendentemque .



## PROBLEMA XXXV.

**C**ur in tanta colorum varietate, Cochleas pi-  
cturantium, Cæruleus nunquam  
appareat?

**C**olor, vulgo dictus Cyaneus, vocatur etiam Ultramarinus,  
vel quia, ut existimat Brasavolus intensior est illo, qui  
apparet in mari tranquillo, vel quia ultra mare querendus est,  
ut placet Fallopio. Imò à Latinis dictus est Cæsius, & Cæruleas,  
ut notat in Commentarijs super Martialem Perottus, ex  
eo fortasse, quod cum cælestis substantia appareat, vix in terra,  
nunquam, vel rarissime reperiatur in mari. Verum quæcumque  
tandem sit nominis Ethimologia, illud certum est, mille-  
nas inter Cochleas, & Conchas; quas ex diuersis maris sinibus  
potuit mihi expiscari amicorum industria, & amor, & ex omni-  
bus quas in tot Musæis inspexi, aspergas maculis, variegatas,  
testellatas, infectas tinturis innumeris, fascijs, & coloribus pig-  
mentatas; nullam unquam depræhendi, quæ se ostenderet,  
Cæruleo picturatam. Quamobrem rationabile dubium me  
occupauit, ac impulit ad indagandum: cur color huiusmodi,  
neque in Conchis, neque in Mari appareat.

Non me latet indagare Naturam, Originemque colorum  
esse: omnium Philosophiae partium difficultiam, ut Scaliger ad-  
notauit: temerarium tamen non est, circa id philosophari;  
cum non sit impossibile scitu, id totum, quod est difficile ex-  
ploratu, atque ut alibi diximus: sterilis est voluptas contem-  
plandi Naturæ opes, ubi ad illorum causas indagandas non  
progreditur ratiocinatio. Igitur antequam ad Officinam co-  
loris cærulei iter insternamus, ne à recto tramite aberremus,  
obfirmanda sunt nonnulla, quibus altero veluti pede possi-  
mus consistere, altero fælici tramite ad terminum usque  
progredi. Reiecta igitur primò, ut falsa sententia Epicureo-  
rum, atque Athomistarum, qui in absentia lucis, negabant esse  
corpora colorata, affero cum Peripateticis: colores luce qui-  
deni detegi, non tamen semper luce generari. Sunt hi sæpissi-

Apud Ber-  
nard. Cæ-  
sius de  
mineral-  
iis. sect. 5.  
n. 291

Sect. 325.  
Cœura  
Card sect.  
so,

mē qualitas inhārens, permanens propriaque rei coloratæ . Pro priam dixi, ac permanentem , cum aliquando accidentalis sit ex diuersa commissione proueniens , atque ex mera dispositione partium diuersa , color vnu abeat in aliū , omnino oppositum , vt in præclara experientia , tunc adnotauit Boiles , cum per vitrum abraſo nigro osſe in stamina tenuissima distracto, illo-  
rum massa apparuit alba , non secus, ac papyrus ipsa, & cæruleus puluis, flauo commixtus , in viridem colorem euasit . Aliquando etiam accidentalis est , quia agente extrinſeco potest facilè variari . Ita mutatur color in Calybe, igni attemperato , abiens ex auro ad rubeum , ex rubeo ad violaceum . Ita admotis igni Conchis Pectinibus : præclarissimis coloribus infectis , vidi ego, colores euanescente, & purpurinis, flauis, & violaceis substi-  
tui colorem pallescentem , & cinereum . Qua de causa Aristoteles innuens colorum materiam : Porrò, inquit , quæ tinguntur omnia colores à tingentibus sumunt , multa enim floribus è terra nascentibus, & radicibus tinguntur, & corticibus, & lignis, & folijs, & fructibus ; præterea multa terra , multa spuma , multa & atramento ; quin etiam nonnulla Animalium succis , alia vino , quædam fumo, alia lixiuio , multa mari , cœn pili maritimorum ; etenim bi à mari rufi euadunt ; & alibi , ultimi huins effectus causam inquirens, dixit : Vtrum, quia mare sua falsugine calidum & squallidum est, tale autem quodque pilos conficere rufos potest, vt lixiuia, aut aurii pigmentum . Ut nono capite aduertimus , de coloribus in vniuersum loquentes . Atque mutationis huiusmodi fiunt in coloribus , quibus delibuta est sola superficies , vt inductione fructuum, calore Solis, ac tempestate maturescantium, ibidem adnotauimus, & in ipso calybe, vt viola colorato , manifestè apparet, si per medium frangatur . Aduertendum secundò, colorem permanentem proprium, vt in gemmis, quem semper videimus rubrum in Pyropo , viridem in Smaragdo , cæruleum in Sapphiro , prouenire præcipue ex admistione humorum materiaeque vniuersæ , quibus componuntur, aut aluntur corpora colorata, vel sint Mineralia, vel Gemmæ, vel Glebæ, vel Vegetabilia, vel Animalia .

De color  
par. 2. c. 14.

Lib. de co-  
lor. c. 4.

Sext. 18.  
Probl. q. 2.

Quæ autem sint magisteria , alterationes , concoctiones , viresque Naturæ , in hoc opere nobilissimo pingendi , diximus arcanum esse solis Angelorum intelligentijs perium , cum tot ipsa, ac tam varia fint gradu numero, & excellentia, quam multi colores discoloresque tincturæ sunt , quibus creatæ substantiæ

## PROBLEMA XXXV.

259

apparent infectæ. Posse tamen à nobis principes causæ agnoscí, quibus Natura vtitur, tanquam officinatoribus ad corpus omne coloribus imbuendum. Persuasum sibi voluit Paracelsus, idque in examen vocans, iuxta artis chimicæ magisterium, agnoscendo in rebus omnibus tria celeberrima chimicæ principia hypostaticæ: Salem, Sulphur, & Mercurium, scilicet Salis nomine spiritum acidum corrosiuum; Sulphuris verò spirituū siccum, ac penetrantem, ac tandem pro Mercurio, vaporem humidum, ac tenacem docuit: *colores omnes ex sale prodire; quandoquidem Natura colores protrahit ex sale, cuique speciei dans illum, qui ipsi competit, tandemque concludit: itaque quippe rerum omnium corpora cognoscere vult, huic opus est, ut ante omnia cognoscat sulphur, qui desiderat nouisse colores, is scientiam istorum petat à sale, qui scire vult virtutes, is scrutetur arcana Mercurij. Sic nimirum fundamentum hauferit misterioram in quolibet crescenti indagandorum, prout Natura cuilibet speciei ea ingessit.*

Alij figuram corporum Sali tribuentes, vt dictum est Problemate XIII, colorandi facultatem proprio sulphuri tribuunt, hoc est alteri ex principijs componentibus mista, in quæ singula poslunt resolu. Neque fallax meo iudicio est argumentum ab experientijs depromptum, atque ne alibi exposita, iterum prodeant in scenam, audiamus Chimicos philosophantes ad experimentum Feburij Chimici Angliae Regis, qui: *salem Tartari lixiuum, eo usque prouexit, ut in vitrea cucurbita sublimando, altè exurgens germinatissimam vuam ( si colorem exceperis) mira similitudinem referret. Quid ergò mirum (ipsi dicent) si una cum Vuæ figura, Vuæ color non gignitur? Pendet hic ex sulphure, illa ex sale. Primum maxime spiritosum subtileque ad omnem segregationem, vi ignis effectam, se subtrahens, totum euanuit in tartari calcinatione, alter verò constans parte magis terrea, ac pingui subsidit in cineres.*

Si ratiocinationem hanc longius protraherem, extra propositum argumentum abducerer, neque cursim Auctorum sententiaz in diuersa distractæ exigi poslunt ad trutinam. Imò, vt aduertit P. Bartolus: *Impresa dalle più celebri Academie de Letterati, che boggidì fioriscono sarebbe: l'applicar concordemente per alcun tempo l'ingegno, e la mano intorno à questa sola specie di lauori, che tutta è della virtù formatrice de sali, facendone ogni possibile varietà di sperienze rettificate, e sicure. E ne habrebbe il Mondo non senza gran merito, e pari gloria degli Autori,*

DelGhiac  
eo f, erie  
za 21.

*vna delle più splendide, e misteriose parti della Filosofia naturale.*  
 In re nostra satis est scire: Coiores multos ex Salibus profiliere, quod curiosis experimentis intimè prospexit Boiles. Percurrat noscendi cupidus eruditum tractatum, quem de coloribus inscripsit; cum ab instituto meo maximè alienum sit ab alijs euulgata in paginas nostras transuehere, sed illud solùm inquirere, quod alijs, vel menti non accedit, vel calamo non excidit, nempe: cur cæruleo colore non appareant Cochleæ pigmentatae? Antequam cominus rem attingam, præmitto id quod contra Paracelsum Boiles idem aduertit: Nempe, vniuersalia principia ad obfirmandum veritatem indagatam, inniti experientijs non posse, adeòque sales non sufficere ad generationem colorum, cum hi, pendeant à Natura corporum singularium, quæ pinguntur à salibus quod euidenter ostendit, quando uno eodemque spiritu acidi salis flores nonnulli crocei coloris subalbum induerunt, & croceus flos Rubbiæ evasit in rubrum. Sic eadem vi exsiccatiua ignis colore rubeo lateres imbuuntur, cinereo lignum, croceo plumbum, ferrum violaceo, quod Sancto Isidoro argumentum præbuit existimandi colores perfici potius calore, quam generari, ideòque ait *Colores dicti sunt quod colore ignis, vel Solis perficiantur.*

Exper. 27.  
28.

Lib. 19:  
Agricola

Lib. 5. de  
re metalli.

His prælibatis, quasi ex limine progrediar ad examen coloris cærulei. Apparet hic nativus in Fructibus, Floribus, Herbis, Liquoribus, Auium Pennis, atque Lapidibus, non tamen in testis Testaceorum, saltem non in eo gradu tincturæ exuberantis, vt in Floribus, Pennis, Lapidibus; atque, vt hoc arcanum Naturæ intimè perscrutetur pulcherrimus est in Saphiro, Orientali gemma, quam Indi Calecutani, Cananores Zeilani, & Peruani, apud quos generatur, Nilaum appellant; apparet in lapide Zaphirino vulgo dicto Lapislazulo, aut Turchina. Atque huiusmodi lapides, teste Plinio Theofrasto, & Discorde Autoribus crudissimis, & accuratis Naturæ indagatoribus, gignuntur in Metallorum fodinis, ac præcipue cupri, auri, & argenti; quod adeò certum est, vt Agricola signum infallibile dicat auri, vel argenti ibi esse, vbi cæruleus apparet in terra. Et quia Zaphirinus auri, vel argenti venis semper internitet, Melues illum inter stellatos lapides numerauit. Ità in Silesiæ Oppido, quod Golderbergum à vicino monte auri ferace dicunt, perfectissimus gignitur. Propè Cyprum in cauernis, matis impetu excavatis refert Agricola vna cum feracibus metalli venis gigni.

Iam

Iam verò si in foliis metallorum Fodinis, & non alibi generantur lapides, cæruleo illustrati, dicendum consequenter est, inesse ibi materiam, aptam ad colorem hunc producendam, cui à raritate pretium augetur. Existimauit Agricòla huins generationis materiam esse metallum ipsum, & cæruleum tunc gigni, quando spiritus aliquis salis acidi, & corrosiui illam corredit, & quemadmodum inquit ille, si succus vehementer acidus conclusus circumsteterit æris materiam ipsam erodens eruginem efficit. Ad cuius generationis experientiam Natura nos excitavit dicimusque confidere tam eruginem rasilem quam cæruleum. At que vt hoc dilucidè appareat, digna sunt, quæ in Theatrum dedit experientia, variisque modi, quibus ars extra fodinas tam illustrem colorem comparat sibi. Et primò quidem extrahitur ab argento, si argenteæ laminæ Mercurio prius immersæ ponantur in vase, vna cum sale ammoniaco in quantitate non exigua diluto aceto, ita tamen, vt laminæ non sint vasi immersæ; mox obturato per dies aliquot vase tumuletur sub stercore equino, ut Cardanus docet, ijsdemque tandem è stercore illo tumulo erutis, eradatur Tartarum illud, quo apparent circumuestitæ, quod aqua pura ablutum, postquam igne prius incaluit, in cæruleum nitidissimum transit. In arte vitraria aliij sibi comparant Mercurio, Sulphure, & Ammoniaco sale, igne calcinatis, quo usque cæruleus famus euaporet. Conficitur nitidissimus æris ærugine, vna cum Ammoniaco sale, sterquilino sepultis, & quidem mihi contigit id obseruare, quod postea adnotatum ab Aquilonio innueni, nempè æris æruginem aceto acidissimo, & ammoniaco sale ebullientem, cæruleum induere, & viriditatem suam omainò desperdere; gignitur etiam ex laminis æris, infusis oleo ex Calchantho, vrinæ spiritui immisto; aqua ex viua calce sale ammoniaco diluta, intra vas æneum collocata cæruleo colore tingitur. Laet, qui hoc docet, addit: per elambicum distillatis floribus Anthemidis, vna cum spiritu Terebinthi, salis ammoniaci, & aquæ in vase æneo apparere innatans aquæ oleum simile oleo ex saphiro, eumque colorem ex sale ammoniaco prouenire, qui ex ære fugens colorē, oleo commiscet. Igitur ex his omnibus experimentis, & artis industrijs argui potest absconditum magisterium Naturæ, cuius peritia, vel in eo maximè sita est, vt scitè applicet actiua passiuis instituta verò quamvis præ manibus habeat rerum causas ipfi ignotas, effectus quamplurimos arti inter-

Lib. 3. d.  
ortu caus.  
subterr.

Lib. 5. d.  
subtil.

Agric. 9.  
de nat.  
fossil.

Opticii  
prep. 39.

Laet. 1. 21  
de gem.  
c. 43.

dicit, qui ex diuersarum rerum applicatione resultarent. Quamobrem sentiendum est, ad generationem cærulei in lapidibus, requiri semper combinationem materiæ metallicæ, salis acidi, corrosiui, & potentem calefactionem, vel ea fiat vi ignis, vel spirituum sulphureorum, & salnitrosorum in opportunitis circumstantijs calorem facile concipientium; atque hoc ita obfirmato, statuitur Opinio Vvillis, affirmantis ex sulphuribus pendere colores. Iam verò si ex terra nos transferamus ad mare, hic sine dubio frustra inquisitio fiet de colore cæruleo in lapidibus, & in septis Testaceorum, quæ conueniunt in pluribus cum lapidibus. Si cæruleus lapidum necessariò supponit metalli alicuius generationem, vt ex adductis experimentis constat; in eo certè metallo requiritur calor penetratius materiæ dispositæ, potens illam concoquere, fermentare, & in metallum tingere ad mensuram dispositionis, quæ inest metallo, in quo operatur. Atque hic calor à Chemicis dicitur Sulphur, quo nomine iuxta mentem Aristotelis intelligitur vapor siccus, & spiritosus, qui etiam Auripigmentum dicitur à Gebro, & se quacibus, vt aduertit Falloppius. Et quia hoc sulphur non reperitur in Elemento Aquæ, humiditate, & frigiditate sibi con genita illud dissipante, ac penitus extinguente, excludit etiam ab Elemento illo generationem omnem metalli, adeoque tinturam omnem cærulei in corporibus, vasto illo Elemento absconditis.

Verum quia apparet ex dictis spiritus acidos, corroden tes, & falsos conducere plurimi ad cærulei tinturam, quandoquidem ex qualitate metallicarum defectu fieri non potest in mari tinctura exuberans saphiri, examinandum superest: cur saltē in gradu magis remisso gigni non possit in mari, unde quaque acido, & salnitroso, adeoque Testaceorum feraci, qualis apparet in fructibus nonnullis, in plutimis floribus, & in varijs aurum pennis.

Parem explicatae questioni difficultatem patitur du bium hic propositum, atque intimè inspectis vastissimis offici nis, in quibus qualitates, quas occultas dicimus, ut potè intel ligentiae nostræ non perceptibiles, operantur magisterio artis ratiocinationem nostram eludentis, subscriptissimæ, manusque, dedisset Aristoteli, vbi dixit: *Quemadmodum Vespertilionum oculi se habent ad lumen diei, ita intellectum animæ nostræ ad ea quæ omnium sunt manifestissima se habere.*

4. Meteor.

De re me tal. c. II.

Metam.  
c. I,

Re-

Referunt sœpè corpora omnia proprietatem Solis , eò magis luce sua imperuij obtutibus , quò magis peruia oculis illa est ; Iam verò si cæcūtimus in Sole , vt quidde coloribus iudicarem ? Prouidentissimè constituit Deus , humanum ingenium supra se , & supra omnia eleuatum deprimi pondere , ignauiax suæ , quam experitur maximam , vel in quoouis exiguo Naturæ opere , etiam cum illud aggreditur exertis omnimodis conatibus philosophandi .

Magistra tamen experientia , vel in nubilo , & in tenebris multa dignoscimus . Hæc autem docuit me , cæruleum quemlibet ex aliquo minerali metallico expresum ; comparari semper , tum ab Arte , tum à Natura , medio aliquo corpore falso , & acido : sicut autem verum est hisce corporibus comparari ; ita verissimum est in alio quocumque corpore destrui ab his colorem huiusmodi . Mihi hoc manifestè innotuit cum diuersis quatuor liquoribus , acido , falso , & corrosiuo , nempe succo mali limonij , aceti , vrinæ , & aqua ex salnitro confecta . Singulis adspersi uno eodemque tempore , mox seiunctim particulam Bombycini cærulei , pennam colore cœlesti nitidissimam , exiguum quantitatem Indici , nempe succi ex herba Gasto , cum modico pulueris cærulei , quem communiter Encaustum dicunt , conflatum in officinis Vitrarijs ex laminis æreis . Iam verò ab hisce corporibus salis , & corrosiuis , destruetus omnino fuit cæruleus proportionato tamen temporis interuallo pro minore actiuitate cuiuscumque , præterquam in Encausto , qui suum semper colorem retinuit imò nitidiorem imbuit aqua forti immersus , quæ vt potè vehementior , cæruleum consumperat in penna , in Indico , & in Serico . Eamdem Metamorphosim in Floribus obseruauit Boiles , cum repetitis experimentis edidit : violæ cæruleæ succum mutari in rubrum ex salibus acidis , nempe ex salis spiritu , calcantho aqua salnitrosa , aceto , & salibus volatilibus Animalium nempe ex spiritu cornu ceruini , vrinæ , salis ammoniaci , & sanguinis , quemadmodum etiam ab alijs salibus alcalizatis color ipse viridis transformatur .

Supererat examen liquorum , qui cæruleo imbuuntur à corpore aliquo , nullo adiutore metallo . Quando autem mihi ex proxinio comparabam voluptatem illam , tunc perceptam , cum experientia magisterio edoctus intellectus , aliquid de novo addiscit , inueni illam mihi comparatam à præfato Boile , didicique vrinæ sale suffuso , colorem flauin aquæ impertiri ,

Experim,

801

qua

quæ antea ex calchantho cærulea apparebat. Præclarior visa est mihi aquæ transformatio cæruleo infectæ ex ligno nefritico mirabili. Mexicanæ apud quos nascitur, dicunt illud Coathl,

Art. mag. ac Zlapazathi, & præter Kircherium dicit Monardus illud ipsum  
luc. l. 1. c. 3 quod ego conspexi, nempe, infusum aqua dimidia hora post  
Nic. Mo- nard. lib. iniectionem lignum, aqua cæruleum colorem contrahere, qui sensim  
Simpl. ex intruditur pro temporis diurnitate, tamensi lignum candidum sit.  
Indic. c. 17

Hanc inquam aquam vidit Boiles flauum contrahere modico aceto infuso; mihi autem limpida prorsus apparuit, ut antea, cæruleo penitus euanescente, immixtis paucis guttis spiritus salinitri. Non contentus primò experimento Boiles, aquam illam elambicco dittillavit, quæ limpida egressa in elambicci fundo nitidum cæruleum subsidentem reliquit, sed eodem accido aspersa, flauum repente contractit.

Ex his omnibus accidentibus, ac transformationibus obseruatis in cæruleis coloribus, quibus fuere imbuta pannii, flores, herbæ, liquoresque, video mihi habere præ manibus argumentum sufficiens causæ, cur in Testaceis non appareat color huiusmodi? Non solùm hæc sale maris sepulta sunt, sed confata ex materia multiplici salsa, nitrosa, acri, & corrodente, tam in testis, quam in carnibus, videlicet plena qualitatibus oppositis generationi coloris huiusmodi ex raritate sua pretiosissimi, postulant autem solùm apparere ijs omnibus coloribus picturata, quibus non contradicit, imò maximè confort spirituum salnitralium Natura. Interroganti verò. Cur hanc potius, quam aliam speciem induant coloris, siue ex sulphuri bus, siue ex salibus, satisfacerem responso allato à Boile, accuratissimo omnium indagatore Colorum Naturæ, nempe; Responsum dare, quod satisfaciat meum ingenuè fateor incaptum hæc tenet supergreditur?

Experim.  
40;



## PROBLEMA XXXVI. &amp; Vltimum.

An à Cochlea Venerea , quam Echeneidem ,  
seù Remoram dicunt , possit Na-  
uum cursus retineri .

**O**Mnes conueniunt : Viuere in mari Remoram , quam Græci *Echeneidem à retinendis nauibus* dicunt , Latini verò *Remoram à Remorando* . Non omnes tamen in eius descriptione conueniunt . Mutianus post narrationem Nauis à Periandro expeditæ , vt in secunda parte relatum est , in medio cursu , seù improuisò retentæ , dixit , prodigiosum hunc effectum tributum fuisse , vni Cochleæ . quam ipse Muricem appellat , verum dum asserit : *eam latiorem purpura , neque aperto , neque rotundo ore , neque in angulis producente rostro , sed simplici Concha utroque latere se colligente* , inde arguit Rondeletius , fuisse Vencream descriptam à nobis num. 231. Clas. 3. Plinius cum narrasset : Lib. 32. C. 3. Nauigante Antium versus (nunc Neptunum dicunt) Caio Cæfare Caligula in triremi , quam remiges quadringenti impellebant , addit : *cepit stare nauigium* : cumque plurimi sese propriuissent in mare , ad causam tam improuisi euentus inquirendam : *circa nauim pesciculum inuenere adherentem gubernaculo , ostenderuntque Caio , & alibi* : relata mora nauis Antonij pugnatoribus eius suppetias ferentis , dicit : *Qui tunc postea videre , de eodem pisce loquens , eum Limaci magna similem dicunt* . Affirmant alij cubitum magnitudine excedere , & Aristoteles cum esse ex genere Piscium inter saxa viuentium .

Dubium omne ex animo abrasisset , si figuram illius , & lineamenta adumbrasset . Verum fuerit hoc neglectum , vel ex incuria , vel ex imperitia , nobis ille cæco quodam modo est indagandus ; atque in tanta euentuum diuersorum varietate , nil aliud certè nobis afflatur nisi . Remoram pesciculum esse , tanta vi præditum , vt torporem , ac moram iniucere ingentibus etiam nauigijs possit .

*Parna Echeneis adest , mirum ! mora pupibus ingens , Cecinit Ouidius , euentum adest insuetum admiratus , sed non ,*

ultra progressus est ad discentiendum. Vtrum euentus ille veritati innitatur, & quo id pacto possit contingere; Plinius existimat non posse rationem asserri, euonque effectum, *sponite sua, occurrere, immensum potentie occulte documentum.* Scaliger etiam occulte id tribuens qualitati, dixit, Temerarium esse illam inquirere. Quidamnam enim terra in centro constituit Mundi, *ponderibus librata suis,* Cœlum vero sua semper vertigine circumfertur; ita quibusdam corporibus inest potentia mouendi, ut in magnete ferrum mouente; alijs vero inest principium quietis impertinere, inter quæ Echeneis recepsenda est, quo pacto pescatoris manum torpedo reddit immobilem, quamuis non illam attingat. Quod si non queritur: cur frigus opponatur calori: ita inquirendum non esse; cur corpora habentia in se principia motus, & quietis, alia motu impellant, alia quiete sistant. Detur totum Scaligero, negare tamen ille non poterit: haud frustra inquiri: Num piscis huiusmodi possit has vires exercere; dum non ita omnibus obalum est, ab eo naues sibi, quemadmodum calorem oppositum frigori certum est apud omnes.

*Gilliis* curiosus indagator Piscium Naturæ, de Echeneide loquens: *Echeneidem, inquit, non vidi, neque ex quantumlibet infinitis perennatus sim, quemquam pescatorem inuenire potui, qui hunc ipsum hoc etate viderit.* Adamus Lonicerus abiit in eamdem sententiam, additque (an apud se verum deputauerit: an vero ad ingeniosè disputandum sibi reseruauerit incertum) stetisse Periandri, & Caij Cæsaritis naues, Remora detentas, præ sagium suis euentus futuri; quamobrem stetit altera, inquit ipse, *tamquam indignum indicante Natura homini id quod conseruationi ipsius donatum esset auferri.*

Altera vero quia eadem Natura optabat (futura Cæsaritis cæde præcognita) ab ipso malum auertere, atque à cursu infasto, & infelici reuocare. Verum hoc est humiorum euentuum arbitrium, & imperium Fato, & Fortunæ committere, quod Etnicum est, cœloque elementari mirabiles illas virtutes tribuerit, quæ tam varijs euentibus vitam distinguunt à primo, & inauspicato nascientis momento, exindeque prædictione antenuertere, quæ postea respondent euentu, spectra, & umbras quasi venari, funestorumque euentuum terrorem anticipare; philosopho non deliranti incumbit studium, intimas rerum fibras scrutandi, ut è propinquo veritatem qua fieri potest inspiciat, nec

pro libito fabulari credula facilitate amplectendo quidquid se  
menti offert veritatis larua personatum. Proponit hoc Pro-  
blema Aristoteles, disquirens: qua vi pisciculus tam exiguus  
possit, tam ingentibus nauibus moram iniijcere? Atque hoc  
supposito tanquam certo, conatus est, dubium omne paritate,  
diluere, quæ in ipsa Naui sese offert. In ipsa, inquit ille, tam  
exiguæ molis gubernaculum minima vi circumactum potest  
nauem totam dirigere, & contorquere; in eaque non immoto  
gubernaculo, sed hinc inde conuerso sistitur motus, & cursus,  
atque in vniuersum verum est. Motorem collocatum in extre-  
mitate corporis moti, posse mouere facile partem alteram eius-  
dem corporis, atque hoc non aliam ob causam. Nisi quia in  
rebus se mouentibus, prima pars fertur celerrime in extrema  
motus remissione, quo pacto in ijs quæ feruntur in fine cessat im-  
petus, vndè potest facile remoueri, ac retardari. Ita clavis insi-  
gitur puppi Nauis extrema, quia potest facile contorqueri,  
& idcirco puppim mouere, quæ incitatur motu tardiore,  
quam Prora, ac propterea minus renitens motori; quo sit quod  
Prora moueat, & ipsa ad motum gubernaculi in puppi. Ex  
his omnibus infert Philosophus: posse etiam Echeneidem Na-  
uis gubernaculo adhærerere, & perniciitate motus huc illuc impel-  
lendo corpus ipsius, ambiguum motum proræ imprimere, quo  
nauis cursus non parum retardetur.

Bene est: detur hoc Aristoteli, non ideo ex ratiocinatione  
illa euidenti argumento concluditur de Echeneidis vi, contra-  
dicente historiarum fide. Plinius ait: circa nauim adhærentem  
gubernaculo, inuentam fuisse Remoram. At Cardanus afferit:  
cursum illi inhibuisse, fundo inhærentem; Plutarcus vero lateri.  
Neque soluni afferitur: cursum nauibus inhiberi, sed immobi-  
liter sisti. En ex ipso Plinio descriptam historiam: Purus ad-  
modum piscis Echeneis (ruant venti licet, & procellæ) imperat  
furori, viresque tantas compescit & cogit stare nauigia, quomodo  
non vincula villa, non anchoræ pondere irreuocabile iacta. Infrac-  
nat impetus, & domat Mundi Rabiem, nullo suo labore, non re-  
tinendo, aut alic modo, quam adhærendo, & Cassiodorus: In-  
dici maris Conchæ simili potentia, labris suis nauium dor-  
sa finixerunt, quarum quietus tactus plus dicetur retinere, quam  
exagitata possint Elementa compellere. Stat pigra ratis sumenti-  
bus alta velis, & cursum non habet, cui ventus arrideret, sine anchora-  
ris figitur, sine rudentib us alligatur.

In mechani-  
cice.In sympo-  
sio.Lib. 9. c. 25  
lib. 32. c. 2.Lib. 1. va-  
riat.

Problema hoc fusi s examinauit in Academia Phisicomathematicorum Romæ sub sapienti directione Illustrissimi Praefatis Cianipini P. Franciscus Eschinardi Societatis Iela , qui attente aduertit : Tria in aliquo corpore impellendo requiri . Primum aliquo pacto coniunctum esse potentia mouenti . Secundo mouentis partes inter se unitas . Tertiò motorem esse immobilem , & inhærentem alteri corpori immoto . Supponit ulterius . Non posse à mouente exerci vires maiores ullis , quibus resistere valeat extreum illud corpus , cui innituntur vires illæ , idque præclara sanè experientia demonstrauit ; eum æquilibrato aequali pondere , & homine , utroque pendente ex Trochlea , quamuis ille conatum omnem exhibuerit , eleuare nunquam potuit pondus seipso maius , nisi quando immotæ Trabæ pedes infixit . Hinc non est damnanda iactantia , quæ imponitur Archimedi , cum danti vaicam paluani corporis extra Mundum immoti , quo pedem figeret , fidem suam oppugnauit , fore ut nou terram solùm suo è centro diuelleret , sed Mundum vniuersum impelleret . His ratiocinando prælibatis , argumento procedit , tandemque concludit . Non posse Remorauitum fisti , quamuis enim illa adhærere possit signo , ibique consistere sine partium suarum discontinuatione scissioneque , immobilis stare non poterit contra vehementem maximè impetum à nau , ventis , remisque propulsa , iniectum , aquis Natura valde mobilibus , & ex aquis transiuntem ad Remoram . Itaque si Matiani narratio vera esse non potest de Concha Venerea , cum ipsi aptari Aristotelis ratiocinatio non possit , iisdem de causis potiori iure non poterit dici de Pisces ab eodem exhibito .

Vnum superesset : Vtrique Remoræ nempè ac pisci memorato inditam suis virtutem consistendi contra omnem contrarium conatum immobilem , sine dependentia à corpore , cui ambo adhærent . Verum id contendere est aperte contra veritatem rationemque pugnare , docente experientia , etiam si depræhensa fuisset Remora illa , aut ille Pisces inhærens nauibus , quocumque vel leui manus conatu auelli facilè potuisse . Nam verò si manus vna potuit illam euellere , & à ligno , & à mari , an non poterit eamdem abstrahere impetus conceptus à Nau , validissimus ventis plenisque velis liquido Elemento inuestita ? Quamuis magnes ad se ferrum trahat , & arctissimo sympathiæ nodo illud sibi deuinciat , si liber pendet in aere , pote-

poterit utrumque à maiori vi huc illucque transferri pro libito . Ventis igitur propelletur tum nauis, tum Remora, quamvis hæc illi firmiter adhærescat . Neque narratio quæcumque rei prodigiorum debet fidem à Philosopho exigere . Verum quidem est, Sanctum Battuum, Sanctumque Ambrosium in ea memoranda nihil hæsitantes argumentum ex ea defumpsisse , diuinam potentiam ostendendi, tot modis participatam creaturis, dicente primo . Nonne in parvo hoc eamdem potentiam Conditoris significationem accipis ? & altero : An & huic putas sine Creatoris munere tantum potuisse suppetere virtutis . Verum in hoc fidem suam conditionatè manciparunt, & libertatem cuiuscumque fecerunt indagandi in his prodigijs veritatem .

Pro Conclusione Problematis digna est Plutarci obseruatio . Res nempe quamplurimas non esse causas accidentium, nonnullorum ijs annexorum, sed simultaneos effectus tertiarum alicuius concausæ, vel ignorantæ, vel difficultis indagationis . Ita Lucernæ lycno incubens fungus, non est causa pluviæ, sed utrumque sit, pluvia nempe, ac fangis, ex aeris addentatione, concretioneque vaporum, ita nauis, inquit ille, retardari potest ex nimia algæ, & mutri copia innascentis ; quæ de causa saepius afflictæ naues rec eam in expolianturque, atque intra mucrum, vel algam potest absco idem Remora, seu Piscis, seu Cochlea ibi genita, vel pabalo illecta, quod reperit . Potest etiam fisti nauis improuiso, & præcipiti aquarum decursu, internas aquas concitante, ut non semel accidit . Et in Ostio freti Marmertini naues optimè instructæ, dum propellebantur ventis incitatissimè vela omnia implentibus, repente visæ sunt fisti, cum occurrerent ad ambo aquarum fluentæ, atque exertis hinc inde pari conatu viribus, utraque in alteram admittente, & neutra alteram in contentione superante, omni penitus motu naues priuabatur .

Verum quia laciniioso nimis adhibito discursu hac super re mens euagaretur, satis est mihi abrupta longiore per yodo lacinijsque, ac velis contractis finem imponere, quadrigentis, & eo amplius speciebus diuersis indicatis, potius quam exacta delineatione descriptis, pluresque dubitandi rationes, & quidem non ad puerilem ludam insinuasse si non omni difficultate euolutas, & enodatas ad recreandum tamen sapientis animum attemperatas .

Etenim de aliqua materia scribere, eodem ferè modo fieri

*Id examer  
hom.?*  
*Examer  
lib g.c.10*


*Lib 2, simp  
1. ac prob  
7,*

*de-*

debet , quo conuiuium instruitur , in quo nec singula fercula comminuuntur in frusta , vel scinduntur in partes , nec omnia in vnam massam congesta apponuntur conuiuis . Sed pars aliqua manet vi aliqua conuiuantium denti scindenda , probandaque seponitur .

Et quemadmodum in conuiuijs indecora est ciborum penuria sic nimia copia fastidit . Quiamuis hic ab omni me nota vindicaret Plinij Iunioris lerido sale conditus apologeticus pro sua epistola longiore peryodo in multas paginas excurrente , ad Apolinem directa , in qua explicabatur descriptio ruris sui ad omnes delicias voluptatesque instructi : *Cum villam , inquit , oculis tuis subjicere conamur , non epistola qua scribit , sed villa qua describitur magna est .*

F I N I S :



# INDEX.

## A

- A** Qua aliquorum fontium cur facile laquidescat .  
pag. 200  
Animalia mole licet minima sapienter considerata . 9.  
10.  
Parua generantur in maiori numero, qua maxima .  
pag. 19  
Multæ viuunt sub diuersis formis accidentibus successuè productis. 31  
Generantur intra gallas sine semine prævio à mucis relichto. 33  
Cur generantur intra faxa. 34  
Exanguia carent corde .  
pag. 226  
Exanguia breuiorem vitam agunt quam sanguinea.  
pag. 244  
Sanguinea longius, quam exanguia viuunt extra aquam. 244  
Antalia dicuntur aliqua Testacea. 91  
Apis construit cellas rotundas non pentagonas. 210  
Aristomacus 62. annos in Apum studio transfigit. 81  
Aristoteles Animalium historiam scribens ab Alexandro iuuatur. 47

- Laudatur propter Animalium historiam , & Problematum libros , licet in multis rationes falsæ sint . 175.  
Ars materiam superare hiperbolice dicitur . 83  
Auditu carent Testacea. 237  
Eius organum quomodo destruatur. 246.247  
Auris Animalis dupli Cochlea munitur. 247  
Auris marina dicitur Concha vniuersalium. 91

## B

- B** Alanus quid significet . 29  
Animal est Testaceum unica valua inclusum. 91  
Nascitur è faxo. 30.31  
Cur nocte splendeat. 253.  
& seq.  
Quomodo in visceribus faxi augeatur. 35.36.  
Describitur. 101  
Biualvia dici possunt Testacea omnia. 233  
Buccina Cochlea.121.130.134. 136. & seq.  
Bonarota nunquam duos omnino similes vultus sculpsit .  
pag. 53

# INDEX.

## C

**C**alligula ad triumphi significationem Turrim Cochleis exornauit. 17  
 Calor est causa diuersorum effectuum iuxta varietatem corporum per quæ communicatur. 250  
 Caracteres aqua formati quomodo legi possint. 206  
 Cerebrum cur frigidum sit. pag. 251  
 Cochlea sapientis studium merentur. 1. 16  
     *Qua ratione delestant.* 4.  
 7.  
     *A mulieribus Brasiliæ, vt ornamenta capiti imponitæ.* pag. 12  
     *In tria genera dividuntur.* pag. 17  
     *An generentur propagatione speciei.* 20. & seq.  
     *Difficillimè describi possunt.* 86  
     *Quomodo dici possint fœcundæ.* 26. 27  
     *Omnes inter se dissimiles.* 53  
     *Earum varietas describitur.* 54. & seq.  
     *Precio superant Vasa à Raphaeli Urbinate depicta.* pag. 56  
     *Sideribus similes.* 58  
     *Proudentiam Divinam, indicant.* 65  
     *Earum usus, & utilitas.* 72. & seq.

Monetarum loco adhibentur.	
Cibum suppeditant.	73
Agriculturæ seruunt.	74
Architecturæ, & Arti militari.	74
In Piscatu, Choreis, & Ludis.	74
Arti mechanicæ.	76
In conuiuijs, & à luxu fœminarum malè adhibentur.	77. & seq.
Tenentur in Museis ut res pretiosæ.	81. & seq.
In Paginis delineatæ sine coloribus priuantur venustate præcipua.	87
A sapientibus pretio habita.	173
Cochlea os habens in latere finistro.	157. & 158
Cochlea dicta Celata.	114
Cornu Cerui.	127
Cilindrus varius.	127. & seq.
Corona Pontificia.	127
Depressa margaritifera.	
pag.	133
Galei formis.	135
Muticata.	135
Olearia.	113
Romboides.	103
Sarmatica.	148
Venerea vide Venerea	
Vmbilicata.	117. 141
Vmbilicata margaritifera.	
pag.	133
Claudius Cæsar iubet à militibus manus impleri Cochleis.	3
Coagulatio quando fiat.	198
Co-	

# INDEX.

- C**olores in Cochleis vnde orientur. 58.& seq.  
 Septem præcipui, ex quibus cæteri constant. 60  
 Distribuunt Animalia in tres Clasies. 60  
 In Purpuris variantur, prout mariæ temperies exigit. 63.14&  
 Cur in superficie externa appareant. 38.205.  
 Ornant, & distinguunt. pag. 224  
 Cianeus cur non inueniatur in Testaceis. 185.& seq.  
**C**oncha Anatifera dicta. 95  
**C**oncha Corallina Pictorum. pag. 99.104.105  
**C**anæ, quæ nam sit. 105  
 Dentata. 106  
 Fasciata. 107.111.135  
 Imbricata. 109  
 Lenis. 104.107  
 Longa. 104.108  
 Perlæca. 99  
 Rugata. 105.108  
 Striata. 107.111  
**C**oncha dicta Cozza. 109  
**C**ornua cur sint in Cochleis. pag. 68.233  
 Cornelius Meyer Tiberim frænat argine, ne Romam inundet. 220  
 Creaturæ licet minimæ sunt consideratione dignæ. 7.8  
 Sunt veluti paginæ, quas omnes legunt pauci intelligunt. 8  
 Delectant nonitate non excellentia. 8
- Sapientia Diuinæ opera pag. 9  
 Hominum mentes superbias humiliant. 10.12  
 Elingues Deum laudant. pag. 11.14  
 Affectum non curiositatem explere debent. 12.13  
 Deum publicant, vt res maximæ. 13.14  
 Dei amorem consideranti ingerunt. 14.15  
**C**or non inuenitur in Testaceis. 225  
 In Animalibus est, vt Sol in Mundo. 226  
 Animalibus sanguineis necessarium. 226
- D**
- D**actilus Concha. 102.158  
 Dentes non sunt in Testaceis, neque in parte superiori oris cornigerorum. pag. 228  
 Diuersitas Colorum in Testaceis notas distinctionis fecit. 224
- E**
- E**chinophora Cochlea. 115  
 Eliogabalus Araneorum, telis Romæ magnitudinem explicat. 81  
 Error cum veritate vtilis. 59  
 Ericinus Marinus. 41  
 Cur quinque oua, & dentes habeant. 244
- M m                    A D.

# INDEX.

A D. Ambroſio confide-  
ratus. 72

Saxo hæret ante maris  
procellas. 71

## F

**F**El cur non habeant Testa-  
cea. 230

Fœtor in Animalibus vndè o-  
riatur. 242

Figura corporum à quo pro-  
cedat. 210

Rotunda quare sit in la-  
pidibus, & Cochleis mari-  
nis. 215

## G

**G**Aideropoda Concha bi-  
ualuis. 100

Galba quid sit ex Arueo. 214

Geographia dicitur Cochlea.  
pag. 157

Generatio omnium rerum sit  
concurrente Deo 20. & plu-  
ribus modis. 22

Giottus perfectum circulum  
sola manu delineabat. 53

S. Gregorius Nissenus igno-  
rantiam fatetur Naturæ o-  
pera perscrutando. 74

## I

**I**Strix marina dicitur Purpu-  
ra. 150

Iecur cur non detur in Testa-  
ceis. 130

## L

**L**Apides quomodo formen-  
tur. 39

Animalium membra refe-  
rentes. 47

Sub aquis calidis facilius  
generantur. 187

Diuersi in venis, & visceri-  
bus inuenti. 216

Lien cur non sit in Testaceis.  
pag. 230

Linea spiralis in omnibus ge-  
nerationibus principium ponit iuxta aliquorum senten-  
tiam. 214

Lisippus delectabatur monetis,  
qua sibi soluebantur pro sta-  
tuis à se sculptis. 87

Lux Animalium vide splendor.

Luna quomodo impletat Testa-  
cea. 248

Quomodo dicatur cresce-  
re, & minui. 248

A Sole illuminata radios  
infectos à suis qualitatibus  
reflectit. 250

Quare putrefactionem in  
sublunaribus prouocat. 250

## M

**M**Atres Vnionum. 9. 178  
Non innotant aquis.

pag. 146

Neque gregatim natant.

pag. 180

Cur certis anni mensibus  
solum accipientur. 181

Mare cur Neptunno tridente  
25-

# I N D E X.

armato exprimatur.	29
Aquas varijs humoribus mixtas habet.	62
Magis calidum est quam Lacus.	188
Aquas habet magis nutriti- viwas, licet minus potulen- tas.	189
Materia, quæ nam sit apta ad Testaceorum generationem. pag.	37
Membra cur non diuersa in Testaceis reperiantur.	222
Cur in Animalibus ferè rotunda.	218
Miracula à veritate deducun- tur.	58
Mitulus Concha.	103
Mundus Museum est plenum statuis à Deo factis.	13
Est veluti Pinacotheca corpori, Bibliotheca animo. pag.	72
Motus Animalium perfectorum supponit principium perfe- cte unum.	221
Quotuplex fit in eisdem, pag.	221
Testaceorum non iuuatur à circumuolutione spirarum. pag.	221
Murena cibum captabat è ma- hibus Crassi.	239
Murex quid,	353
Murex Gibbosus.	130
Albus.	133
Varius.	153.& seq.
Musica dicitur Cochlea.	154

## N

<b>N</b> atura ibi generat, vbi dis- positiones aptæ ponuntur.	50
Veluti prudens Artifex operator propter finem.	175
Nautilus Concha dicitur à na- uigando.	70
Describitur.	87
Vniones non producit.	178
Nerita Cochlea cur dicatur. pag.	137
Describitur.	55
Varia.	138,161.&c.
Nuces marinæ sunt Cochleæ biualues.	103.111

## O

<b>O</b> culus cesius dicitur Co- chlea.	122
Oculis carent Cochleæ.	233
Omnipotentia Diuina non de- primitur si dicatur causa im- mediata omnium,	25
Os cur in parte dextera habeant Cochleæ, aliquæ autem in sinistra.	219
Operculum cur detur in Testa- ceis Turbinatis.	148
Os magis dura sunt post mor- tem Animalis.	198
Cur non dentur in Testa- ceis.	226
Gigantium an vera sint, quæ è terra eruuntur.	48
Ostrea.	107

# INDEX:

P

- P**inna maris habet socium cancellum. 70.73  
 Patella Concha. 89.&c.  
 Pili, & Pennæ à quo nutriantur. 207  
 Pentidactilus Turbo. 123  
 Philosophia naturalis experimentis edocetur. 5  
 Plantæ in qua parte os habent. 224  
 Carent ventre. 224  
 Ut Infantes alimentum recipiunt. 224  
 Petrus de Valle oblectatur Testaceorum piscatu in mari Rubro. 9  
 Pluma dicitur Cochlea. 127  
 Pulmones sunt instrumenta vocis. 236  
 Purpuræ magni habebantur ab Antiquis. 147  
 Purpuras mercabatur Zenophilos. 147  
 Purpuratum Piscatores vestigalibus non grauabantur. pag. 148  
 Earum piscatu mancipia Tiri libertati reddita. 148  
 Quomodo earum color obtineatur. 149  
 Linguam autem habeant Purpuræ qua Testas tenebrare possint. 149  
 Multiplices illæ sunt. 150  
 Quamdiu vivant extra aquam. 155  
 Putrefactio quomodo à Luna prouocetur. 250

R

- R**Ecreatio homini necessaria. 1  
 Laudem meretur, cum ad finem optimum dirigitur. 1  
 Sapientis qualis esse debet. 107.176  
 Quomodo Cochlearium obleruatione habeatur. 4  
 Musicam imitatur. 176  
 Rosa Polonica quid. 212  
 Ros in Florum colores transmutatur. 217
- S
- S**ALES Volatiles, & Fixi figuræ exprimunt corporum quorum sunt. 211  
 Vnde figuræ proprias obtineant. 214  
 Virtutem propagatiuam continent. 27  
 SAXUM à Vermibus corroditur. pag. 30.37  
 SAXUM in quo Ballani nascuntur. 31  
 Scipio cum Lelio delectabatur Cochleis. 1  
 SCUTUM Æneæ à Venere datum Testaceorum calyces exprimit. 222  
 Sensu carent Testæ. 238  
 Splendor Balanorum vnde oriatur. 253  
 A multis rebus emanat. pag. 253  
 Spondilus Concha bivalvis. pag. 100  
 Sta-

# INDEX.

- Stupiditas Phantasiæ sanguinis  
 defectu causatur. 251  
 Sturio Piscis tonitru perterre-  
 fit. 238  
 Strombi multiplices. 124. &  
 seq.  
 Succus lapidescens quid sit. 40  
 In aquis multis commis-  
 tur. 40  
 Susurrus maris cur videatur au-  
 diri admota auri Cochlea.  
 pag. 246

## T

- T**actus in quo consistat ex  
 Aristotele. 241  
 Tellinæ pedatæ. 95  
 Testacea vntualuia , quæ nam  
 sint. 18  
 Quæ nam Biualuia, & Tur-  
 binata. 18  
 Quare aliqua testis duris  
 aliqua tenerioribus tegan-  
 tur. 35  
 Testæ non sunt ex aqua glacie  
 constricta. 38  
 Lapidibus sunt similes. 39  
 Cur adeò duræ. 40  
 Non omnia generantur in  
 mari. 41  
 In terra multa reperiun-  
 tur. 41  
 Plantis similia. 46. 120  
 Ut Plantæ nutriuntur. 230  
 In mari potius quam in  
 lacubus nascuntur. 258  
 Ore priua quomodo nu-  
 triantur. 231  
 In mari potius quam in  
 Terra generantur. 190

- In Indiarum Australium  
 finibus frequentiora. 263  
 Supra ligna, quam supra  
 saxa. 195  
 Non formantur rore. 195  
 Cur duros habeant cali-  
 ces. 197  
 Cur sint pigra in motu.  
 pag. 251  
 Sub aquis non sunt tene-  
 ra. 196  
 Pluribus tunicis compo-  
 nuntur. 200  
 Cur multa Turbinata. 208  
 Cur multa saxis affixa. 201  
 Cur multa striata. 203  
 Cur odorem non exhalant.  
 pag. 242  
 Cur extra aquam diutur-  
 niorem vitam , quam pisces  
 ducant. 243  
 Vrina excrements non  
 ejiciunt. 156  
 Testæ simul cum Animali ge-  
 nerantur. 51  
 Non iuvant ad motum.  
 Animal inclusum. 68  
 Animantur licet sensu ca-  
 reant. 234  
 Cur non mutentur sicuti  
 Crustæ in Crustatis. 252  
 Timpanum Auris quomodo  
 frangatur. 246  
 Tuffis quare excretur cum au-  
 ris perficitur. 248  
 Tuba Cochlea dicitur. 127  
 Tulipa Cochlea. 195  
 Tonitrua Sturiones perterre-  
 faciunt. 238  
 Turbo leuis. 115. 129  
 Mar-

# I N D E X.

Marmoreus.	137
Multiplex.	117. 125. &c.
Turbinata tribus figuris com- ponuntur Spirali, Piramida- li, & Circulari.	219
Testis non yniuntur sicuti Bi- ualua.	233

## V

<b>V</b> ermis saxa corrodens.	19
Vermis ex flore hyacin- tho natus.	35
Venter Testaceorum qualis.	224
Vegetabilia maris saxea.	47
Venerea Cochleacur dicatur.	79
Multiplex.	80
An sit Remora, qua Nauis retardatur.	265
<b>V</b> uentia in mari vitam non- amiserunt in Diluvio uni- uersali.	45
Vmbilicus.	114
Vmbilicata vide Cochlea.	
Vnio cur dicatur Margarita.	93
177.	
Ad quam molem crescat.	
pag.	94
Vbi producatur.	95
In qua Concha.	100
Ab omnibus pretio habi- tus.	176
Rore non formatur.	179

Quomodo è mari acci- piatur.	179
Corticosis est.	182
Vnde colorem induat.	182
Quomodo expoliatur.	182
In Visceribus Animalis gi- gnitur licet aliquando testis connexus.	183
Ab infirmitate potentia expultricis perficitur.	187
Vox non emittitur à Testaceis. pag.	236

Quomodo à viventibus formatur.	236
An audiatur sub aquis. pag.	238
Vt formetur requiritur agitatio aeris inter corpus percutiens, & percussum.	236

## X

<b>X</b> erxes Platani amore cap- tus.	9
Pontem nauum extruxit, vt mari frenum imponeret. pag.	173

## Z

<b>Z</b> eno Philosophus Purpu- ratum mercaturam exer- cuit.	147
--	-----

# Catalogus Authorum quorum mentio facta est.

## A

Ælianus.  
Æneas Silvius.  
S. Augustinus.  
Agricola.  
Aquilonius.  
Alexáder ab Alexádro.  
Aldrouandus.  
Allatius.  
S. Ambrosius.  
Annibal Caro.  
Antonius le Grand.  
Appollinaris Episcop.

Cardanus.  
Caracenus Isidorus.  
Calceolarius.  
Cassendus.  
Celius Calcagninus.  
Celius Rodiginus.  
Cedrenus.  
Cesius.  
Cicero.  
Columna.  
Crassus.

## D

Dantes.  
S. Dyonisius Areopag.  
Diarum Eruditorum.  
Diodorus Sic.

## E

Empedocles.  
Epictetus.  
Esihius.  
Eschinardus.  
Euclides.  
Eudemus.  
Eustatius.

## F

Fabri.  
Falloppius.  
Fracastatus.  
Galenus.  
Geber.  
Gesnerus.  
Gilius.  
Gilibertus Abb.  
Gonzalus Ouidus.  
Gratianus.  
Graflettus Hipol.

## C

Cabens.

S. Gregorius Nazianzen.

Grandus.

Gratius.

Grefelius Georgius.  
H

S. Hieronymus.

Huochius.

Horatius Fl.

## I

Imperatus.  
Ioannes Boemus.

Ionstonus.

Ipocrates.

## K

Kircherius.

## L

Laet.

S. Leo.

Lister.

Lucerna.

Lucretius.

Ludouicus de S. Marthe.  
M

Marbodeus.

Macrobius.

Maiolus.

Malatesta.

Margrauius.

Marcus Victorinus.

Marcellus Virgilius.

Martialis.

Monardes.

Musæum Cospianum.

Musæum Muscardum.

Mutianus.

## O

Olaus Magnus.

Olaus.


Olaus Borrichius.	S. Prosper.	Stobeus.
Oliua.	Quirinus.	Strozza.
Olimpiodorus.	Quintus Curtius.	Steno.
Oppianus.	R	Suidas.
Ouidius.	Reischius.	Suetonius.
P	Renatus de Cartes.	Surius.
S. Paulinus.	Regnerus de Graaf.	T
Pachimerus.	Rhedus.	Tassius.
Paracelsus.	Rhò.	Tachenius,
Panzirolus.	Riccardus à S. Vitoore.	S. Theodoricus Abb.
Pappus Alexandrinus.	Rondeletus.	Tersagus.
Pauſtias.	Rossettus Donatus.	Teophrastus.
Pereus.	S	Tertullianus.
Petratcha.	Salustius Eubartes.	Teuetus.
Philippus à S. Trinit.	Sandæus.	Tirius.
Piccinellus.	Saraina.	V
Petrus Martir.	Sauottus.	Vander Boechius.
Pisidias.	Scaliger.	Velschius.
Pigafetta.	Scuola de S. Marche.	Vespuccius.
Plato.	Scilla.	Virgilius.
Plinius.	Seneca.	Vvillius.
Plutharcus.	Silius Italicus.	Voznius.
Pollux.	Solinus.	
Propertius.		

*Typegrapborum Errata sic corrijetur.*

Pag 24. quando haber, quando philosophati. 25. oitrea sexus, ostrea sexus  
 30. spugnis, spongis 38 ab eo quam, ab eo quem. 43 aliquod, aliquid.  
 52. exrecuerat, exaruerat. 53. Veritate, Varietatem. 55. Vittata, Vittatae.  
 61. sunt vnius sive vnius, portione, passione. 71. eni, cui 73. omnia, omnia.  
 98 hoc rictu, hoc rictu. 79. vtratur, vtunus. 87. amatoriem, ama orum, nihil  
 difficilior, difficilius. 88. in teles, in resto. 89. ripas, ripas 180. mouentur,  
 mouentur. 184. Vrinatibus, Vrinaribus 193. Mariibns, Maribus.  
 osis exactio, horis exactis, 193. fuerant monumentum, fuenat. 199. durities,  
 duritie 202. illius est, illis est. 205. infinitum eius, infinitam eius 210. in-  
 terioribus, interioribus. figuram, figuram architectantur, architectantur.  
 215. Intexerunt, intexunt. 218. a quæ, a quæ. 228. Nooko, Hooko 240. ad  
 mel ius, ad melius. 246 lateribus, è latebris. 249. ubique vigent, vigeant.  
 250 communicato, communicato plus minutissime, minutissimè. 255. Bellaria  
 Ballaria.

Cæcera minoris momenti Lector facile animaduertit.







Icones Testaceorum  
quæ in Parte Secunda describuntur







CLASSIS  
PRIMA  
TESTACEORVM  
VNIVALVIVM  
NON  
TVRBINATO  
RVM




I












2




a 2









11



12




13







14



15




16



b




17




A

B

18



19




b<sub>2</sub>




A



20




E




F


B




G



C






D



CLASSIS  
SECUNDA  
TESTACEORVM  
BIVALVIVM












3










4




c2









II




I2




I3




I4




I5




I6







17





18



19











23

24







25




26



27







28




29




30




31






32



e






40



41




42




43



44



45




46




47




e2






48




49



51




50




52




53




54




55








56




57









60




61




62




63




64




65




f2




71




72




73




74




75




76







77




78




79




80




81




81




82




82




81




82




82




83




84









85




86









b




95





96




b2




97





98




99




100







CLASSIS  
TER TIA  
TESTACEORVM  
VNIVALVIVM  
TVRBINATO  
RVM




1







2




1








9




---

10





12




11




---





13




14












20




19



21




22




23




24







25




26







27




---

28






29




---


30




1




31








31



12








43




44




45



46




47



48



49



50




51





52




53



54



55




56




57




58



59




60




61



62




63




111



64




65



66




67




68




69




1112



70




71




72


73



74




75




76






77




78




79




80




81




82



83




84







85




86



87



88




11

}

}

89




90



91




92



93




94




112



95



96




97




98



99




100







101




102





103




---


104




105




o



106




107



110


111




112

113


02




114



115.




116



117





118




119



120




121







122




123



124




125



B


126



127



128




129




P




130




131




132



133




134




135




P2




136




137




138




139




140




141




142



143







144




145



146




147



148




149




150






151




152




153



154




155





9



156




157




158

92





159




---

160







161



162




163







164



165




166




167




168





169




T




170



171




172



173




174



172




175




176




177




178




179





180




181




182






183




184






185



---


186




f



187




188




12



189




190







191




192







193




194




*t*



195




196



197




198



199




200




t 2




201




202




203



204




205




206




207







208




209




211




210




212




213







214




215



216




217




218



219




220




221




ii




222



223




42




224



225




226




227




228






229




230







231




233




232




X




234





235





236





237




238




239




X2



240




241




242




243




244




245




246




247



248







249




250




251




252




253



254







255




256




257




258




259




260



γ




261



---


262




γ2




263




264




265







266




---

267







268



269




N



270




271




---


272




273



272




274




275







276




277




278






279




---


280




aa




281




282





282






283







285



---

286







287




288




bb




289



290






291





292






---

293











297




298




299




cc




300




301




302



cc/2



303




304







305




306






307




308




dd



309



310



dd<sub>2</sub>




311



313


312



dd3



314




315






316




317




318




319







320




321






322



323




324




325




326




327



pp




328




329




ee2




330




331




332




333




334




335







336



337




338



339







340




341




342



343




344




ff



345




346




347




348




349




350




ff2




351




352




353







354



355




356







357




358




359




360




88




361




362




363




364




365




382




366



367






368




370




371




372






373




374




375

hf




376




377




379



378




380




hh.2




381




382




383




384




385




386







387




388




389




390




391




392







393




394




395




396




II



397




398




11.2




399




400




403




401



402





404







405




KK



406




407





KK


















112













